BIBLIOTECA
Centrală a „Astrei"
SIBIU
2075
R.N.C.

IVSTINVS
CVM
NOTIS
VARIORVM

G. Bartius

IVSTINI HISTORIAE PHILIPPICAE

EX RECENSIONE

IOHANNIS GEORGII GRAEVII

CVM EIVSDEM

ET

IOH. FRIDER. GRONOVII

ANIMADVERSIONIBVS

ADDITVS EST PRAETER PROLOGOS

HISTORIARVM PHILIPPICARVM

TROGI

ET EXCERPTIONES CHRONOLOGICAS

IACOBI BONGARSII

LIBELLVS VARIARVM LECTIONVM

CVM EPISTOLA

SEGIM. FRIDER. DRESIGII

SVPER LOCIS QVIBVSDAM IVSTINEIS

CVRANTE

IOH. FRIDER. FISCHERO

2075

LIPSIAE

IN LIBRARIA VEIDMANIA

A. C. CIↃIↃCCLVII

1969

1980

BIBLIOTECA ASTRA SIBIU

3975

LECTORI BENIVOLO

S

IOH. FRIDER. FISCHERVS

Quibus hoc munus, hae partes datae ſunt, vt forment iuuentutem atque litteris erudiant, quo habeat reſpublica, quorum ſapientia, conſilioque, et virtute, iuuetur: eorum opera non debet profecto ſe tam anguſtis terminis cancelliſque circumſcribere, vt viam tantummodo, quod ipſum tamen iam maius eſt, quam putet vulgus, ad intellegentiam illorum librorum aperiendam familiaribus, muniendamque, arbitrentur, vnde, tanquam ex illimi vberrimoque fonte, omnis ſcientia rerum humanarum diuinarumque haurienda ſit, hoc eſt, ad cognitionem iuſtam linguarum veterum, in primis Latinae et Graecae; quod facile intellegitur fieri diligenter

genter assidueque interpretandis scriptis auctorum Latinorum et Graecorum, qui quidem in classicis numerentur, non proletariorum, omnis generis: sed cura talium magistrorum atque diligentia eo etiam procedere debet, vt animi integri, et vitiorum illecebris nondum irretiti, virtutis omnis amore deuinciantur, atque imbuantur; vt mature assuescant videre, quid reiiciendum sit et fugiendum, quid sequendum et amplectendum; vt cognoscant, quid salutem hominum cum singulorum, tum vniuersorum, tueatur et sustineat, quid oppugnet eandem, quid debilitet, et perdat; vt, vanitate rerum humanarum et fragilitate cognita planeque perspecta, eas contemnere discant, neque iis vnquam moueantur; vt quam nulla vsquam ratio habenda sit famae popularis, stultorum improborumque, adde etiam muliercularum, consensu excitatae, quam vnice omnibus in rebus bonorum, quamuis paucorum, sapientiumque, iudicio standum, quam longe recte factorum conscientia sit vel victoriis omnibus triumphisque anteferenda, intellegant: quae omnia, et innumera id genus alia, quomodo possint melius, quomodo, vt ita dicam, efficacius, doceri, quam enarrandis libris historicis, hoc est iis, in quibus vt ciuitatum, ita priuatorum hominum, facta non minus et fata, quam caussae eorundem et initia, demonstrentur et explicentur; virtus insigni praemiorum commodorumque infinitorum choro stipata ostentetur et laudetur; vitia deformi poenarum

caterua

caterua incommodorumque multiplicum cincta vituperentur et obiurgentur: ego sane non video. Sed in hoc tamen genere librorum, quis dubitet, quin praestent maxime et excellant ii, in quibus quid in toto terrarum orbe, saltem in maxima illius parte, omnibus saeculis gestum sit, diligenter copioseque expositum legatur? Nam et rerum varietas maior ibi offenditur, quae iam ipsa magis oblectat, allicit, tenet: et docilitas indagandique cupido tironum latiorem quasi vberioremque campum, ampliores regiones, nanciscitur, in quibus venetur, quaerat, inuestiget, deprehendat ea, quae ostendi, omnino omnia. Quod institutum quam multas haberet, quam magnas, quam incredibiles, vtilitates, quae ad omne genus hominum omnis aetatis pertinerent, quae vim suam veluti per omne vitae spatium diffunderent, quum sapientes inter Graecos et inter Romanos viderent: exorti sunt in vtraque ciuitate, qui sibi potissimum hoc in genere elaborandum, doctrinamque et ingenium consumendum, existimarent. Sed quia de Romanis instituimus dicere, Graecos iam non attingemus

Atque primum quidem, qui Latino sermone res gestas omnium totius orbis populorum, maxime tamen Graecorum, libris quatuor et quadraginta complecteretur, Trogum Pompeium fuisse accepimus: quibus eius libris paullo longioribus, vt sunt homines fere remissi parumque patientes, non multi tunc

quidem lectores videntur contigisse. Quae ipsa res, vt opinor, Iustinum, quem Vossius, et alii, saeculo imperatoris Antonini Pii vixisse volunt, impulit, vt e Trogi Opere, quomodo ipse ait, breue florum corpusculum faceret, si forte breuitate plures ad legendum inuitarentur: an recte et prudenter satis, iam non est quaerendi locus. Ego quidem si id agerem, sperarem me facile vel nostrorum hominum siue imperitiae, siue neglegentiae et inertiae, exemplo doctorum confirmaturumque, Iustinum non omni culpa vacare, quod eruditissimo cuique ipsorum Trogi librorum iactura et veluti naufragium tantopere dolendum esset. Neque vero ipsa oratio, dicendique genus, quo vsus est in conficienda hac Epitoma Iustinus, videtur eiusmodi esse, vt committi recte iis possit, qui linguae Latinae naturam et natiuam pulcritudinem noscere velint. Nam non solum in verbis singulis, formulisque loquendi, non pauca sunt, quae peritos offendant, et a consuetudine dicendi eorum, quorum libri pro quodam quasi canone et regula Latini sermonis habeantur, abhorreant, et quae nemo adeo, qui quidem cupiat eleganter scribere, imitari possit: verum in tota quoque orationis forma, et in ipsis sententiis, nimis multa, nimisque expressa laudis ingenii cuiusdam singularis affectationis, communis fere omnium scriptorum posterioris aetatis vitii, vestigia extant, quae vt omnino nusquam probatur, vbique offendit, ita turgidam et frigidam maximeque ingratam

gratam efficit orationem: a quo orationis tumore, et nimis quaesita diligentia, eloquentiae verae studiosos diligenter auocari ab ineunte aetate oportere, quis non intellegit? Sed quia Iustinus in suo genere vnicus est, cuius libri ab iis, qui res totius orbis simul, et ea mente, cognoscere velint, vt quomodo suam, et aliorum aliquando, vitam gubernare et moderari debeant, exemplis quam plurimis admoniti videant, non sine summa vtilitate, et vero etiam voluptate, legi possint: non modo olim saepissime et manu, et stanneis formulis, adiumento machinarum, descripti sunt, sed etiam nunc a multis scholarum magistris legendi tironibus historiae Catholicae, sapienti mehercule consilio, proponuntur

Etsi enim neminem facile tam iniquum, neque tam cupidum ieiunumque futurum confido, qui neget, populares nostros ipsius quidem litterarum scientiae doctrinaeque laude et fama semper in primis floruisse, et aut aequiparasse illa exteros, aut etiam vicisse: tamen fateri nos contra et dare oportet, studio auctorum veterum vtriusque linguae e libris manu scriptis edendorum, horumque inter se comparandorum, nostros homines ab exteris paene omnibus, vt Italis, Francogallis, Britanis, Batauis denique, longissime esse superatos. Cuius rei caussa profecto non tam in neglegentia et inertia Germanorum, certe non omnium, esse enim, qui bonis suis vel

nolint desides vti, vel non possint rudes, non negauerim, quaerenda debet videri, quam potius in penuria librorum scriptorum, quibus eae, quas laudaui, ciuitates etiam abundant. Quod vt de aliis scriptoribus antiquis, ita et de Iustino est omnino dicendum, cuius libros sane non ita emendatos haberemus, nisi exterorum bibliothecae tantam tamque largam bonorum exemplarium copiam, quorum ope a Viris doctis labes delerentur, praua corrigerentur, liberales suppeditassent: de quibus Codicibus quae nobis in notitiam venerunt, ea nunc, age, breuiter referamus: reliqua alias, deo volente, daturi. non enim vna hebdomas omnia docet, neque trium mensium spatio comparare inter se tot libros veteres homini multis aliis laboribus districto licet, neque bibliothecae Lipsienses Iani aediculae sunt, quas Mars referet, Pax cludat

Atque primas quidem Iustini editiones, de quibus postea dicetur, adornatas fuisse e libris scriptis aut singulis singulas, aut etiam pluribus, res ipsa loquitur. Eas vero omnes quum sibi Italorum industria et diligentia vindicarit: dubitari non potest, quin et scripti illi libri in Italia fuerint reperti. Quae ipsa Italia tres alios etiam Codices, cum e nobili illa bibliotheca Medicea, tum e Magliabequiana, praebuit, quorum varietate lectionis, beneficio Patrui sui, vsum se fuisse testatur Gronouius nepos: et Montefalconius se duos in Vaticana, vnum in Maximiana, biblio-

*bibliotheca reperiſſe, praeter alios *, cum in Diario Italico ** ait, tum per litteras eidem Gronouio ſignificauit. Aeque benigna et liberalis, etiam hoc in genere, in Iuſtinum fuit Francia. Quum enim magnus ille Bongarſius conſilium de illo emendando cepiſſet: contigit, vt humanitate ciuium ſuorum, nominatim Iac. Cuiacii, Pe. Danielis, Pithoeorum fratrum, Claudii Puteani, et Oliuarii Aligreti, adiutus, praeter varietatem lectionis ad marginem trium editionum veterum e Codicibus neſcio quibus enotatae, conſulere et comparare decem libros ſcriptos poſſet: et Iac. Gronouium nouimus Codicem Thuaneum cum libris editis contendiſſe; qui labor ne eſſet fruſtra a parente ſuſceptus, filii virtute effectum conſtat. Sed iam ante Bongarſium et Gronouium in recognoſcendo Iuſtino Codice Gymnaſii Lexouienſis membraneo, ſaeculo circiter duodecimo ſcripto, vſus erat Pe. Daneſius, Profeſſor artium Pariſienſis: cuius libri litteras propemodum exeſas fuiſſe, in epiſtola ad Antonium Auſſurdum ait: de quo deinde dicetur. Britania Franciae vt nunc, ita ſemper aemula, nec hac in re voluit haberi inferior. Etenim non ſolum Britani ipſi Iuſtinum cum quatuor libris ſcriptis ſuarum bibliothecarum, vt Bodleianae, Veſtmonaſterienſis, Collegii Noui, Corporiſque Chriſti,*

* Vid. Diar. Ital. p. 67, 374 et 375

** p. 452

Oxonienſis, diligenter collatum edidere, ſed Gronouius etiam, quem ante laudaui, ſe et Cantabrigiae Excerpta Iuſtini quaedam inſpexiſſe, et Londini in ipſa bibliotheca Regia Codicem integrum excuſſiſſe, oſtendit. Quid porro de Batauis dicam? quorum bibliothecas libris auctorum veterum ſcriptis refertiſſimas eſſe, quis neſcit? In Iuſtino quidem recenſendo eidem illi Gronouio adire licuit, tam liberales, tam faciles, tam diſſimiles Quindecimuirorum, eſſe in ea ciuitate bibliothecis praefecti ſolent! ad quinque Codices, Perizonianum chartaceum vnum, duos Voſſianos, iam ab auo conſultos et deinde in bibliothecam Leidenſem vna cum eo, cuius dominus Perizonius fuerat, illatos, alioſque praeterea duo, membraneos omnes. A quibus an diuerſus fuerit ille, quem Boxhornius commemorat in ſuis ad Iuſtinum animaduerſionibus, ignoro: cur, mox dicetur. Neque tamen Germania Iuſtinum omnino deſtituit inornatumque reliquit, ſed e Fuldenſi bibliotheca Franciſco Modio, illi Curtii ſoſpitatori, tradidit libros ſcriptos duo, quorum auxilio locis Iuſtini corruptis mederetur. quod ille an diligenter ſatis, et fideliter vbique, fecerit, viderint, quibus librorum illorum copia eſt. Mihi quidem, Britanis exceptis, non Modius tantum, ſed et reliqui, quos in Iuſtino edendo Codices adhibuiſſe demonſtrauimus, parum videntur conſuluiſſe poſteris, ſaltem non ſatisfeciſſe multorum, in quibus et ego nomen profiteor meum, cognoſcendi omnia auiditati. Bongarſius

sius probauit ille quidem incredibilem diligentiam, et admirabilem prorsus laboris patientiam, quam si molli et ignaua et luxuriosa nostrorum hominum, praesertim leguleiorum imberbium, vita metiare, vix credas cadere potuisse in talis sortis et fortunae hominem. Contulit enim decem illos, de quibus dixi, Codices, non ex parte et in locis tantum dubiis et deprauatis, suorum temporum more, sed totos: non ignorans, quam saepe etiam in verbis librariorum insciti corruptis verae lectionis vestigia laterent, facile a peritis sagacibusque deprehendenda et odoranda. At primo non docet, Codices illi membranei fuerint, an chartacei: antiquis, an recentioribus temporibus scripti: de quo etsi certiores facere posteros debuisset, tamen quum de ipsa librorum bonitate, prolatis eorum lectionibus, iudicandi facultatem dederit, neque antiquitas eorundem semper spectanda sit, non ita valde reprehendendum videtur. Deinde si profert lectionem aliquam aut ex vno, aut e pluribus Codicibus, se eam fere simpliciter dicit inuenisse in libris scriptis, non addito nomine possessoris, ita vt si nosse cupias, quae sit, verbi caussa, Cuiaciani Codicis lectio, quae Puteanei; fuerintne ex aliis ducti, an caeteri ex iis: eos denuo comparare, et de antiquitate illorum quaerere, necesse sit. Ex quo quam parum, etiam summa sua diligentia, laborem posterorum subleuarit summus Bongarsius, quam parum iis consuluerit, quis non videt? Modius, et, quod mirari satis

*satis non possum, etiam Gronouius nepos, non solum fere eadem peccata admisere, sed cumulauerunt etiam aliis. Ille quidem non raro prouocat ad auctoritatem Codicis Fuldensis alterius: sed quia nusquam notam ostendit, qua alter dignosci ab altero et discerni queat; vtrumque enim membraneum memorat fuisse, nihil praeterea: nonne incertus eris semper et haerebis, vtrum significarit? Gronovius quoque non semel se hanc vel illam lectionem in libris scriptis, in duobus pluribusve Codicibus, reperisse ait *: sed in quibus, non addit. Vterque libros suos non totos, quod de Bongarsio praedicauimus, comparauere, sed ad eos in locis tantum corruptis, de quorum lectione vera vel ipsi dubitarent, vel alios dubitare viderent, adierunt: vnde nec mirum debet videri, Gronouium nusquam docere, libri sui diuersine fuerint omnes, an vnus eorum ex altero, veluti e fonte riuus, manarit. Sic vero eum, et Modium, nemo facile dixerit, opera sua posteris omnino multum profuisse. Sed de libris scriptis Iustini hactenus. veniamus ad editos, de quibus ita dicere conabimur, vt vnde quisque ductus sit, quantum adeo cuique tribuendum, appareat*

*Omnium autem, vt opinor **, editionum Iustini primis duabus, quarum altera Venetiis*

* Vid. v. c. XV, 2. 1. XVIII, 1. 6 et 7. 1

** Fieri potest, vt Ienſonianam antiquitate superet Romana, quae cum Vdalrici Galli s. Hanii, sine

*tiis fuit anno ſeptuageſimo ſaeculi a C. N quinti decimi a Nic. Ienſono, altera duobus annis poſt a Cunr. Suenhemio et Arnoldo Panartio Romae, adornata, vſus eſt, ſed ita vt nec vſus videri poſſit Gronouius nepos. namque vt libros manu ſcriptos, ita et editiones ſcriptorum veterum principes, hoc eſt, e libris ſcriptis ductas, quarum nec copia ſemper et vbiuis locorum detur, aut prorſus non, aut ita diligenter, cenſeo, et quis non idem cenſeat? conferendas totas eſſe, vt futuri auctorum editores hoc labore ſuperſedere poſſint. At vero Gronouius in conſulendis illis Iuſtini exemplaribus tam neglegens fuit, vt ne formam quidem foliorum, quibus deſcripta ſunt, vſquam indicarit. Profecta autem illa eſſe e Codicibus diuerſis, etiam ex paucis eorum lectionibus, quas illi afferre viſum eſt, ſatis patet. Proxime ab his editionibus, quantum indagare potui *, exiit illa, quam anno*

ſine anni indicio forma maiore, prodiit. nam huius Viri officina iam duodeſeptuageſimo anno ſaeculi quinti decimi celebris fieri Romae coepit. Metarius tamen, cui eius notitiam debeo, eam poſtpoſuit Ienſonianae : quo ductus argumento, neſcio.

* Cognoui quidem ex eodem Metario, iam anno huius ſaeculi quarto et ſeptuageſimo Iuſtinum tertium deſcriptum formulis fuiſſe ab Antonio Zaroto Mediolani. Sed vereor, ne haec editio ducta fuerit e Ienſoniana. In vtraque certe leguntur duo verſus hi: *Hiſtorias veteres peregrinaque geſta reuoluo Iuſtinus. Lege me:*

ſum

*anno eiusdem saeculi sexto et septuagesimo Kalendis Iuniis Mediolani absoluit Christophorus Valdarferus, Ratisbonensis, expressa et ipsa e libro scripto bonae notae, sed diuerso ab iis, e quibus duae superiores fluxerant, nec manus emendatrices passo. Hoc quidem eo manifestum planumque arbitror fieri, quod loca multa, quamuis aperte deprauata, quae procliue cuiuis fuerit corrigere, tamen non correcta ibi legantur *: vt nihil de ratione scribendi dicam **, quae ipsa mihi id, quod ostendi, satis videtur arguere. De ipsa autem Codicis bonitate, quem expressit Valdarferus,*

sum Trogus ipse breuis. Vnde eam in editionibus principibus non numerandam censui, donec eius cum Ienſoniana comparandae copia data fuisset.

* Vid. v. c. IIII, 5. 6. V, 1. 3. VI, 7. 5. VII, 1. 11 et 2. 14. XIII, 2. 7 et 3. 7. XIIII, 9. 11. XVI, 3. 3. 7. XVII, 1. 3 et 4. 7 coll. 1. 4. XVIII, 3. 8. et 4. 9 et 5. 15 et 6. 4 et 7. 13. 14. XX, 3. 5 XXI, 1. 2 et 2. 10. XXV, 2. 8. XXVI, 1. 10 et 2. 3. XXVIII, 3. 14. XXXV, 1. 7. XXXX, 1. 2 etc.

** Scribitur ibi v. c. *tcaeteri, scruptator, sopnium, diadaema, vaendere, cybus, praecaedere, mercennarius, desyderium praeces, amicicia, taelum, sagipta, haerba, efestion* (Hephaestion), *praemere, dissaeminare* etc. Sed huc non debet referri *to execandas* pro *exaequandas* [V, 2, 12]: in quo veteris potius emendataeque orthographiae vestigium apparet. Sic *condam* in MS. Bong. III, 2. 3: et in Ald. vbique scriptum legitur *cotidianus, cotidie* etc.

*ferus, iudicari facile ex eo potest, quod lectiones illius fere cum lectionibus optimorum librorum, Bongarsii in primis et Britanorum, conueniant *. Diuersum denique eundem a reliquis fuisse, comparatio lectionum eius cum lectionibus priorum editionum, a Gronouio prolatis, ita docet, vt dubitari non possit. Caeterum constat haec Mediolanensis editio, etiam titulo seu indice destituta, plagulis formae, quam folium minus vulgo appellamus, quatuor et quinquaginta: quae vt nullis numeris signatae sunt, ita custodes nulli, nulla diuisionis signa in extremis versibus, nulla commata vsquam, neque semicola, sed eorum loco vbique duo puncta, apparent. Plures editiones Iustini principes, quae quidem e singulis libris scriptis, hoc saeculo, fluxissent, neque videre nobis contigit, neque ab aliis Viris doctis consultas esse scimus. Nam quatuor illae Venetae **, quae a Metario commemorantur, an sint principibus annumerandae, definiri prius non poterit, quam fuerint cum prioribus diligenter comparatae.*

id

* Vid. v. c. XIIII, 4. 16. XVI, 4, 2. XVII, 3. 10 XVIII, 1. 4 et 2. 11. XXIIII, 2. 2 et 4. 6 XXV, 2. 11 et 4. 8. XXVI, 1. 2 et 2. 3. 5 XXXI, 8. 8 et 2. 3 et 5. 5. XXXII, 3. 4 XXXIIII, 3. 8. XXXV, 1. 1 XXXXI, 5. 10 XXXXII, 3. 6 etc.

** A. CIↃCCCCLXXVIII: A. CIↃCCCCLXXVIIII apud Philip. Condam: A. CIↃCCCCLXXXIIII, et A CIↃCCCCLXXXXVII

id quod et de Mediolanensi tertia tenendum est, quae anno secundo saeculi sexti decimi maiore forma prodiit

*Sed saeculo hoc ineunte, aut etiam superiori iam extremo, extiterunt, qui Iustinum ad plures libros recensendum, et lectiones optimas, iudicio adhibito, delegendas e quoque, censerent. Primus, quod sciam, facere illud instituit Marcus Antonius Sabellicus, magni illius Pomponii Laeti discipulus: cuius tamen editio vbi primum, et quando, exierit, certo quidem non scio; nunquam enim vidi; sed coniicio, eam Venetiis ab Antonio Moreto, Augustinum Becharium nominat Fabricius, curatam esse. Huius certe Moreti diligentiam summo opere laudat ipse Sabellicus in epistola ad Iob. Matthaeum Contarenum, Virum patricium, cui hanc suam Iustini editionem inscripsit. Ea epistola praefixa legitur Iustino, Parisiis a Ioh. Paruo octonis, sed satis neglegenter, curato: ex qua tamen editione, quum tota ad Sabellicanam expressa sit, vniuerse iudicari posse videtur, quid praestiterit doctrina Sabellici. Deprehendi autem huius Parisiensis editionis lectionem conuenire saepe cum Mediolanensi exemplo *, interdum etiam cum libris scriptis **, ita vt in eam*

* Vid. XIIII, 1. 2. 4. 7 et 6. 3. XV, 1. 2 et 3. 3. 8. XVI, 2. 9 et 3. 7. XVII, 1. 3. XXXXIIII, 3. 8 etc.

** Vid. XXIII, 3. 2. XXIIII, 2. 8. XXVI, 1. 9 et 3. 3 etc.

*eam opinionem veniam, vt Sabellicum putem, praeter Codices manu scriptos, superiores quoque editiones consuluisse, nonnunquam tamen ab iis recessisse *. Parisiensem duobus annis post excepit Veneta, a Ioh. Tacuino descripta: quam ipsam credo factam esse ad plures libros: quis vero recensuerit, nusquam docetur. Exhibet saepe lectiones et librorum scriptorum **, et priorum editionum, maxime Mediolanensis ***, sed et multas proprias **** habet apprime bonas, sed temere*

(b) 2 *a reli-*

* Sic discrepat haec Parisiensis editio non solum a Mediolanensi: vid. II, 10. 18. IIII, 2. 5 et 3. 1. 4. V, 4. 6. XVI, 4. 12 et 5. 3. XVII, 2. 1. 4. 6. XVII, 2. 12. XXIIII, 6. 7. XXXI, 8. 6 etc.: sed et a Bechariana, qua Vorstius vsus est: vid. V, 4. 1. XXIII, 4. 9. Vnde aut diuersa est Sabellicana a Bechariana, aut Parisiensis non expressit fideliter vbique Sabellicanam.

** Vid. XIII, 8. 7. XIIII, 1. 7. XXXIII, 1. 2. XXXXI, 1. 9 et 4. 3. XXXXII, 1. 5 et 2. 9 XXXXIIII, 3. 5 etc.

*** Vid. XIII, 7. 8 et 8. 1. XVII, 1. 5 et 2. 1 et 3. 6. 9. 10. XVIII, 2. 12 et 3. 11. XXIII, 3. 8. XXVIII, 3. 14 et 4. 7. XXXII, 2. 1. 3. 7. 8 etc.

**** Vid. III, 5. 4. 7 et 7. 6. V, 2. 1. 12 et 3. 8. VI, 2. 4 et 9. 4. 7. VIII, 3. 6 et 4. 4. 7. XX, 1. 13. XXVII, 1. 4 etc. In primis pertinent huc, quae bene tenenda sunt, loca duo, quae Graeuius putabat se primum e Iuntina restituisse, sed quae iam in Veneta hac nostra reperisset restituta, si eam vidisset. XIII, 7. 2 *Therae insulae*, pro Vulg. *Therame-*

*a reliquis editoribus mutatas et relictas, vt peritum doctumque Virum ei praefuisse, ipsamque e bonis libris adornatam esse necesse sit: quamuis, quod ad orthographiam attinet, non summa vbique diligentia adhibita fuit *. Editionem Viennensem, quae a Berneccero et aliis Camertis quoque editio vocatur **, ipse non vidi, sed eam anno septimo decimo sexti decimi saeculi quaternis emissam esse, Metarius me docuit, atque e lectionibus, quas nonnulli Iustini interpretes inde protulerunt, facile licet coniici, eam non tam e scriptis libris, quam ex editis reliquis ***, manasse. Petrum Danesium autem, a quo libri Iustini anno vndeuicesimo dicti saeculi recogniti fuerunt, in ea recognitione vetustissimo potissimum Codice adiutum esse supra significauimus, et ipse in epistola ad Antonium Aussur-*

Theramenis inf. XXXXIII, 3. 10 *proci essent*, pro Vulg. *processissent*.

* *Sociorum*, pro *sauciorum*, XXIIII, 8. 12, Codicis antiqui scripturam arguit. Caeterum Index, eius hic est: *Iustini ex Trogo Pompeio historiae cum multis memorabilibus in margine. Addito insuper indice; quo facilius notatu clariora reperiri possint: nuper emendatae.* Ad calcem leguntur ista: *Impressum Venetiis per Ioannem Tachuinum De Tridino M. CCCCC. XII. die vigesimo tertio Septembris.* fol. Est in bibliotheca Senatus Lipsiensis amplissimi.

** Vid. Berneccerus ad VIII, 4. 12

*** V. c. XII, 6. 6 cum Veneta exhibet *iracundum*, pro Vulg. *iracunde*.

*Auſſurdum, hic enim hoc exemplum, Ioh. Parui ſumtu, Lutetiae formulis deſcripſit, praedicat, ſe tam diligenter verſatum in eo negotio fuiſſe, vt quum illos mancos antea et mutilos circumtuliſſent, ſua tandem opera integritati reſtituti eſſent *. Tantam diligentiam, tantam laboris patientiam, tantum bonas litteras iuuandi ſtudium, ſuſpicere poterat ea aetas in ſuis Graecarum litterarum Profeſſoribus! Paullo poſt, anno ſecundo et viceſimo, eundem laborem Franciſcus Aſulanus ſuſcepit, qui, vt ipſe ait, Iuſtinum diligentiſſime caſtigatum emiſit octonis. Ea diligentia fuit in eo poſita, vt contenderet libros vel ſcriptos, vel editos antea, ex iiſque, quae optima ipſi lectio viſa eſſet, eam reciperet, quaedam etiam e coniectura corrigeret. nam vidi, lectiones huius editionis, cuius vſum nobis inſignis humanitas Ioecheri noſtri, Viri ſumme reuerendi, quod gratus agnoſco, conceſſit, multis in locis non diſcrepare a lectionibus Codicum ſcriptorum, quae in aliis editionibus non habeantur **. vnde quis dubi-*

* Titulus eſt: *Iuſtini Epitome* (cum Floro et S. Rufo) *impreſſit Chalcographus fideliſſimus Antonius Auſſurdus impenſis Ioh. Parui.* Lutet. Pariſ. A. CIↃIↃXVIII fol. Epiſtolam Daneſii ad Auſſurdum totam inſeruit Annalibus Typographicis [To. II P. I p. 85] Metarius. Ignorant hanc editionem editores Iuſtini recentiores omnes. De Bongarſio tamen non ita expedita res eſt.

** Vid. XI, 4. 5 et 14. 2 et 15. 7. XII, 2. 12 et

tet, quin Asulanus vsus sit libris scriptis? Sed quum multas etiam lectiones sequutus fuerit, quae iam in exemplum editionis Venetae*, aliarumue, receptae inueniantur: nonne veri simile videatur, eum, vt hanc, ita et alias fortasse editiones antiquiores, adiisse? Quod autem lectio huius editionis nonnunquam a lectione omnium librorum cum scriptorum, tum editorum, recedit, sed proxime tamen ad eam accedit**, propterea suspicari licebit, Asulanum nonnulla sponte atque ex ingenio emendasse suo, dum reperti fuerint libri, in quibus eaedem lectiones extent, et qui ab illo, tanquam quaedam Apollinis oracula, de perplexis et obscuris interrogati videantur. Ex hac Asulani editione suam deriuarunt propemodum totam Iuntae triennio

et 5. 5. XIIII, 6. 3. XV, 2. 1 et 3. 8. 15. XVI, 2. 1 et 3. 7 et 4. 8. XVII, 2. 9. 15. XVIII, 1. 1 et 2. 6 et 5. 15 et 6. 5 et 7. 1. 2. XX, 2. 4 et 5. 13. XXIIII, 6. 6 et 8. 16. XXVII, 1. 2. XXVIII, 3. 3. 8. XXXI, 4. 8. XXXV. 2. 1. XXXVI, 3. 6. XXXVII, 3. 4 et 5. XXXVIII, 2. 8 et 5. 5. 7. XXXVIIII, 1. 3. XXXXII, 5. 1. XXXXIIII, 3. 5 et 4. 2 etc.

* Vid. II, 15. 2. 9. III, 3. 4 et 6. 5. IIII, 2. 4 et 5. V, 1. 3 et 2. 3. 13. XI, 5. 3. 6 et 6. 8. 9. XVIII, 4. 9 et 5. 7. XXXVIII, 9. 9 et 10. 2. XXXVIIII, 3. 7 et 5. 4. XXXXI, 5. 2. XXXXII, 2. 9 et 4. 2. XXXXIII, 1. 13 etc.

** Ita v. c. XX, 5. 12 in MSS. *proditionis eius damnatur.* nullo sensu. Sed in Ald. legitur *proditionis* reus *damnatur.*

*nio post, locis tamen aliquot exceptis *, vbi reliquerunt Aldinam, ita vt eos aut aliis libris vsos esse, aut coniecturam sequutos, oporteat. Certe laudes, quibus Graeuius etiam cumulat, nec immerito, Iuntinam, saepe Aldinae debentur: quod quidem mirandum est eo minus, quia Aldinam non viderat Vir summus, vti nobis Iuntinam non contigit inspicere. Sed e lectionibus nonnullis, quas Gronouius nepos attulit, quas Graeuius non commemorat **, quis non suspicetur, eam ab illo non totam cum libris aliis comparatam esse, neque semper laudatam tum, vbi lectionem Vulgata deteriorem exhiberet? Georgius Maior, qui proximus a Iuntis Iustinum ita edidit, vt lectionis rationem haberet; de Ioh. Sichardi enim labore, quem Modius et Berneccerus valde laudant ***, mihi nil constat;*

* Vid. I, 3. 6 et 4. 12 et 6. 10 et 7. 15. II, 4. 10. 23 et 6. 9 et 8. 1 et 9. 13 et 10. 1. IIII, 1. 16. V, 3. 6. VI, 6. 3 et 8. 5 et 9. 4. VIII, 1. 14. VIIII, 1. 7 et 2. 6 et 6. 3. XI, 4. 5. XII, 8. 9. XIII, 1. 8 et 6. 3 et 7. 10. XV, 1. 6. XVII, 2. 1. XVIII, 7. 18. XX, 4. 5. XXII, 6. 9. XXIIII, 6. 6 et 8. 2. XXVI, 1. 5 9 etc.

** Vid. v. c. XII, 8. 15. XVIII, 1. 1 etc.

*** V. c. ad V, 9. 10. Prodiit Iustinus cum Sichardi Maiorisque notis Basil. apud Barthol. Vesthemerum A. CIↃIↃXXXVIII octonis. Quae Sichardi notae an diuersae sint a Commentariolo, quo instructus eadem in vrbe A. CIↃIↃXXXVIIII ex officina Insingrinia quaternis exierat, nescio.

*nullos ille quidem libros scriptos consuluit. nam Codices et exemplaria, quibus se dicit vsum esse, libri editi fuerunt: quos ita adhibuit, vt collectas e singulis optimas lectiones reciperet, reliquas in margine poneret cum quibusdam, sed perpaucis, coniecturis propriis. Quam operam a Maiore in recognoscendo repurgandoque Iustino positam ipse Philippus Melanthon, at quantus Vir! in epistola ad Christophorum Stalbergium vehementer praedicat *. O! si vel hoc Maioris exemplo omnes Theologi mouerentur, vt Criticae arti, verae interpretationis vt omnium librorum, ita et diuinorum, primo vnicoque propemodum praesidio, plus studii tribuere inciperent, neque eam et ipsi contemnerent, et alios vel auocare, vt fit, et dehortari ab eius studio conarentur, vel ob illius scientiam impietatis accusare impotentes insolentesque sustinerent: sed quis, quaeso, aestimet magni ea, quae ipse non teneat? quis non abominetur artem, quam ipse discere diffidat? in primis si sit a quaesticulis segregata, neque famam popularem, magnum hercle insciliae solatium, excitet? quam multos doctores, Melanthonis et Maioris similes, populares nostri essent nacturi, qui sacras litteras non ex suo ingenio nugisque*

* Legitur illa in editionibus Iustini, quae cum notis Ge. Maioris prodiere Hagenoae A. CIↃIↃXXVI et A. CIↃIↃXXXIII quaternis: e quibus expressa fuit Colonienſis A. CIↃIↃXXXXVIIII, octonis, qua nos vsi sumus.

*que philosophicis, sed e legibus Grammatices linguarumque indole, interpretarentur: qui non de veritatibus caelestibus et magnis, quae nullae sunt, quas Grammatici et Critici, impii scilicet homines, aeternoque, quod deus prohibeat! exitio digni, ignorant, inepti somniarent, sed de dogmatis decretisque sectae Christianae, quae sola norunt miselli Grammatici, cogitarent, et differerent eleganter scriberentque polite, et ita, vt ab omnibus, non tantum a suis simiis et psittacis, intellegerentur facile, et libenter legerentur *! Sed obe! iam satis est querelarum! Illuc reuertor. Non solum Maioris, sed omnium omnino superiorum editorum Iustini, diligentiam longe superauit Iac. Bongarsius, ita vt cum Fabro ** vere dici primus Iustini seruator, et cum Berneccero *** vnicus eiusdem sospitator, possit. Hic non modo libros scriptos decem, editosque tres cum scriptis collatos, vt supra demonstrauimus, consuluit, et ad eos ipsum verborum*

(b) 5 *con-*

* Cic. Tusc. I, 3 de suae aetatis philosophis: *Fieri potest, vt recte quis sentiat, et id quod sentit, polite eloqui non possit. Sed mandare quenquam litteris cogitationes suas, qui eos nec disponere, nec illustrare possit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit, praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt.*

** Vid. ad XXVII, 3. 12 extr.

*** Vid. ad verba praefat. *ad te non tam* etc.

*contextum recensuit, diuersitatemque lectionis reliquam in peculiarem libellum coniecit, in quo quid reprehendendum videretur, ante ostendimus: sed animaduersiones quoque adiecit, in quibus coniecturas multas egregias protulit. Quae quidem omnia formulis tam accurate sunt, tam eleganter, descripta, vt nihil accuratius hoc in genere, nihil elegantius, viderim. Cauit vero, qua erat sapientia, diligenter Bongarsius, ne reciperet quidquam, quod non confirmari vidisset librorum veterum auctoritate, ita vt etiam ea, quae in vno tantum libro, neque eo optimo, reperisset, vncinis coërceri iuberet. Caeterum editionum illarum, de quibus exposuimus, fere nullam, neque Mediolanensem, neque Parisiensem, neque Aldinam *, certum est ab eo consultam fuisse. multae enim, et in his perquam bonae, lectiones ibi extant, quae ille non attigit: quod, si eas inspexisset, quis credat eum in hac summa sua diligentia commissurum fuisse? Haec igitur Bongarsiana editio ita omnibus*

* Vid. v. c. XXIIII, 2. 2 et 8. 16. XXV, 1. 5 et 2. 8. XXVIII, 1. 10 et 11. XXXI, 5. 6. 9 et 6. 6. XXXII, 1. 5. XXXVII, 2. 7. XXXVIII, 9. 7 et 10. 2. XXXVIII, 3. 1 4. XXXXI, 1. 6 et 5. 10. XXXXIII, 2. 10. Sed vsus est Veneta, aut alia, ex ea expressa: vid. XXXVIII, 8. 2. 3. et 9. 9. XXXXI, 1. 9. XXXXII, 3. 6 et 5. 1. XXXXIII, 2. 8 et 3. 5. 9 et 4. 6 et 5. 11. XXXXIIII, 1. 7 et 4. 9: et praeter eam aliis, a nostris diuersis. Vid. XXII, 2. 11 et 6. 12. XXV, 2. 5 et 4. 5. XXVI, 2. 4 XXVII, 2. 3. XXVIII, 3. 10. 16. XXXXII, 4. 2 etc.

omnibus, summo suo merito, probata est, vt qui Iustinum posthea vellent denuo edere, eam fere sequendam censerent: quorum quidem principes, age, commemoremus. Primus autem fuit Franciscus Modius. Hic enim non ita multo post *, eodem saeculo, Francofurti a Ioh. Vechelo recudi duodenis curauit exemplum editionis Bongarsianae totum, ita tamen, vt locis quibusdam ** lectionem paullo aliter constitueret, propriasque animaduersiones adderet, in quibus lectiones in primis librorum Fuldensium laudat, coniecturasque quasdam non contemnendas proponit. De Elia Vineto, Victorino Strigelio, Dan. Pareo, Theophilo Cangisero, qui decem libros priores notis illustrauit, non est quod hic multis dicamus, quia, expresso Bongarsii exemplo, non tam Critices, quam historiae, rationem habendam censuere. Sed Matthias Berneccerus quanquam et ipse Bongarsii textum fere seruauit, tamen cum e sui, tum e Freinshemii, ingenii thesauris multa depromsit, quae ad diiudicandam multorum locorum lectionem genuinam facerent. Adiecit etiam verborum formularumque indicem copiosum, a Freinshemio confectum, et libros singulos in capita, haecque in sectiones minores, descripsit; quae descriptio

* Nos vsi sumus edit. A. CIↃIↃLXXXXI. Edit. Bongarsiana ipsa prodiit Paris. A CIↃIↃLXXXI octonis.

** V. c. I, 10. 1 *principum*: ibid. 6 *Hystaspis*: ibid. 15 *Zopyrus*: II, 1. 20 *tot saeculorum*: ibid. *nihilominus coli, nisi - non posse videri - vltimam - sine ex aggerationibus* etc.

descriptio multis posteriorum editorum Iustini, vt Graeuio, Vorstio, Scheffero, Gronovio, tam vtilis lectoribus, et tam opportuna, visa est, vt eam retinendam putarent. Post Berneccerum, cuius editio aliquoties superiori saeculo Argentorati repetita fuit, de Iustino bene meriti sunt Boxhornius et magnus ille Isaacus Vossius. Illius notae, vix quartam vnius plagulae partem complentes, continent coniecturas varias, lectionesque libri scripti Leidensis, de quo supra memorauimus. Vossius autem in suis annotamentis, paullo vberioribus illis, multa in primis loca restituit, egregieque illustrauit, vbi de populis antiquis, vrbibus, aliisque id genus rebus, exponitur. Vterque, quod ad ipsum textum Iustini attinet, Bongarsianum exemplum sequutus est, vt deinde Thysius quoque et Schreuelius. Graeuius vero, in cuius editionibus Breuiaria capitum primum reperi, non modo Iustinum luculento Commentario instructum emisit, sed, praeeunte in primis editione Iuntina, cui, vt vidimus, plurimum tribuit, reliquit saepe Bongarsium: nusquam tamen temere et sine caussa. Commentarius eius separatim prodiit ter **: verum anno primo huius*

* Eius editio prima exiit Amstel. A. CIↃIↃCXXXVIII duodenis: altera A. CIↃIↃCXXXXIII. Vossiana Lugd. Bat. A. CIↃIↃCXXXX duodenis, ex officina Elseuiriana.

** A. CIↃIↃCLXVIII: A. CIↃIↃCLXXXIII: A. CIↃIↃCLXXXXIIII

*huius saeculi etiam adiunctis reliquorum interpretum notis. In his neque Faber, neque Vorstius, accessit ad recensendum Iustinum Codicibus scriptis adiutus, neque editiones antiquas principes ipsi consuluisse videntur. Sed vterque tamen, quod non est negandum, multis obscuris locis plurimum lucis attulit, nisi quod Faber nonnunquam, de more suo *, nimis audax in coniectando fuisse videri possit; laudandus tamen in eo, quod de coniecturis illis fere nullam receperit. Vorstius praeterea indicem quoque verborum, quem a Freinshemio compositum memorauimus, altero propemodum tanto pleniorem redditum suae editioni subiecit. Sed audacia libidineque emendandi et corrigendi, quae praua et vitiosa non essent, omnes facile vicit Ioh. Schefferus, Vir caeteroquin longe doctissimus, sed in coniecturis faciundis parum felix. voluit enim Iustinum ita cogitare et scribere, vt se: quomodo hodie multi diuinos scriptores vocabulis eas notiones subiecisse putant, quas iis subiicere didicerint e Lexicis diobolaribus, aut etiam e Compendiis philosophicis, et Systematis Theologicis. Facilis sane, sed etiam perquam periculosa et incerta, ratio emendandi et interpretandi scriptores veteres, quae saepius cogat retractare dicta, quae*

* Vid. Perizonius ad Aelian. V. H. XIII, 13, et Burmanus ad Phaedri fabb. p. 223 ed. mai. Editio Fabri ipsa exiit Salmurii A. CIↃIↃCLXXI duodenis: Vorstiana Lipsiae A. CIↃIↃCLXXIII octonis: Schefferiana A. CIↃIↃCLXXVIII octonis.

quae peritis vt ſtomachum faciat ſemper, ita et cachinnum moueat interdum. Caeterum et index vocabulorum huic ipſi Scheffero magnam incrementorum ſuorum partem debet. Sed poſt Bongarſium Modiumque et Graeuium, quid enim de Canteliis, Iunqueriſque, et eorum ſimilibus, dicam? optime omnium mihi quidem videntur de Iuſtino meriti eſſe Britani, nominatim Oxonienſes, apud quos Tho. Hearnius eius libros denuo ad Codices ſcriptos quatuor diligentiſſime, vt ex addita varietate lectionum patet, recognouit: quam tamen editionem mihi videre non contigit. Poſt Oxonienſes maxime laudabilem operam in recenſendo Iuſtino Gronouius nepos poſuit: qui quibus inſtructus copiis negotium illud aggreſſus ſit, iam ſupra commemorauimus. Sequutus eſt Graeuianum exemplum, ita tamen vt non ſolum indicem verborum collocupletarit multum, ſed etiam, praeter ſuas, aui ſui notas addiderit, Graeuiique lectionem paucis in locis deſeruerit. Tandem Pe. Burmanus, Vir ſummus, Luchtmani librarii rogatu, minorem editionem Iuſtini duodenis, anno huius ſaeculi ſecundo et viceſimo, adornauit: in qua textu Graeuii fere ** ſeruato, adiecit*

* A. CIↃIↃCLXXIIII, et A. CIↃIↃCCV octonis. Gronouiana prodiit Lugd. Bat. A. CIↃIↃCCXVIII. Recedere eam interdum a Graeuiana, apparebit e XII, 8. 11. XVII, 2. 15 et 3. 17 et 4. 1. XVIII, 1. 1 et 4. 3

** Nonnunquam vidimus illum ab eo relictum eſſe: vt XXII, 4. 1. 5 et 5. 1. XXVIIII, 2. 6. XXXXI, 2. 8. XXXXIII, 4. 8 etc.

adiecit lectionis varietatem e libris cum scriptis, tum editis, quibus priores Iustini interpretes vsi erant: de cuius instituti vtilitate pluribus in praefatione aureola exposuit. Sed multa ibi, operarum maxime culpa, errata irrepsisse, nemo, nisi qui nunquam se in eiusmodi labore exercuerit, mirabitur. Atque haec etiam de Editionibus Iustini dicenda nobis visa sunt hoc tempore; quem multi praeterea Viri docti alii in suis libris aliud agentes, veluti Acidalius, Glareanus, Gronouius auus, Peyraredus, Salmasius, Sebisius, et reliqui, emendare atque illustrare conati sunt. Restat igitur, vt breuiter de nostra hac editione dicamus, si ante quaedam de Prologis historiarum Philippicarum Trogi exposuerimus*

Ii autem sicuti non in omnibus libris Iustini scriptis reperiuntur, ita eos nec in editionibus omnibus e Codicibus eiusmodi ductis extare, per se intellegitur. Ante Bongarsium quidem a nemine editi erant. cui quum contigisset, vt illos in omnibus suis Codicibus inueniret, ita quidem vt in vno singuli libris singulis Iustini, argumenti loco, praemissi essent; in reliquis Iustino ipsi praepositi vniuersi: edidit eos inde

* V. c. II, 8. 1 *deserti* pro *diserti:* II, 10. 3 *asserebat* pro *asserebat:* XI, 12. 5 *tum centum* pro *centum:* XVIII, 5. 13 *bubuli* pro *bubali:* XVII, 6. 12 lectio *scelerum* pertinet ad τὸ *scelere*, non ad τὸ *sacrorum:* XXXI, 2. 3 *seruatus* pro *obseruatus:* XXXVIII, 5. 10 *vltioni* pro *vltimi* etc.

de, sed, vt ipse fatetur, ita deprauatos et vulneratos, vt vllam iis medicinam adhiberi posse, paene desperaret. At non modo tamen Bongarsius ipse, et deinde Modius, porro Freinshemius, mox Vossius et Vorstius, vulneribus eorum mederi aggressi sunt; sed omnia omnium conata superauit hic quidem, sine vlla controuersia, opera Longeruaei, Abbatis, adiuti a Montefalconio, tum in Italia commorante, trium Codicum, duorum Vaticanorum, vnius Maximiani, lectionibus. Eius Viri notas idem Montefalconius, quem et quartum Codicem Venetiis in aedibus Trevisanis vidisse, sed non contendere cum Vulgatis, aliis tunc negotiis impeditum, potuisse nouimus, primo Diario Italico ad calcem inseruit: vnde transtulit deinde eas in suam editionem Gronouius nepos. Etiam Britanos e suis libris lectionis diversitatem ad Prologos edidisse cognouimus: qui si genuini sunt, de quo vix dubitari posse videtur, facile appareret, quam multa a Iustino, epitomatore, omissa fuerint. Iam sequitur, vt de nobis, nostraque opera qualicunque, dicamus

Vendiderant inde ab initiis huius saeculi vsque adhuc, magno cum fructu emolumentoque suo, in ea taberna, in qua haec nostra iam editio, vtinam pari successu! venit, exemplaria eius, quam Iunquerus notis puerilibus, Minellii exemplo, commaculatam deformatamque emiserat. Ego vero quum facile praeuiderem, eae quisquiliae, vt summus Burmanus verissime

appellat,

appellat, et nugae si recoquerentur denuoque apponerentur, quanto dedecori litteris, quantae ignominiae Germaniae, forent, quantum essent ipsius librariae existimationem apud peritos omnes imminuturae; quum diuenditis exemplaribus Iunquerianae editionis rogabar, vt adornarem, et nomine quidem edito, nouam: ostendebam, quam periculosum illud mihi omni ex parte videretur; sed et mihi, et librariae, affirmabam fore in primis honorificum, si, oppressis et reiectis Iunqueri notis, earum loco adderentur aliae, non meae, qui nil in promtu haberem, quo lucis aliquid, Iustino affunderetur, praesertim post tantos Viros, qui ante me in eo etiam perpoliendo elaborassent, verum profectae a Viro, cuius doctrinae tribuerent, tribuissentque semper plurimum eruditi omnes, et quibus ad Criticen, omninoque ad veram rectamque interpretandi scriptores antiquos rationem, linguae Latinae tirones mature, veluti manu, ducerentur. Quae quum is, qui tabernae librariae praeest, audiuisset, statim arripuit consilium, neque se tantam quaesticulorum rationem habere solere, vt existimationem neglegeret, confirmabat. Sentiebat enim aliter, ac nuper ille, qui, oblata Euripidis Hecuba, vociferabatur, se animum inducere non posse, illam formulis describi, suo sumtu, curare, quod liber nimis doctus esset, qui a perpaucis hac quidem aetate legeretur, legiue ita posset, vt intellegeretur. volebat nempe homo fabulas Aesopias, spirituales-que Odas et Theologicas Bibliothecas, sit

venia verbis, redimere, quae etiam a mulierculis, earumque similibus, et ab iis, qui pristinam vellent barbariem in scholas reducere, auide iusloque maiori pretio emerentur. Ego igitur quum semper censuissem; qua in re mihi confido assensuros esse omnes intellegentes; Graeuium fuisse Camerarii mei Gesnerique et Ernestii simillimum, hoc est, eum, cui in senatu nostrae ciuitatis sententiam dicere licuisset, non pedarium, qui omnes boni interpretis numeros, etiam in Iustino enarrando, implesset, id est, qui, constituta e legibus Critices lectione vera, obscura illustrasset, impedita expediuisset: eius animadversiones verborum contextui subiiciendas statui, ita tamen vt iis adiicerem, tanquam auctarium haud contemnendum, Ioh. Frid. Gronouii notas quamuis paucas, tamen summi huius Critici diuina doctrina dignissimas. Vnde intellegebam necesse esse, vt verba Iustini ipsa recenserentur ad exemplum Graeuianum: sed quia Iunquerus, cuius editionis exemplum mihi traditum fuerat a librario, exprimi iusserat textum Bongarsii, quod ego non animaduerteram statim; factum est partim mea, partim eius etiam culpa, cui mandaueram primo hoc negotium, vt in prioribus maxime plagulis lectiones Bongarsiani exempli multae remanerent: quae loca tamen ad calcem libri inuenies, lector, fideliter annotata. Caeterum scito me recensuisse Iustinum ad Graeuianam editionem postremam, qua, ipso Graeuio auctore, nulla melior est; collatis tamen

etiam

etiam reliquis. Vt autem noſtra haec editio haberet, quo a ſuperioribus editionibus diſcerneretur, Prologis non minus adiungere viſum eſt lectionis diverſitatem, coniecturaſque Virorum doctorum, quam libellum, quo variae ipſius Iuſtini librorum lectiones continerentur. Et in hunc quidem libellum non modo conferre placuit lectiones Codicum Bongarſii, Gronouii, Britanorumque ex editione Burmaniana, ſed locupletaui illum etiam lectionibus Editionum veterum, de quibus ſupra expoſitum eſt, vt Mediolanenſis, Pariſienſis, Venetae, Aldinae, Colonienſis ſeu Maioris, et Bongarſianae: quos libros omnes totos inter ſe comparaui, opera quorundam amicorum eo in negotio adiutus: e quibus cum paternae in me liberalitatis, tum familiaritatis veteris cauſſa laudandus mihi eſt doctiſſimus Iuuenis, Ioh. Chriſtianus Schmidius, Lipſienſis, non modo Iuriſprudentiae, ſed et humanitatis litterarum, raro hodie exemplo, ſtudioſiſſimus: et Segifredus Ad. Gotlo. Bergerus, Cremenſis, humaniſſimus Iuuenis, qui et ipſe cum ſtudio Theologiae politiorem humanitatem laudabiliter coniungit. Id vero vt faceremus, impulerunt me ea, quae Burmanus de vtilitate talis inſtituti praeclare et intellegenter diſputauit in ſua Praefatione: qua, maxime minutiarum iſtiuſmodi contemtorum eruditorumque opificum cauſſa, editionem noſtram ornandam eſſe cenſui. Deinde vt et eo cupiditati ſtudioſorum harum litterarum ſatisfacerem, laboremque

eorum meo subleuarem, coniecturas Virorum doctorum, quas reperire potui, collegi, longe plures earum indagaturus, nisi operae ob mercatum instantem nimis festinassent. Ante Indicem denique verborum, quem e Graeuiana editione eo transtuli, Dresigii epistolam super locis aliquot Iustineis inuenies, lector; quam ideo duxi non omittendam, ne, quod satis constat commune et triste fatum omnium eiusmodi libellorum esse, interiret, si ea forte futurorum Iustini editorum aliquis uti vellet. Ego quidem laborem hunc omnem, molestiorem certe, quam putent imperiti, magnos mihi fructus tulisse existimabo, si cognouero, tibi, lector, conata mea tironum studia iuuandi, eosque ad veram solidamque doctrinam, non ad populalarem illam et superficiariam, mature adducendi, placere. Vale. Scripsi Lipsiae in Schola Thomana prid. Nonas Apriles a C. N

CIↃIↃCCLVII

LECTORI

LECTORI AEQVO ET BENEVOLO S. P. D PETRVS BVRMANVS

Plus nocuisse doctrinarum studiis, quam profuisse artem, quae libros veterum, olim manibus describendos, typis exprimere docuit, saepe querentes audiui et legi. Laborem quoque et industriam ab eo tempore multum imminuta fuisse, et faciliorem apparatum et instrumenta eruditionis magis obuia et parabilia desidiae maioris caussam dedisse; minorem, ob facilitatem, interioribus litteris eruditorum prouentum post multiplicata antiquorum voluminum exemplaria fuisse, multi existimauerunt. Cum enim felici fato barbaries politioris doctrinae ope depulsa esset, et litterae per aliquot secula contemtae, in Italia et reliquis deinde Europae partibus recolerentur, artis typographicae beneficio omnibus ad eas aditus factus fuit, et historicorum, oratorum et poëtarum, quae Bibliothecae olim monasteriorum et templorum claustris suis occultabant, opera vulgata et communia esse inceperunt. Ita vt, quae olim paucis sepositа esset eruditionis laus et gloria, cum omnibus communicata videretur. Sed crescente eorum quotidie, qui eruditionis laudem affectabant, numero, desiderari etiam librorum ab antiquis proditorum, maior multitudo coepta est, et auide ab omnibus minori, quam solebat, pretio comparatis, qui edebantur typis, voluminibus, bibliothecas vnusquisque sibi instituere

coepit. Et cum primi officinarum librariarum inſtitutores exiguum modo codicum numerum producentes vix explere ſtudioſorum vota poſſent, alias ex aliis editiones iterari gloriae ſimul et lucri cupido ſuadebat. Cum etiam ſcholae et gymnaſia, quibus aetas prima ad humanitatem informari ſolet, maiori diſcentium frequentia celebrarentur, et nugaces monachorum libelli eiecti locum feciſſent optimi et antiqui aeui ſcriptoribus, multiplicata quoque minoris formae et molis volumina in eum modum fuerunt, vt nullis fere ex auctorum priſcorum numero, quos ſuperſtites nobis fecerat communis rei litterariae celamitas, copia deſideraretur. Cum vero primae editiones, non ad alia, quam manuſcriptorum codicum exemplaria excudi poſſent, infinitis mendis deturpatae prodibant, et ſenſum auctoris monſtruoſis deprauatae lectionis vitiis vix indagandum et explicandum exhibebant. Quare Criticorum opera deſiderari coepta; et vndique conquiſitis antiqui aeui exemplaribus emendatiores in vulgus edere codices inſtituerunt Aldi, Frobenii, Gryphii, Stephani, et in eorum induſtriae laudes ſuccedentes alii typographi, per omnes Europae politioris partes officinas aperuerunt. Sed vt omnia recte et egregie a principio inſtituta, ita quoque in litterarum incrementum et ſalutem excogitatam artem, ſequentium auaritia et quaeſtus cupido corrupit. Cum enim principes illi in typographica arte viri nullas fere proderent, niſi ex doctiſſimorum conſilio, et eorum opera emendatas editiones, (qua laude plurimae Aldorum et omnes fere Stephanorum editiones ſunt inſignes) caeteri in paratam hanc et expoſitam gloriam inuolauerunt, et ad verbum priores editiones exprimentes, et men-

mendarum numerum multiplicantes, eas sordes nobilissimae huic arti induxerunt, vt eruditis iterum, ad eas eluendas, ad manu exaratos codices fuerit recurrendum, et ita laboris ingrati, quem videbatur priorum industria sustulisse, conferendi codices antiquos pariter et recentiores, non modo non gratia facta, sed necessitas multo maior sit imposita. Hinc cum dispersi per totum orbem exiguo olim numero codices, sub artis vtilissimae initiis editi, cura ingenti et studio conquiri ab eruditis inciperent, tantum illis accessit pretium, vt hodie fere melius manu exarati, quam primis typis descripti libri comparari possint: et cum pecunia et diuitiis raro ita abundare soleant eruditi, vt tam insanum, quo hodie venduntur, pretium efficere queant, iam nihil magis ad eorum studia et desideria accommodatum esse potest, quam vt nouae editiones, si quae instituantur, ea exhibeant, quibus antiquae illae censeri merito possint. Et cum vnica priores illas consulendi et euolvendi causa sit eruditis, vt videant, quid a posterioribus nouatum et immutatum fuerit, hinc certe gratissimae illae editiones esse debent, quae omnium fere, quae aliquo in pretio habentur, varietates et discrepantes lectiones oculo simul exponant. Quare cum nouam minoris formae editionem Iustini desiderari, et in iuventutis studiosae commodum se id operis suscipere velle, mihi diligentissimus ostenderet Luchtmannus, et simul consilium de ratione, qua id administrare optime posset, expeteret, auctor illi fui, vt noua etiam dote hanc, si posset, exornatam editionem lectoribus commendaret. Et cum nuda modo, sine notis aut commentariis, verba scriptoris, exiguo modo, vt facile circumferri ab eruditis, et simul puero-

rum et iuuenum vsibus aptari posset, vellet exhibere, ostendi rationem, qua et scholasticae vtilitati satisfacere, et simul ab eruditis gratiam non exiguam inire posset. Institutum ergo doctissimorum virorum, qui variantium lectionum libellos adiecerunt editionibus suis, laudaui, et simul Anglorum exempla esse imitanda dixi, qui plurimas nitidissimas, non alio nisi variarum lectionum ornamento commendatas, nobis veterum scriptorum editiones prodiderunt, et a calce libri retractas singulis paginis subiectas codicum scriptorum et editorum dissensiones ostenderunt. Si enim vera rem ipsam ratione velimus expendere, nihil vtilius et ad studia omnium minimo sumtu et labore profliganda accommodatius excogitari potest. Cum enim nec vnicuique contingere possit, magno codicum numero pluteos implere, aut per omnem Europam thesauros publicarum et priuatarum bibliothecarum excutere; nec etiam temporis et laboris in conferendis libris iacturam facere multis lubeat; quod gratius, aut fructuosius dari munus potest, quam quod pecuniae et laboris immensi lucrum et compendium adferat? Praeterea non alia magis parte peccare curatores quotidianarum editionum videmus, quam quod sine vllo vsu veterum membranarum, aut olim editorum codicum, quaslibet pro libidine et auaritia Typographorum iterare et renouare sustineant. Desideretur modo in officinis eorum hic vel ille scriptor, statim ad manum est nescio quis paedagogus vel semidoctus, qui, vt a prioribus noua aliquid differat editio ex Thesauris, Lexicis, et infelicium ingeniorum adminiculis, notas quasdam corradit, easque non ex vsu studiorum, sed ex typographi rudissimi, et tantum lucrum venantis, praescripto, aut etiam

ex

ex cuiuſcunque, in quem incidit, conſilio et iudicio concinnat, vitia priorum editionum geminat, et ineptis notis margines onerat. Hinc obrutos fere et gementes ſub onere notarum veteres querimur ſcriptores, nec tam Scaligerorum, Caſaubonorum, Gronouiorum, Graeuiorum et ſimilium commentariis (quales nunquam nimis multi eruditis, qui otio litterato et ſtudiis ſeſe totos conſecrarunt, dari poſſunt,) illuſtratos, ſed obſcuriſſimorum hominum Farnabiorum, Minellorum, et qui horum veſtigia etiam aperte hodie in Germania et alibi premere ſe fateri non erubeſcunt, nugis et quiſquiliis commaculatos quotidie immenſo numero prodire videmus. Neque tamen inſanam hanc et obſcuram hominum nullius frugis diligentiam adhuc ſatisfacere illis, qui a ſtudiis ſcholaſticis remotam vitam agunt, et vel in rerum publicarum vel bellicarum adminiſtratione verſantur, vel etiam in ignobili otio conſeneſcunt, audimus; qui quotidie eruditis occentant, requiri adhuc commentarios et notas (turpiter enim ſe dediſſe, qui in vſum Delphini tot chartas conſpurcarunt, tandem fateri coguntur) quae tam facilem veterum lectionem omnibus, etiam occupatiſſimis et leuiſſime litterarum ſtudio imbutis, faciant, vt aeque aperta Latini ſcriptoris verba appareant, ac ſi vernacula legerentur. Quo poſtulato nihil abſurdius, et magis ad euertenda, ſi quae ſuperſunt, omnia antiquitatis ſtudia, excogitari poſſe puto. Hoc enim mihi dandum eſſe iure poſtulo, vt linguae et ſermonis, quo auctor vſus ſit, peritus ſit lector, et aliqua doctrinae parte tinctus; neque ille ab editore expetat aut exſpectet, vt quotieſcunque noua veteris auctoris editio prodeat, obuios verborum, et locutionum ſignificatus, et qui in omnibus, Lexi-

cis reperiri possunt, ad fastidium repetat: aut vt Minelliana et puerili ambitione verba etiam tyronibus intellecta, aliis idem significantibus, sed vim et elegantiam minorem habentibus, explanet: aut Goralliana stultitia ad geminandam inutili pondere molem libri, paraphrases verbis auctorum opponat. In quem enim vsum, quaeso, tot noua Lexica et Vocabularia, quorum etiam numero et pondere obruimur et premimur, simul expetunt politi illi homines, si ex illis iterum iterumque eadem ad singulorum scriptorum verba adscribi iubeant. Quid iniquius, quid stultius, quam ab eruditis exposcere omnium scriptorum editiones, nouis commentariis exornatas, quae nihil tricarum criticarum, nihil molestae eruditionis, nullos certe ob vicinitatem verborum et rerum excursus contineant, sed qui Antiquitatis, Historiæ, Geographiae, Chronologiae, et caeterarum eruditionis partium capita ita plene et plane exponant, vt quicunque, etiam rudior et indoctior, quemcunque in manus sumit auctorem, tam facile intelligat, ac si prima vernaculae linguae elementa legat: et simul etiam magnis clamoribus flagitare Lexica vulgatis pleniora, quae nobis omnes antiquos ritus, leges, instituta et mores, omnium regnorum successiones et fata, situs et nomina locorum, nodos et scrupulos chronologicos, et reliqua omnia planissime exhibeant. Rogatos huius sententiae viros vellem, an, si improbi huius voti compotes essent facti, et talem sibi Lexicorum, et Thesaurorum congeriem parassent, hoc subsidio instructi petere a nobis desinerent omnium auctorum editiones, commentariis, quales desiderant, ex eorum praescripto exornatas; an vero contenti nudis scriptorum verbis ad eorum lectionem

ctionem et intelligentiam planam sibi iam viam esse factam crederent. An non fugientes laborem in tantae molis libris quaerendi ea, quae legentes morari possent, adhuc contendere perseuerarent, vt nos, quibus scilicet otii et temporis satis superesse solet, ex illis Lexicis corraderemus et auctorum verbis subiiceremus notas, ex his Thesauris depromtas, quae desidiae eorum et laboris fugae satisfacerent? Easdem, puto, querelas de difficili scriptorum veterum intellectu adhuc audiremus, neque Lexica, neque commentarii morosa illa explerent ingenia? nec maiores in antiquitatis cognitione profectus nos visuros confido. Si enim vera fateri, et se noscere vellent, non aliunde hunc eruditissimorum et in re litteraria principum, qui non alieno arbitrio notas et commentarios elaborarunt, contemtum et superationem sibi nasci sentirent, quam quod in iuuentute omnem studiorum ordinem perverterint, et ipsa fundamenta, quibus omnium, quaecunque sunt, scientiarum consummatio innititur, facere neglexerint, et vel parentum auaritia, aut ambitione eas doctrinae partes praeterueeti sint, quae aditum et viam facilem ad reconditiora et graviora studia aperuissent; iam vero viri facti, et muneribus publicis admoti, se cum pudore et ignominia nudos earum rerum esse videant, quibus etiam pueri et tyrones, qui seuera lege proficiunt, instructi conspiciuntur. Cum tamen necessariam et honorificam etiam qualemcunque esse eruditionem sentiant, sero iam ad principia humanitatis et doctrinae clam et sine magistro regredi, et ad carceres stadii, quod olim decurrere debuerant, redire vellent. Hinc tractare et resumere quosdam auctores, quos olim abiecerunt,

runt, cum incipiunt, pudore secreto confunduntur, quod destituti omni doctrinae apparatu, nullum Latinae etiam linguae vsum, cuius ne maiorem quidem nunc in tanta litterarum luce intelligentiam, quam olim in spississima barbarie monachi habere solent, sibi adesse experiuntur. Et tamen veteris memoriae antiquitates, rerum gestarum, regnorum ciuitatiumque fata et ordinem, ritus et cerimonias sacras, ciuiles et militares, sibi subito infundi desiderant, et tam faciles sibi scriptores priscos in manus dari a nobis postulant, vt videri possint, omnes eruditionis partes cum cura olim pertractasse. Accedit his omnibus peruagata hodie totam Europam insania et morbus, quo instructissimas domi suae bibliothecas parare instituerunt primarii, et honoribus et dignitate illustres viri, qui cum splendore et magnificentia reges et principes aequare, vastissimas substructionum moles excitare, et ampliſſimarum aedium membra ornamentis regalibus illustrare dum cupiunt, nullam satis domum bene instructam esse putant, nisi ingens et infinita libraria supellex spectatores in ingenii et elegantiae admirationem rapiat. Cum interim fatui et rudes domini inter tot millia librorum oscitantes desideant, et vix codicum inauratorum et delicatis fulgentium titulis indices enarrare queant. Conquirunt ergo sibi domesticos paedagogos, et, vt labentibus olim Romae seuerioris doctrinae studiis, in desidiam simul et luxuriem resoluti ciuitatis principes, Graeculos contubernales sibi adsciscebant, sic nostri Gallulis suis, multum amatis propter ingenii elegantiam, et adulandi exquisitum artificium, ordinandi bibliothecas, et ingenium acuendi prouinciam imponunt, qui ad omnia promti et parati,

plura

plura eos docere semper possunt, quam ipsi vnquam didicerunt. Hi omnem studiis nostris scabritiem et asperitatem dementes, nihil nisi politae et perfectae humanitatis politicis et militaribus viris opponunt, et tanta eruditionis mundae et elegantis opinione reges suos, quos sectantur et colunt, implent, vt facile nostratium opera carere, et morosam popularium contumaciam spernere possint. Hi omnem, qui hic in Scholis et Academiis impenditur iuventuti poliendae, laborem, non inutilem modo viris, qui in luce reipublicae versari debent, sed noxium, et ingenii et aciei mentis exstinguendae natum esse facile persuadent. Nos vero, ad plebis tantum, quae ab elegantia illa morum et studiorum longius adhuc remota est, filios corrumpendos, et ad Gymnasia publica, in quibus moribus et legibus antiquis elementa prima magno sumtuum et temporis dispendio, per ambages plurimas traduntur, deprauanda relictos, Sisypheos labores iterare, et infelices esse iubent. Antiquos vero scriptores criticis et inutili eruditione refertis commentariis oneratos in bibliothecarum quidem ornamenta esse coëmendos suadent, sed ad vsum Minellianas illas notas, paraphrases Gorallianas, et Regias in vsum Delphini editiones ingeniis magnis poliendis, et eruditione non vmbraticae, sed facillimae acquirendae vnice facere iactantes, infamare omnes doctorum virorum labores conantur. Sed relinquemus hos irato studiis Genio, et vitiosam hanc adulantium canum progeniem palatiis non inuideamus. Nos antiqui generis reliquias, si quae supersint, colamus, et prementes, licet non adsequamur, vestigia decessorum nostrorum in edendis veterum scriptis sectam integram literatissimorum virorum sequamur,

quamur, et in maxima felicitatis parte ponamus, quod nemini obnoxii, noſtris auſpiciis vitam agere, nec indoctorum arbitrio ſtudia et labores noſtros ordinare cogamur. Tyronibus, et qui ſeuera lege proficere volunt, nihil magis poſſe nocere, et eorum ſtudia corrumpere, quam ſi prima elementa litterarum, ex editionibus illis, de quibus modo egimus, addiſcere cogantur, nuper in Praefatione ad fabellas Phaedri, minori forma editas, oſtendimus; nec vnquam verae eruditionis guſtum habituros, qui inſipientium horum magiſtrorum chartis adhaeſerint, perſuaſiſſimum nobis eſſe etiam nunc profitemur. Quare vero hanc taedii plenam, nec laudis magnae capacem operam Iuſtino dederimus, breuiter exponendum eſt.

Hiſtorici ſtudii fundamenta et initia, recepta a longo tempore conſuetudine, ex Iuſtini lectione repetenda eſſe conſtat ſatis inter omnes. Quare nec negari poteſt intereſſe publice, vt huius ſcriptoris editiones nitore ſimul, et emendato verborum contextu, commendatae manibus tyronum verſentur. Quos, dum nuda, nullis ſcholiis aut gloſſis comitata verba, praeeunte perito magiſtro, explicare adſueſiunt, veram viam ad facillimum, non huius modo, ſed cuiuſcunque ſcriptoris intellectum ingreſſos eſſe per ſe deprehenſuros exiſtimo. Deinde vero, vbi maiores ſibi vires acceſſiſſe intellexerint, et plenioris eruditionis ſe capaces eſſe, editiones illas, notis et commentariis doctorum virorum ornatas, ſummo cum fructu et voluptate adhibere poterunt; ex quibus cum varia rerum et elegantiarum copia pectus impleuerint, poſtea puerilia illa ſubſidia deſideraturos nunquam promitto et ſpondeo. Tentent modo hanc diſcendi rationem, quicunque

quotidie

quotidie nobis obſtrepunt, et eam linguarum eruditarum, Hiſtoriae veteris, morum, legum, et rituum ſibi a praeceptoribus egregiis indui patiantur notitiam, quae ad reliquarum doctrinarum adyta viam aperiat, neque aegre ferant longioris temporis, in principiis addiſcendis moram; omnia prona et facilia deinde fore recipere audeo, neque vnquam, vbi firmata aetas et vſus fuere, querelas de obſcuritate ſcriptorum, aut penuria ſubſidiorum ex illorum ore me auditurum eſſe, mihi perſuaſum eſt. Non haeſuros ad obuia quaeque et expoſita eruditis, ſed feliciſſime ſe expedituros ex omnibus ſalebris et obſcuriſſimis antiquitatum receſſibus confido. Ad hoc iam conſequendum primam eſſe viam arbitror, tales editiones curare, et in manus tyronibus dare, quae vera ſcriptorum verba, non a librariis ſuppoſita et depravata, nec a typographis inquinata pudendis vitiis, exhibent. Fruſtra enim Iuſtinum, aut quemcunque, intelligere ſe credet, qui alterius, non ipſius auctoris verba legere conſueuit. Cum vero nec tyronibus facilis ſit emendandi ratio et ingratiſſimus etiam et moleſtiae plenus (certe inſuetis et imperitis) conferendi exemplaria, et ſingula verba et apices excutiendi labor, quantum non mercedis, quantum non gratiae promereri deberet, qui in hoc ergaſtulum ſe concludi, et inamoeno illo labore ſe exerceri et defatigari patienter velit. Quam non temporis iacturam, quod non taedium, (expertus loquor) quot non moleſtias, plurimorum codicum verſatio et variantium lectionum recenſus exhibet? Quantum curae et ſolicitudinis ipſa editionis, quae etiam ſine vllis notis, diuerſas modo ſcripturas in vnum collatas exhibet, procuratio adferat, pauci norunt. Quam ingens vero inde

de vtilitas et fructus ad eruditionis verae amatores redundet, soli, qui polito et limato iudicio interioribus operantur litteris, intelligunt. Licet enim delicatuli illi et elegantis eruditionis iactatores, criticen omnem cane peius et angue oderint et detestentur, secum tamen saepe eius necessitatem fateri, et erubescere coguntur, vbi illa se destitutos animaduertunt; neque tam facilis, vt multis, qui in haec sacra non initiati irrumpunt, videtur, emendandi scriptores veteres ratio est, quasi sola corporis contentione, et conferendi innumeros codices labore Critici nomen et laudem reportare quis posset. Immo vero acerrimam mentis aciem, et ingenii perspicaciſſimi vim requiri manifestum est; neque sola codices antiquos versandi consuetudo, aut scripturae et variantium per omne aeuum manuum diuersitatis peritia Criticum faciet: nisi enim ipsa naturae felicitas, et facillima veri perspicientia et sollertia, ad magnum antiquitatis et scriptorum vsum accesserit, non melior ex summa contentione animi et corporis Criticus, quam ex duro et laboriosiſſimo rustico vrbanitatis limatae, et politiae colore tinctus ciuis emerget. Quod ipsa veri experientia constat: cum enim nihil incertius saepe accidat, quam certam et veram lectionem inuenire et adserere, neque magis inter eruditos saepe de huius vel illius loci sincera scriptura, quam inter sapientis palati et eruditae gulae epulones, de ciborum delicata praestantia conuenire soleat, ille quoque optime Criticen exercebit, qui acerrima diiudicandi vi et ratione discernendi valet. vt enim gustatu ciborum suauitas, ita mentis vi, et in omni iudicio elegantia, integritas dictionis et sermonis proprietas discernitur, et vt neque rusticus fatui et insulsi

palati

palati voluptaten vllam ex regalibus deliciis sentiet, ita nec m... deprauatae et infelicis genii eruditus ...autitiis his vllam iucunditatem gustabit, sed ipsam insipientiam rusticitate sua prodet.

Accedit aliud et ingens critici studii emolumentum, quod, qui ab ipsis studiorum initiis non vemeraria vecordia, sed prudenti moderatione in illud se dederunt, quotidie experiuntur: Nihil, scilicet, magis viam ad indagandos abditos verborum sensus, et eruendas veterum scriptorum sententias, aperire, quam varias librariorum aberrationes diligenter considerare: et plus saepe profligari in humaniorum artium studiis, si quis inter legendum quotidie ante oculos habeat et verset variantes, quotquot sunt, locorum lectiones, quam si quis saepe se vastissimis eruditorum commentariis penitus immergat. Ego certe ab ipsis humanioris doctrinae initiis, omnium fere, quos legebam, Auctorum marginibus adlinere consueui, quidquid ex notis doctorum virorum lectionum corradere poteram, et hinc in omne tempus vberrimi saepe commentarii vicem mihi praestiterunt hae codicum discrepantiae, et in veterum locis salebrosis et obscuris facem lucidissimam praetulerunt. Hanc vero veteres scriptores legendi et tractandi rationem, neque vulgo notam, neque a multis, vt facile eorum opera infelicia produnt, recte instituta, pluribus dehinc placituram facile confido, vbi sine labore et sumtu suo tales editiones quotidie versare licuerit, quae oculis et menti simul vulgata Auctorum verba, et codicum diuersas lectiones, vna et eadem pagina exhibebunt. Praeterea cum, et olim et hodie, infelicissime saepe multi Deae Criticae operen-

tur, ita vt, quamprimum aqua illis haereat, nec se expedire possint, vrendo, laniando, secando, scriptores veteres vexent etiam tales, qui nullum veterum codicum vsum habent: nihil vtilius fieri posse puto, quam vt omnes omnino scriptores, hac dote ornati, edantur, vt temerariis his corruptoribus copia fiat aestimandi, et veras lectiones discernendi. Quare spero, et rogo simul et obtestor omnes, qui nouis editionibus manus sunt admoturi, et quibus copia exaratorum manu codicum vel priscarum editionum suppetit, vt hunc laborem in publicum commodum suscipiant; et ex scriptis, quos nemo vnus per totum orbem dispersos lustrare potest, et ex editionibus primis, quarum hodie pretium ita excreuit, vt eruditis, quos raro Dea pecunia benignis oculis respicit, omni earum possessione interdicatur, colligere velint variantes, quotquot haberi possint, scripturas. Quo enim plures, exigua hac forma et ratione curati libelli exeunt, eo maiores eruditis subministrari copias, et ingens operae et laboris compendium fieri existimo, cum domi et in museo locupletissimas Italiae, Galliae, Angliae et aliarum regionum Bibliothecarum opes in vsum suum reclusas se possidere cernant. Vtinam mihi vero et otii plus fuisset, et copia maior codicum vtriusque generis, et ita absoluta haec editio prodiisset, vt nihil in ea eruditi desiderari possent! sed et muneris laboriosissimi cura, et labores, aliis scriptoribus maioris molis et momenti debiti, vix tantum subcesiui temporis reliquerunt, vt ex Bongarsianis, Modianis, Graeuianis, et aliorum notis et variarum lectionum libellis, haec, quae vides, lector, excerperem. Adhibui etiam Anglicam Hearnii, viri seduli admodum et laborioſi,

editio-

editionem, et alias, olim et nuper curatas, quaecunque modo aliquid mihi conferre posse viderentur. Non aliud vero praeter codicum scriptorum et typis editorum varietates exhibemus, nullas vero doctorum, licet verosimiles, aut etiam certas, coniecturas immiscuimus. Hae enim, nisi rationibus et exemplis firmentur, lubricae et vanae saepe deprehenduntur, ideoque de his existimandi nulla est copia, nisi ad editiones maiores recurratur.

Hic finem praefationis, longae iam satis, facerem, nisi vnico exemplo lectorem monendum esse crederem, quam facile viri docti, qui corrigendi saepe intempestiua libidine laborant, peccent, et Criticae vim inferant. In libello variarum lectionum Bongarsii ad Lib. IV, 5 ad haec verba: *reparatum bellum; et animi a prioris fortunae procella ad spem cerraminis reuocantur*, notatum erat, I. et MSS. *duo et a nimia*. Schefferus vocabulum illud *duo* credens esse ex codice MS. depromtam varietatem, hoc ab iis, qui non intelligebant, compendium scripturae repudiatum esse scribit; sed se inde efficere legendum esse; *reparatum igitur nauale bellum denuo et animi etc.* Quid est turpiter errare, si hoc non est, et non videre Bongarsium voluisse, duos codices MSS. pro *et animi*, habere, *et a nimia?* id quod eo magis est stupendum, quod in illo ipso libello saepius Bongarsius notet in vno, duobus, vel pluribus MSS. hoc vel illud legi. Nam hoc in ipso cap. I idem Bongarsius habet. I. *et* MSS. *duo. visentibus;* et ita alibi. Miror vero diligentissimum Hearnium hanc tam crassum Scheferi errorem etiam notulis suis inseruisse, qui praeterea in eo saepe peccat, quod non di-

ſtinxerit inter notas, quibus Bongarſius codices ſuos deſignauit. Cum enim MS. ponat, vnum ſemper, cum MSS. plures codices demonſtrat, quod diſcrimen, ab Hearnio ſaepe neglectum nos obſeruare conati ſumus. Sic ad lib. IV, 1 notat Cl. Hearnius tres manuſcriptos Bongarſii codices habere *vrbem*, alios *vrbes*. Sed neque in notis, nec in libello variarum lectionum aliud notauit Bongarſius, niſi vnum MS. habere *vrbem*. Sed Schefferus, neſcio vnde, ſcribit MSS. *tres*, *quos vidit Bongarſius*, *habent*, *vrbem*; ex quo Hearnius deſcripſit. Plura eſſent in promptu, ſed deſino, veniam et dans viris diligentiſſimis, vtpote probe gnarus, quam facilis in his ſit lapſus, et ſimul eandem a lectoribus petens, ſi quid aberratum a me quoque deprehenderint. Vale. Leidae Kal. Aug. CIↃIↃCCXXII

LECTORI S

IOH. GEORG. GRAEVIVS

Nihil minus cogitaui nunc quam de Iustino edendo. Cum typographus mecum quod ceperat consilium de hac re communicasset, rogassetque vt conferrem si quid haberem ad hanc editionem, quam moliretur, ornandam, fidem dedi me excussurum meas schedas et in contextu scriptoris emendando nonnullas horas impensurum. Nihil notarum subtexere decreueram. Deprehendi vero post, me nonnulla loca insigniora ex Florentina Iuntarum editione, quae prodiit anno CIↃIↃXXV cum C. Nepote, et Velleio Paterculo, correxisse. Hinc impetum cepi eam totam a capite ad calcem componendi cum vulgatis libris. Tuli pretium operae. Non pauca loca ibi emendata leguntur, quae in omnibus, quae circumferuntur editionibus aliis, quae in manus quidem meas et Bongarsii inciderunt, sunt foede contaminata; siue Iuntae vetustum expressserint codicem aliquem ex Magni Etruriae Ducis illustrissima bibliotheca; aliquot enim huius scriptoris veterrimas membranas ibi seruari ex Viris doctis accepi; siue Aldum Manutium sint secuti, quod mihi confirmarunt amici; ipse enim Aldinum librum adhuc inspicere non potui. Quicquid sit, optimae huic Florentinae editioni, quam nuperi editores, quod mihi multis constat rebus, non viderunt, quamque cum multa commendant, tum quod pleraeque probatae lectiones, quae in illa reperiuntur, manu exaratorum librorum,

rum, quibus Bongarsius et Modius vsi sunt, auctoritate confirmentur, maximam partem debetur, quod ista editio nostra aliis melior et emendatior prodeat. Vt vero ratio constaret eorum quae mutaui, paucas quasdam adieci notas, quibus breuiter mutationis causas reddidi, et fontes aperui. Haec praefixeram editioni, quam anno huius seculi LXVIII publicarum Traiecti nostrae. Post hoc tempus certatim clari doctique homines varias apud gentes multum studii posuerunt in illustrando Iustino. In Gallia vir elegantia ingenii et doctrinae copia insignis, mihique, cum supereſſet, amicus, et summe carus, Tanaquillus Faber, inprimis egregiam ei nauauit operam in editione Salmurienſi, quam anno LXXI adornavit, multa labe deterſa, et obſcurioribus locis multa luce perfusis. In Germania Iohannes Vorstius, variis eruditis ingenii monumentis celebris, anno LXXIII Iustinum ornatiorem Lipsiae iussit in publicum exire. In quo desideres, quod meliores lectiones, quas ex Iuntina non solum attuleram, sed et asserueram, et in contextum editionis meae deleta maculosa scriptura receperam, laudat quidem a me prolatas, sed sibi vindicat, perinde ac si a nemine fuissent ante probatae, crebro in iis adstruendis vsus meis exemplis et rationibus. Sed viri, qui dudum e viuis exceſſit, aliis meritis haec leuicula donentur. Ne cum superstite quidem de his contendere velim, nec cum quoquam alio. Triennio post Ioannes Schefferus, vir celeberrimus, decus Germaniae, quae edidit, et Sueciae, quae fouit, qui et ipse viuus mihi fuit coniunctissimus, post tot alias pulcherrimas lucubrationes, quibus rem litterariam sibi deuinxit, Iustinum quoque sua cura dignatus

est,

est, quem Hamburgi, animaduersionibus instructum anno LXXVIII vulgauit. Meam editionem non videtur ὁ μακαρίτης vidisse, sed aut solas notas, quas Daniel Elzeuirius editioni Amsterodamensi praeposuerat, cum Iustinum, vt ante hac circumferebatur, non vt a me fuerat emendatior Traiecti emissus, typis descripsisset, aut, vt a Vorstio sunt laudatae. Denique post hos omnes doctus Anglus, qui nobis nomen suum inuidit, bellam et nitidam editionem Iustini publici iuris fecit Oxoniae, vsus quatuor vetustis codicibus Anglicanis, quorum subsidio multa corrupta sanauit egregie, quae et mihi et Scheffero in curis secundis, quas visis his Anglicis animaduersionibus elucubrauit, plurimum profuerunt. Fabri, Vorstii notas integras et illibatas hic inuenies, nec non, qui olim Iustino studuerunt, Illustris Iacobi Bongarsii, Franciſci Modii, Matthiae Bernecceri, et magni Isaaci Vossii. Iosephus Cantel, qui in vsum Sereniſſimi Delphini Iustinum Parisiis anno LXXVII edidit, cum non tam emendandi, quam Historicis et Geographicis annotationibus explicandi partes sibi imposuit, nostro instituto non seruit. Caeteris debemus multum. Tibi, lector, possum adiurare liquido sine fuco, sine fallaciis et ostentatione, a qua semper fui alieniſſimus, meliorem editionem adhuc visam non esse hac Leidensi. Vale.

DE IVSTINO

EX GERARDI IOH. VOSSII LIB. I DE HIST. LAT

Iustini, qui Trogi epitomen fecit, nec nomen, nec aetas, dubitatione caret. In Ant. Arnoldi libro nominabatur Iustinus Frontinus: At in codice bibliothecae Mediceae dicitur M. Iunianus Iustinus. Atque hoc verius censeo, ob libri eius antiquitatem: cuius argumentum non leue est, quod litteris Longobardicis scriptus sit. Quod vero ad aetatem, Trogi eius, cuius epitomen scripsit, filium fuisse tradit Gualterus Burlei Anglicus lib. de vita philosophorum, qui anno CIↃCCCCLXXII editus ab Arnoldo Terssornen. Sed hoc seculo illi condonemus, quo vixit. At eruditissimos etiam viros video esse, qui suspicentur vixisse, postquam imperium translatum fuit Constantinopolin: idque ob verba illa lib. VIII. [Graeciam etiam NVNC et viribus, et dignitate, orbis terrarum principem]. Sed NVNC istic non signat tempus, quo Iustinus scribit, sed de quo scribit; Quomodo idem paullo post ait: (Et haec potissimum facere Thebanos, Lacedaemonioque, antea inter se imperii, nunc Graeciae imperantis aemulos). Vbi NVNC itidem valet, Hoc tempore, quod exponimus. Plane vero vixisse arbitror sub Antonino Pio, atque huic epitomen suam dicasse. Id colligo ex verbis istis praefationis,

fationis, (Quod ad te, Imperator Antonine, non tam cognoſcendi, quam emendandi cauſſa, tranſmiſi). Ita enim habent editiones antiquae, quae, quin MSStorum fidem ſecutae fuerint, nullus dubito. Sed obiiciunt, in optimis libris legi: [Quod ad te non tam cognoſcendi magis, quam emendandi cauſſa, tranſmiſi]. Quam MSStorum lectionem etiam Bongarſius renuit. Sed nihil manifeſtius, quam non ita ſcripſiſſe Iuſtinum. Nec enim TAM et MAGIS ſatis conueniunt. Quid ergo? num dicemus MAGIS, tanquam ſuperfluum, tolli oportere? Atqui non videtur de nihilo eſſe, quod in optimis libris legitur. Quare puto, ſcriptum primo fuiſſe, [Quod, Antonine Imp. non cognoſcendi magis, quam emendandi cauſſa tranſmiſi]. Nempe ex [Antonine Imp.] fecere [Ad te non]. Ac quia ſic NON geminabatur, librarii hunc errorem exiſtimantes alterum omiſere. Et ſane Iuſtinum hunc ſub Antonino vixiſſe, ante ſeculum Philippus Bergomas, ac Ioan. Auentinus tradidere: imo idem iam ante annos trecentos in chronico ſuo ſcripſit Martinus Polonus: ſed quod idem Iuſtinum hunc cum Iuſtino Martyre confudit, foedus error eſt, cum hic, qui epitomen ſcripſit, in iis, quae lib. VI et XXX de Moſe, Ioſepho, et Iſraëlitis, tradit, plane Scripturis aduerſetur: vnde liquet, hominem fuiſſe Gentilem: aperteque inter eos ab Oroſio numeratur: Vt de eo nihil dicam, quod beatus Martyr nihil Latine ſcripſiſſe videtur: item quod Euſebius, Hieronymus, Photius, nuſquam hiſtoricam hanc epitomen inter Martyris illius ſcripta reponunt. Nec tamen ea ignota fuit B. Hieronymo, qui illius meminit prooemio in Danielem: Vt quoque Auguſtinus facit lib IIII de

ciuit. Dei cap. VI et Oroſius lib. I cap. VIII et X, qui et Iuſtinum paſſim exſcribit. Poſt quos eiuſdem mentionem fecere, Iſidorus, Iornandes, alii. Etiam quae Lupus Ferrarienſis Abbas epiſt. XX ad Altuinum ex Trogo Pompeio citat de iis quae Mithridatis excellentiam portenderint apud Iuſtinum, ad verbum ex Iuſtini lib. XXXVII. Sed apud Lupum nunc paullo comptius leguntur, vt in Iuſtino debeant emendari. Eſt Iuſtinus ſcriptor terſus et elegans, vt de eo ſcribit Raimundus Lullus lib. VII de orat. cap. IIII. Quam turpiter autem in rebus Iudaicis aberrarit, oſtendit Benedictus Pererius in Danielem c. XXXX. MStus exſtat in bibliotheca publica Academiae Cantabrigienſis, et Oxonii in collegio corporis Chriſti. Ac neſcio quid ſibi velit quod (vt eſt apud Th. Iames). Oxonii in Bibliotheca Collegii Noui exſtare dicatur Epitome hiſtoriarum per Trogum Pompeium lib. IIII.

TROGI POMPEII FRAGMENTA

DE EODEM ET IVSTINO VETERVM AVCTORVM LOCA

Vtraque a Viro Cl. Iac. Bongarsio collecta

PRISCIANUS *lib. VI* Trogus Pompeius libr. VI: Inde Scepsim petit, quo se media interfecta socru contulerat, is ab Herculide petito colloquio.

In MS. Prisciani leguntur haec ex lib. III. Pro se media *Mediolanensis editio habet* e Media. *vnde legebam olim* se e Media. (*Sed ex lib. IIII Hellen. Xenophontis legendum,* quo se Media. *Locum ipsum lector consulat*). *De* Herculide *autem qui in MSS. Iustini est* Derculides, *dixi ad lib.* 6, 1. 2

IDEM *lib. V* Trogus historicus in XXII feminum a flamine, protulit haec flaminea. Papicio propter mortem flamineae, flaminio obiit.

Duo MSS. Papicio flamineae (*vnus* flaminiae) flaminio obiit. *Lego* Papirius propter mortem flamineae, flaminio abiit. *A. Gellius lib.* 10 *cap.* 15 *de flamine Diali,* Vxorem si amisit, *inquit,* flaminio decedit *Sed quae Trogo et Prisciano est Flaminea, Gellio est flaminica: et flaminia, flaminis domus.*

VETVS INTERPRES VIRG. QVI EST APVD PE. DANIELEM IN ILLVD TERTII AENEID

Teucrus Rhoeteas primum est aduectus in oras.

TEVCRVS. de hoc fabula duplex est: Nam et de parentibus eius dupliciter traditur. Alii enim Cureas et Idae Nymphae; alii, inter quos et Trogus, Scamandri filium tradunt: qui Scamander, cum Creta frugum inopia laboraret, cum patre tertia populi ad exteras sedes quaerendas profectus est, ab Apolline monitus, ibi eum habiturum sedes, vbi noctu a terrigenis oppugnatus esset. Cum ad Frygiam venisset, et castra posuisset, noctu mures arcuum neruos et laboramenta armorum adroserunt. Scamander hos interpretatus hostes esse terrigenas, in Idae montis radicibus aedificia collocauit: qui cum aduersus finitimos bellum gereret, victor in Fanto flumine lapsus non comparuit, qui post a Cretensibus in honorem regis sui Scamander appellatus est: filioque eius Teucro regnum traditum, qui ciues e suo nomine Teucros appellauit, qui post a rege Troo Troiani dicti sunt; et templum Apollini constituit, quem Sminthium appellauit. Cretenses enim murem Smynthicem dicunt etc.

Leg. arbitror neruos, et loramenta armorum. *Et statim* in Xantho flumine.

IDEM ad illud IIII Aeneid.

Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Diues, alit - - - -

Triumphis diues, id est, bellicosa. et quidam dicunt astros nunquam triumphasse. Plinius autem Secundus historiae naturalis, et Pompeius Trogus astros dicunt pompam triumphi primos

primos inuenisse, quam sibi Romani postea vindicauerunt. Libius autem Andronicus refert, eos de Romanis saepius triumphasse, suosque porticus Romanis spoliis adornasse, merito ergo diues triumphis.

Pro Astros *legendum omnino* Afros. *Carthaginienses triumphasse, indicat liber XVIIII Iustini.*

PLINIVS *in Indice historiae naturalis* Trogum auctorem multis locis laudat, vt lib. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 31. Quae ex eo transtulit, non arbitror esse ex libris historiarum.

Lib. VII Cap. 3 Et in Aegypto septenos vno vtero simul gigni, auctor est Trogus. *Eadem fere totidem verbis Solinus cap.* 3

Lib. XI Cap. 39 Pili a cute exeunt crassa, hirti: feminis tenuiores, equis in iuba largi, in armis leoni: dasypodi et in buccis intus, et in pedibus: quae vtraque Trogus et in lepore tradit, hoc exemplo libidinosiores hominum quoque colligens.

Cap. 52 Addidit morum quoque aspectus simili modo apud nos Trogus, et ipse auctor seueriſſimus, quos verbis eius subiiciam. Frons vbi est magna, segnem animum subesse significat; quibus parua, mobilem; quibus rotunda, iracundum; velut hoc vestigio tumoris apparente. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant; quibus iuxta nasum flexa sunt, austeros; quibus iuxta tempora inflexa, derisores; quibus in totum deflexa, maleuolos et inuidos. Oculi quibuscunque sunt longi, maleficos esse indicant; qui carnosos a naribus angulos habent, malitiae notam praebent: candidi pars extenta, notam impudentiae habet; qui identidem operire solent, in-

con-

constantiae. Oricularum magnitudo, loquacitatis et stultitiae nota est. Hactenus Trogus.

Lib. XVII Cap. 10 Nam folia palmarum apud Babylonios seri, atque ita arborem prouenire, Trogum credidisse demiror.

Lib. XXXI cap. vlt. Trogus auctor est, circa Lyciam penicillos mollissimos nasci in alto, vnde ablatae sint spongiae.

CHARISIVS *Lib. I* Sed et Valgius, et Verrius, et Trogus de animalibus: hae res lacte dicuntur; at consuetudo tamen aliud sequitur.

Leg. Fortasse hi tres lacte dicunt.

FL. VOPISCVS *in Aureliano.* Neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodente quin etiam, in quo Liuius, in quo Sallustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus, manifestis testibus conuincerentur.

IDEM *in Probo.* Et mihi quidem id animi fuit, non vt Sallustios, Liuios, Tacitos, Trogos, atque omnes diserti ssimos imitarer viros in vita principum et temporibus differendis.

HIERONYMUS *Prooemio in Danielem.* Ad intelligendas autem extremas partes Danielis, multiplex Graecorum historia necessaria est etc. praecipueque nostri Liuii, et Pompeii Trogi, et Iustini, qui omnem extremae visionis narrant historiam: et post Alexandrum vsque ad Caesarem Augustum, Syriae et Aegypti, id est, Seleuci et Antiochi, et Ptolemaeorum bella describunt.

IDEM

IDEM *in Cap. V Danielis.* Quo (*de Balthazare loquitur*) interfecto a Dario rege Medorum, qui Cyri regis Persarum auunculus fuit, et Cyro Persa, quae duo regna Esaias ascensorem bigae cameli et asini vocat, destructum esse imperium Chaldaeorum. Quod quidem et Xenophon in Cyri maioris scribit infantia, et Pompeius Trogus, et multi alii, qui barbaras scripsere historias.

AVGVSTINVS *Lib. IIII de Ciuitate Dei Cap.* 6 Iustinus qui Graecam, vel potius peregrinam, Trogum Pompeium sequutus, non Latine tantum, sicut ille, verum etiam breuiter scripsit historiam, opus librorum suorum sic incipit, Principio rerum etc. *Paullo post.* Quae libet autem fide rerum vel iste, vel Trogus scripserit; nam quaedam illos fuisse mentitos, aliae fideliores litterae ostendunt: constat tamen, et inter alios scriptores, regnum Assyriorum a Nino rege fuisse longe lateque porrectum.

OROSIVS *Lib. I Cap.* 8 *de fame Aegypti, cui Ioseph subuenit.* Pompeius historicus, eiusque breuiator Iustinus docet. *Et Cap.* 10 Ait enim Pompeius siue Iustinus hoc modo, Aegyptii cum scabiem et vitiliginem etc. *quae exstant lib. XXXVI Iustini.*

Transscripsit autem Orosius ad verbum pleraque ex Iustino in suam Ormestam mundi. ita enim in MSS. inscribitur ipsius historia. (*vide C. Barthium Aduers.* 36. 37).

ISIDORVS *libro de Natura rerum, qui in MS. P. Pithoei inscribitur de Astronomia.* De monte Aethna Iustinus in libro historiarum ita scripsit,

scripsit, Siciliae tellus tenuis ac fragilis et cavernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis etc. *quae exstant lib. IIII*

IORNANDES *libro de rebus Gothicis.* Ex quorum (*Gothorum*) nomine vel genere Trogus Pompeius, Parthorum dicit extitisse prosapiam.

IDEM. Tunc Cyrus rex Persarum, post grande interuallum, et pene post sexcentorum triginta annorum tempora, Pompeio Trogo testante, Getarum reginae Thamiri, sibi exitiale intulit bellum.

MARTINVS POLONVS *sub Antonino Pio.* Eo tempore, floruit Pompeius Trogus, natione Hispanus, qui totius orbis historias a tempore Nini regis Assyriorum, vsque ad Monarchiam Caesaris Latino sermone deduxit, distinguens per libros XXXXIIII, quorum abbreuiationem fecit Iustinus eius discipulus: Qui Iustinus philosophus Antonino Pio librum de Christiana religione compositum reddidit, et benignum eum Christianis fecit.

IOH. SARISBERIENSIS *Policrat. lib. I Cap.* 12 Quod vt mecum coniicias, collationem Philippi et Alexandri, Trogo Pompeio, vel Iustino, compendiario eius, si mauis, auctore reuoluamus, Ait ergo: Fuit Philippus rex armorum quam conuiuiorum studiosior etc. (*Extant lib.* 9 *Iustini c.* 8. *Idem Trogum Pompeium multis quoque aliis locis citat.*)

* * *

PRAEFATIO IVSTINI

Quum multi ex Romanis, etiam consularis dignitatis viri, res Romanas Graeco peregrinoque sermone in historiam contulissent: sive aemulatione gloriae, sive varietate et novitate operis delectatus, vir priscae eloquentiae Trogus Pompeius, Graecas, et totius orbis, historias Latino sermone composuit: ut, cum nostra Graece, Graeca quoque nostra lingua legi possent: prorsus rem magni et animi et corporis adgressus.

Rem magni et animi et corporis adgressus] Scribe, *animi et operis*. *Res* enim *magni operis* est, *quae vario et multo labore constat*. Vox haec ab architectura sive vulgari, sive militari, petita est. nam et *opera* sunt, quae struuntur, vt apud Sueton. in Iul. 28 *Operibus exornare vrbes*. et apud eundem in Octau. 29 *Publica opera plurima exstruxit*. et Tib. 47 *Princeps neque opera vlla magnifica fecit*. et munitiones in oppidis oppugnandis, vt *opere instituto* apud Caesar. VII. de bell. Gall. 70 et Suet. in Iulio 25 *Maximis obsessum operibus*. et prout structura multiplex est, *magni* vel *parui operis res* vel munitio vocatur. Senec. Epist. 55 *Speluncae duae magni operis*. et Liu. XXII, 57 *Oppidum magno opere munitum*. et XXVI, 3 *Quum iam parui operis munitio esset*. Hinc igitur transfertur ad alias molitiones. Plin. XXXV. Nat. Hist. 10 *Corpora enim pingere, et media rerum est quidem magni operis*. Curt. VII, 13 *Magni operis videbatur tam vastam voraginem explere*. Gronouius.

rem magni animi et corporis adgressus est] Nihil facit corpus ad meditationes eruditorum.

greſſus. Nam cum plerisque auctoribus, ſingulorum regum, vel populorum, res geſtas ſcribentibus, opus ſuum ardui laboris videatur: nonne nobis Pompeius Hercu-

rum. Pygmaeus ſit an Polyphemus, qui ad ſcribendum ſe applicat, eſt perinde, modo valeat animo et ingenio; laboribusque ferendis par ſit. Qui *corpus* hic accipiunt pro libro, iis Latinae linguae genius adverſatur. Non enim dixeris: *Rem magni corporis* ſeu *libri adgredi*. MS. Marquardi Gudii, et Iuntarum editio praeſtantiſſima, quam Bongarſius et alii editores non viderunt: *Rem magni animi et operis adgreſſus eſt*. Haec Iuſtini eſt ſcriptura. Imitatur Liuium, qui in praefatione: *Res eſt praeterea immenſi operis, vt quae ſupra quingenteſimum annum repetatur*. Quintil. Inſtitut. I, 4 *Quae vel ſola* (ars) *omni ſtudiorum genere plus habet operis, quam oſtentationis*. Ouid. IIII ex Ponto: *Quodque aliis opus eſt, hoc tibi ludus erit*. Sic et Graeci ἔργον pro labore. Ariſtot. VI de hiſt. animal. ἔργον μὴ συνήδει ὄντι καταμαθεῖν ταῦτα *Res magni operis eſt rerum iſtarum inſolenti eas perdiſcere*. Contra ῥᾴδιον ἔργον notat *non eſt difficile*. Philippus apud Stobaeum in Olynthia: Πύκτῃ τ' ἐπιτιμῶν ῥᾴδιον ἔργον μαχομένῳ, hoc eſt, *reprehendere pugilem pugnantem non eſt difficile*. Hunc locum H. Grotius ὁ πάνυ in Florilegio prava diſtinctione laborantem male interpretatus eſt: *Et caſtigare pugilem cum a pugna vaces*, coniungens ῥᾴδιον ἔργον μαχομένῳ. Sed Graecis haec loquendi ratio eſt ignota. Quin et hunc locum Iuſtini ex coniectura ſic dudum reſtituit Gronouius. Firmatur etiam auctoritate vetuſti codicis Anglicani, teſtante id editore Iuſtini Oxonienſe. *Graeuius*.

nonne nobis Pompeius] MS. Anglicanus: *non minus nobis*. Sed a vulgatis non eſt recedendum. Nam et longe ſuauior eſt iſta interrogatio, et pluribus Manuſcriptis, iisque vetuſtiſſimis, quibus praecipue Bongarſius vſus eſt, nititur. Sed nec loco mouendum, quod in optimis libris, tam editis, quam manu exaratis, reperitur, *videri debet*. Eſt enim hoc priſcae elegantiae. Cic. VI ad fam. ep. 6 *Quare, quando vt augures et aſtrologi ſolent, ego quoque augur publicus ex meis ſuperioribus praedictis conſtitui apud te auctoritatem augurii et diuinationis meae: debet habere fidem noſtra praedictio*, hoc eſt, ſi quid veri vnquam dixi, hoc verum eſt, quod tibi ſcribo, et pro veriſſimo, quod certiſſime futurum eſt, habendum. Seruius Sulpicius ad Cic. in IIII ad fam. 5 *Hem nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita breuior eſſe debet, cum vno loco tot oppidorum tot daucra proiecta iaceant*. natura haec eſt hominum, vt neceſſario citius eis ſit pereundum, vt non poſſint tam diu durare. Petron. *Hic boni neſcio quid debet eſſe*. quantum certis et veris coniecturis aſſequi poſſum, hic eſt aliquid bo-

ni-

Herculea audacia orbem terrarum adgressus videri debet: cuius libris omnium saeculorum, regum, nationum, populorumque res gestae continentur? Et quae historici Graecorum, prout commodum cuique fuit, inter sese gregatim occuparunt; omissis quae sine fructu erant, ea omnia Pompeius diuisa temporibus, et serie rerum digesta composuit. Horum igitur quatuor et quadraginta voluminum; nam totidem edidit; per otium, quo in vrbe versabamur, cognitione quaeque dignissima excerpsi; et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda, nec exemplo erant necessaria, breue veluti florum corpusculum feci: vt haberent et qui Graeca didicissent, quo admonerentur; et qui non didicissent, quo instruerentur. Quod ad te non tam cognoscendi quam emendandi caussa transmisi: simul vt et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret. Sufficit enim

ni. Haec vis est huius verbi *debet* in his similibusque locutionibus, quae frequentiores in Tullio reperiuntur. Sic et scripsit in hac praefatione Iustinus. sententia est: *si alii scriptores sibi videntur rem magni laboris adgressi esse, cum vnius populi res gestas memoriae mandant, Trogum Pompeium fame, si recte sentimus, et iudicamus, stupenda et plusquam Herculea audacia gentium omnium origines et facta describenda suscepisse, fatendum est nobis.* Graeuius.

omissis] forte leg. *admissis*. Cic. II de Orat. 4 *Nam Graeci, vt ingenio excelluerunt, ita hoc audiunt, quod non adhibuerunt semper iudicium.* Gronouius.

cuius et Cato reddendam operam] Non frustra manu erarati omnes, *operam*, vt et Iuntina. Impressi nonnulli vetustiores substituerunt *rationem*, contra membranarum fidem. Non est vero simile, vt docti viri monuerunt, paucis verbis interiectis, eandem vocem vsurpasse Iustinum. Nihil igitur contra vetustorum omnium librorum, quos docti consuluerant, consensum est immutandum. Sicut enim Tullio *opera profectionis* recte dicitur *opus, quod elaborauit in profectione. quod ostendit, quomodo tempus, quo abfuit vrbe, collocarit*, in XV ad Att. 13: sic et *opera otii* est *opus, quod elucubrauit in otio, quod declarat, quam bene sit vsus otio. Reddere* autem *operam*, pro *edere operam* seu *opus* cur non licuit dicere Iustino, cum licuit Terentio Andr. III, 1. et Suetonio Domit. Et *reddere ludos*, pro *edere*. et *reddere insta* Catoni

mihi in hoc tempore iudicium tuum, apud posteros, cum obtrectationis inuidia decesserit, industriae testimonium habituro.

toni pro *dare iusta*. Vere enim Celsus l. 94 de verb. signif. *Verbum reddendi quanquam significatum habet retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem*. Apud Petron. *apodixim defunctoriam reddere* est *specimen edere leue*, vt recte vexatissimum locum exposuit ὁ πάνυ Iohannes Fredericus Gronouius lib. IIII Obseruationum. Nec alia vocis *reddere* notio est in illo loco, quem Vorstius attulit ex Cic. ad fam. XVI, 10 *Tu Musis nostris para vt operas reddat*. Nam pro hoc Seneca dixit de Prouid. c. 2 *edere operas: Forum istud, ciuili bello purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas*. quamuis locutio integra aliud notet quam hic *operam otii reddere*. Graeuius.

in hoc tempore] Sic recte Vorstius ex veteribus editionibus, quibus adstipulatur Iuntina et liber Anglicanus. *Graeuius*.

IVSTINI HISTORIARVM PHILIPPICARVM ET TOTIVS MVNDI ORIGINVM ET TERRAE SITVS EX TROGO POMPEIO

LIBER PRIMVS

BREVIARIVM CAPITVM

I *Assyriorum prima Monarchia sub Nino.*
II *Semiramidis a filio tandem interfectae imperium.*
III *Postremus Assyriorum rex Sardanapalus.*
IIII *Medorum Monarchia sub Astyage, Cyri auo.*
V *Cyri puericia, adolescentia, et Harpagi ad Cyrum admonitio etc.*
VI *Sybarem belli comitem Cyrus nobili praemio donat, et Astyagem regno spoliat.*
VII *Croesum vincit, et Lydos debellat, ac sub iugo astute retinet. Candaulis tragoedia.*
VIII *Bellum Scythicum, in quo initia Cyro felicia, finis autem luctuosissimus.*
VIIII *Cambyses Cyro succedit, et suomet gladio conficitur. Legitimo herede Mergide sublato, magi rerum potiuntur. Ostanes, aliorum principum opera adiutus, magos de medio tollit.*
X *Darius ex equi hinnitu seruuli industria fit tertius Persarum rex etc.*

I

[1] Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio, prouehebat. [2] Po-

populus

1 *ambitio popularis*] Ea est, cum *potentia ex vulgi adulatione quaeritur.* infra XIII, 3, 2 De qua questus Sallust. Catil. *Omnia*, inquit, *virtutis praemia ambitio possidet.* Bernec. Interim auctor respicit duas factiones, quae et olim, hodieque frequentes sunt in rebus publicis. *Gronouius.*

moderatio] Cuius effectus est, vt *recusantibus imperia ingeran-*

pulus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. [3] Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. [4] Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem, et quasi auitum gentibus morem, noua imperii cupiditate, mutauit. [5] Hic primus intulit bella finitimis, et rudes adhuc ad resistendum populos, terminos vsque Libyae perdomuit. [6] Fuere quidem temporibus antiquiores, Sesostris Aegypti, et Scy-

gerantur, prout de Epaminonda loquitur VI, 8 idemque probat clare locus Liuii V, 18 *Licinium Caluum praerogatiuae tribus militem non petentem creant, moderationis expertae in priori magistratu virum.* Idem.

5 *rudes adhuc ad resistendum*] Thucyd. I p. 52 ἀξυνέτους ἀμύνασθαι. Aelianus VI, 5 de Animal. ἰρήμους τῶν ἀμυντηρίων. *Gronouius.*

6 *temporibus antiquiores*] Minime sollicitanda est lectio vulgata. Nam si *temporibus antiquis* recipimus, peruersa est ratiocinatio Iustini. Quid enim hoc ad rem, quod antiquis temporibus post Ninum fuerint Sesostris et Tanaus, qui longinqua bella gesserunt. Haec vero est argumentatio eius: Sesostris et Tanaus fuerunt antiquiores quidem Nino, et bella gesserunt ante Ninum, sed longinqua, non finitima, vt Ninus. Errauit quidem Iustinus in ratione temporis, sed in Aegyptiorum regum temporibus computandis alios est secutus auctores, quam Ctesiam, cuius probauit historiam Assyriam falsissimam, aeque vt caeteri. *Graeuius.*

6 *Sesostris*] Libri *Vezores Aegyptius.* Sesostris, qui et Sesosis, et Rameses, et Aegyptus, Armai siue Danai frater, qui filii Amenophis, Graecis Belus eius ipsius, qui Israëlitis excedentibus Aegypto in rubro mari submersus est. Vsserius aetate M. quarta p. 304 n. 2510. *Gronouius.*

Sesostris, al. *Vexoris Aegyptius* Iunt. edit. *Sesostres.* leg. *Sesostris*: vt recte iam olim Turnebus. Sic enim Herodoto dicitur lib. II, et Valer. Flacco lib. IIII, 415

——— *cunabula gentis*
Colchidos hic, ortusque tuens
vt prima Sesostris
Intulerit rex bella Getis, et
clade suorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem
Phasidis, hos imponat agris
Colchosque vocari
Imperet.

Sesostrim eum regem esse, qui in obelisco apud Amm. Marcell. XVI dicitur *Rhamestes*, ab Eusebio et Iosepho *Rameses*, a Manethone *Setosis*, recte docuerunt Scaliger ad Eusebium, et H. Valesius ad Ammianum Marcellinum. Istum Sesostrim autem esse Sesacum illum, qui templum Hierosolymitanum diripuit, dubitare nos non si-

nunt

Scythiae rex Tanaus: quorum alter in Pontum, alter vsque Aegyptum exceſſit. 7 Sed longinqua,

nunt, quae Nobiliſſimus Marshamus de eius aetate in Aegyptiorum Chronologia diſputavit accurate in Aegyptiaco Canone. Nam ante hunc Seſoſtrim Aegyptii nihil praeclari patrios extra fines geſſerant, nec tam victoriis, quam cladibus, fuerunt nobiles. Quin in ipſa patria ſaepe peregrina Aethiopum et Arabum imperia per aliquot ſaecula ſunt paſſi. Non mirum autem, eum ſpoliaſſe hoſtilia templa. Non tamen propterea lupi, aut tyranni, infamiam ſubiit. Nec movere nos debet, quod tam longe feratur vixiſſe ante Ninum. Decepit Trogum, vt pleroſque alios, mendaciſſimus Cteſias, qui primus Aſſyriorum regno tantam tribuit antiquitatem, vt eius initia in ſecundum a diluuio ſaeculum incidant. Cum ſatis certo conſtet eum ex ſilentio ſcriptorum antiquiſſimorum, Moſis, auctoris libri Joſuae, Iudicum, Samuelis, Homeri, [qui, ſi tam illuſtre fuiſſet Aſſyriorum imperium, vt totius Aſiae fere per tantum tempus fuerit potitum, non potuiſſent non eius mentionem facere, nec paſſi eſſent illi tam potentes reges, aut eorum praefecti, impune ſibi eripi florentiſſimas regiones a Ioſua;] tum ex teſtimonio Herodoti, qui lib. I tradit, Semiramidem quinque generationibus floruiſſe ante Nitocrin, matrem Labyniti, quem Cyrus vicit, hoc eſt vix ducentis annis ante Cyrum regnum Aſſyriorum tum nondum fuiſſe ortum, cum a Cteſia ſcribitur deletum fuiſſe. Ne dicam id arguere inania regum, qui poſt Ninum et eius vxorem commemorantur, nomina. Quando Aegyptus a Nino et Semiramide, ſi Cteſiae credimus, ſubacta iugum hoc excuſſit? Altum de his omnibus in Aegyptiorum hiſtoriis ſilentium. Nihil falſius commentitia Aſſyriorum antiquitate. Veriſſimum videtur, quod Herodotus prodidit, per quingentos annos Aſſyrios in Aſia ſuperiore rerum potitos eſſe. nec tamen videntur regni huius initia valde fuiſſe clara, ſed perexigua. Tum autem floruit maxime, cum illius potentia in ſacris litteris tantis laudibus extollitur, et factis ipſis oſtenditur. Quo autem tempore maxime in Hebraeorum libris commemoratur viguiſſe Aſſyriorum regnum, ſi Cteſiam ſequimur, dudum nullum fuit, quippe quod ante fuerit a Medis extinctum, penes quos rerum ſummam tum per ducentos fere annos fuiſſe credunt et tradunt. Sed iſtarum notularum anguſtiae non permittunt, vt haec pluribus perſequamur, quod alibi forte faciemus diligenter. Haec tantum hic libuit annotare, vt ſcrupulum eximamus lectoribus, quem vir eruditiſſimus mouit, cum propter temporum rationes, ſecundum Cteſiae calculos falſiſſimos, repudiandam cenſuit opinionem de Seſoſtri, qui corrupto Vexori erat ſubſtitutus. *Graevius.*

7 *longinqua*] ἐκδήμους ϛρατείας

Thu-

non finitima, bella gerebant: nec imperium sibi, sed populis suis gloriam, quaerebant; contentique victoria, imperio abstinebant. Ninus magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione firmauit. [8] Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, et proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. [9] Postremum illi bellum cum Zoroastre, rege Bactrianorum, fuit, qui primus dicitur artes magicas inuenisse, et mundi principia, siderumque motus diligentissime spectasse. [10] Hoc occiso, ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Ninya, et vxore Semiramide.

II

[1] Haec nec immaturo ausa tradere imperium, nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum feminae, parituris, simulat se pro vxore Nini, filium, pro femina, puerum. [2] Nam et statura vtrique mediocris, et vox pariter gracilis, et lineamentorum qualitas matri ac filio similis. [3] Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: et ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu et populum vestiri iubet: quem morem vestis exinde gens vniuersa tenet. [4] Sic primis initiis sexum mentita, puer esse credita est. [5] Magnas deinde res gessit: quarum amplitudine, vbi inuidiam superatam putat, quae sit, fatetur, quemue simulasset. [6] Nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem auxit; quod mulier non feminas modo virtute, sed etiam viros, anteiret. [7] Haec Babyloniam

Thucyd. I p. 6. Strabo II p. 511 *ἰφόδῳ ἐποιήσαντο τὰς μὲν μακροτέρας, τὰς δὲ καὶ ἐγγυτέρω. Gronouius.*

1 *vix patienter*] Caue quidquam mutes contra tot codicum fidem. *Vix patienter parituris* est; quae grauatim aegre parere soleant viro, nedum feminae. Non mouebit quenquam futurum. Non solum enim participia sunt omnium temporum, vt bene docuit Sanctius in Minerua, sed et futura saepe in hac notione ponuntur, qua *parituras* hic positum esse ostendi, vt pluribus monui in Lectionibus Hesiodeis. *Graeuius.*

byloniam condidit, murumque vrbi cocto latere circumdedit, arenae vice, bitumine interstrato: quae materia in illis locis passim e terra exaestuat. Multa et alia praeclara huius reginae fuere. [8] Si quidem non contenta adquisitos viro regni terminos tueri, Aethiopiam quoque imperio adiecit. [9] Sed et Indiae bellum intulit; quo praeter illam et Alexandrum Magnum nemo intrauit. [10] Ad postremum, cum concubitum filii petisset, ab eodem interfecta est, duo et quadraginta annos post Ninum regno potita. [11] Filius eius Ninya contentus elaborato a parentibus imperio, belli studia deposuit, et veluti sexum cum matre mutasset, raro a viris visus, in feminarum turba consenuit. [12] Posteri quoque eius, id exemplum sequuti, responsa gentibus per internuntios dabant. [13] Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere.

9 *Indiae*] Libri *Indis*. Gronouius.

10 *duo et quadraginta annos*] Cum MSS. Bongarsianis, qui omnes praeter vnum, *duo et triginta*, Anglicani accedant, in quibus scribitur *triginta duo*, non video cur id sit respuendum. Dissensisse in annis imperii Semiramidis Trogum ab aliis, nihil miri, cum quidquid de Nino et Semiramide traditur sit incertissimum. *Graevius.*

13 *imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere*] Hoc est commentum Ctesiae, quo totum fere orbem fascinauit. Verius Herodotus I, 95 prodidit, Assyrios Asiae superiori imperasse annos DXX, cum Medi primi ab iis deficere coeperint. Hoc tempus incidit in Troianum bellum, cum Gideon iu-

dex Hebraeis praeesset. Hinc et Porphyrius apud Eusebium de Praeparat. Euangelica Semiramidis aetatem ad Troiana refert tempora. Illam Herodotus scribit I, 184 ante Nitocrin vixisse aetates quinque, quae nondum annos ducentos conficiunt. Nitrocis autem mater fuit Labyniti, regis Babyloniorum, cuius tempore Babylon capta fuit a Cyro. Illam falsam Assyriorum regni antiquitatem primus impugnauit Hermanus Conringius, lumen Germaniae, in Aduersariis Chronologicis de Asiae et Aegypti antiquissimis dynastiis; postea magnus Vsserius Armachanus in Annalibus veteris Foederis labefactauit; et tandem euertit illustris Marshamus in Canone Chronologico. *Syrus* et *Assyrius* Graeci et Latini saepe confuderunt, vt et Salmasius et Bochartus docuerunt. Sed Syriae nomen longe recentius est, quam

III

[1]Postremus apud eos regnauit Sardanapalus, vir muliere corruptior. [2]Ad hunc videndum, quod nemini ante eum permissum fuerat, praefectus ipsius, Medis praepositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset: inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, et muliebri habitu, cum mollitia corporis, et oculorum lasciuia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. [3]Quibus visis, indignatus tali feminae tantum virorum subiectum, tractantique lanam, ferrum et arma portantes parere; progressus ad socios, quid viderit, refert: negat se ei parere posse, qui se feminam malit esse, quam virum. [4]Fit igitur coniuratio: bellum Sardanapalo infertur. quo ille audito, non, vt vir, regnum defensurus, sed, vt mere mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit: [5]mox deinde cum paucis et incompositis in bellum pro-

quam Assyriae. Syri enim appellati sunt a metropoli Tyro, quae Hebraeis Tsur dicitur, cum olim appellarentur Arimaei, Hesiodo et Homero Arimi; Assyrii vero in sacris litteris sunt filii Assur. *Graeuius.*

2 *Arbactus*] Iunt. *Arbacus*, quod propius a vero abest. Scribendum enim, vt in prologis, et apud alios scriptores, quos laudat Bongarsius, *Arbaces*. Iustinus cum Trogo in Medorum quoque regno, vt plerique alii, sequitur Ctesiae fidem valde subleſtam, cum certiora sint, quae de huius regni ortu, et duratione tradit Herodotus I, 95 et sequentibus. Nimirum cum Assyriorum regnum intestinis tumultibus vexaretur ob caedem Sennacheribi, ab Assyriis defeciſſe Medos, et se in libertatem asseruisse, cumque suis fuissent legibus vsi aliquandiu sine rege, legisse tandem regem, qui dictus sit Deioces, qui Ecbatana condiderit, et regnum vsque ad siuuium Halym protulerit, cui successerit Phraortes filius, qui Persas domuerit, sed ab Assyriis caesus fuerit, tantum abest, vt tum fuerit extinctum Assyriorum regnum: Phraortis filium, Deiocis nepotem, fuisse Cyaxarem, qui Ninum ceperit, et Assyrios domuerit. Hunc excepisse Astyagen filium, quem Cyrus vicerit, deleto regno Medorum, quod steterit CL. annos. Haec Ctesianis veriora esse, multis adstruit Marshamus in Canone Chronolog. saec. XVII. *Graeuius.*

purpuram colo nentem] Non temere MSS. *purpuras colo nentem*. Horat. II od. 18

- - - *Nec Laconicas mihi*
Trahunt honestae purpuras clientae. Graeuius.

progreditur. [6] Victus, in regiam se recipit; et extructa incensaque pyra, et se et diuitias suas in incendium mittit: hoc solo imitatus virum. [7] Post hunc rex constituitur interfector eius Arbactus, qui praefectus Medorum fuerat. is imperium ab Assyriis ad Medos transfert.

IIII

[1] Post multos deinde reges, per ordinem successionis, regnum ad Astyagen descendit. [2] Hic per somnum vidit ex naturalibus filiae, quam vnicam habebat, vitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbraretur. [3] Consulti harioli, ex eadem filia nepotem ei futurum, cuius magnitudo praenuntietur, regnique ei amissionem portendi, responderunt. [4] Hoc responso exterritus, neque claro viro, neque ciui filiam, ne paterna maternaque nobilitas nepoti animos extolleret, sed ex gente, obscura tunc temporis, Persarum, Cambysi, mediocri viro, in matrimonium tradidit. [5] Ac ne sic quidem somni metu deposito, grauidam ad se filiam arcessit, vt sub aui potissimum oculis partus necaretur. [6] Natus infans datur occidendus Harpago, regis amico et arcanorum participi. [7] Is veritus, si ad filiam, mortuo rege, veniisset

6 *extructa incensaque pyra*] Recte tres Anglicani, *vbi extructa incensaque pyra*, quod Oxonienſis recepit, adſtipulante Iuntina. *Gracuius.*

4 *Cambysi, mediocri viro*] Cambysen vilioris sortis virum fuisse, quam existimatur vulgo, Dio Chrysostomus, si ei credendum, ostendit, qui oratione XV de seruitute tradit, Cyrum ante regnum fuisse hominem qui candelis faciendis quaestum fecerit: Ἦ ἐκ δισσῶν, ὅτι λυχνοποιὸς ἦν ὁ Κῦρος Ἀστυάγους, καὶ ὑπόπτερος ἡδυνήθη, καὶ ὕδωρ ἐν τῷ, ἐλεύθερος ἅμα καὶ βασιλεὺς ἐγένετο τῆς Ἀσίας ἁπάσης *An nescis, candelarum opificem fuisse Cyrum, Astyagis filium, et liberum simul et regem factum esse totius Asiae, et quando potuit, et quando sibi visum fuit.* Alii tamen Cambysen fuisse genere Achaemenidam tradunt. Nobilissimam autem apud Persas familiam Achaemenidarum, vt auctor est Herodotus I, 107 et seqq. Diod. Siculus in excerptis Peirescianis illum a patre disciplina regia fuisse formatum tradit, vt iam alii notarunt. *Graeuius.*

6 *regis amico et arcanorum participi*] Sic non solum Iuntae

nisset imperium, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati infantis vltionem, quam a patre non potuisset, a ministro exigeret; pastori regii pecoris puerum exponendum tradidit. [8] Forte eodem tempore et ipsi pastori filius natus erat. [9] Eius igitur vxor, audita regii infantis expositione, summis precibus rogat, sibi afferri ostendique puerum. [10] cuius precibus fatigatus pastor, reuersus in siluam, invenit iuxta infantem canem feminam, paruulo vbera praebentem, et a feris alitibusque defendentem. [11] Motus et ipse misericordia, qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prosequente. [12] Quem vbi in manus mulier accepit, veluti ad notam puer allusit: tantusque in illo vigor, et dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, vt pastorem vxor vltro rogaret, [quo suum partum pro illo exponeret] permitteret [que] sibi, siue fortunae ipsius, siue spei suae puerum nutrire. [13] Atque ita permutata sorte paruulorum, hic pro filio pastoris educatur: ille pro nepote regis exponitur. [14] Nutrici Spaco postea nomen fuit, quia canem Persae sic vocant.

V [1] Puer

tae editio, sed et MSS. legunt: quod male mutarunt editores, vt dudum praecepit Gronouius. *Amici* enim *regum* dicebantur olim, *qui eis a consiliis sunt*. In cap. 7 huius libri: *Quo facto et amicum in adulterium vxoris sollicitatum hostem sibi fecit*. et c. 9 *Magum quendam ex amicis delegit*. lib. XII, 15 *Cum deficere eum amici viderent*. lib. XXXIIII, 3 *Cum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre*. Suet. Tib. 55 *Super veteres amicos ac familiares viginti sibi e numero principum ciuitatis depoposcerat, velut consiliarios in negotiis publicis*. Graeuius.

1: *ad notam puer allusit*] Recte Oxonienſis, ſecutus quatuor MSS., *puer* deleuit, et Vorſtius cum Scheffero in ſequentibus: *infantis*. Sunt interpretum gloſſemata. *blandientis* eſt *cum blandiretur in alludendo*. Graeuius.

dulcis quidam blandientis risus] Lege *blandientis infantiae*. hanc enim lectionem confirmant Quintil. in Declam. XVIIII *Quum adhuc rudis vnici blandiretur infantia*. et Plin. XXXII Nat. Hiſt. 2 *Sureuli infantiae alligati tutelam habere creduntur*. Gronouius.

14 *nutrici Spaco poſtea nomen fuit*] Iuntae recte: *Spaco*. Herodotus: Σπακώ, lib. I c. 110. *Graeuius*.

V

[1]Puer deinde cum inter paſtores eſſet, Cyri nomen accepit. [2]Mox rex inter ludentes ſorte delectus, cum per laſciuiam contumaces flagellis cecidiſſet,

1 cum inter paſtores eſſet, Cyri nomen accepit] Non ſolum editio Iuntae, ſed et antiquus codex Bongarſii legunt: *Cum inter paſtores eſſet imperioſus*, dex Anglicanus. Sed alius *imperio vſus*. Hanc veram eſſe huius loci lectionem puto, qua cauſſa redditur, cur dictus ſit Cyrus, cum antea fuerit ei aliud nomen a paſtore, et eius vxore, a quibus educabatur, impoſitum. Docet id etiam Herodotus lib. I c. 113 Τὸν δὲ ὕστερον τετὼν Κύρον ὀνομασθέντα παραλαβόντα ἕτερος ἡ γυνὴ τῷ βουκόλῳ θεμένη *Alterum vero, qui poſtea Cyrus appellatus eſt, vxor bubulci ſibi ſumtum educauit, impoſito illi alio quopiam ac non Cyri nomine*. et non longe poſt puer, quem Cyrus flagellis cecidérat, Κατελθὼν δὲ ἐς πόλιν πρὸς τὸν πατέρα, ἀποικτίζετο τῶν ὑπὸ Κύρου ἤντησε. λέγων δὲ ὁ Κῦρος, ὡς μὴ κῶ τοῦτο τὄνομα, ἀλλὰ πρὸς τοῦ βασιλέος τοῦ Ἀστυάγεος παιδὸς *In vrbem vero cum contendiſſet apud patrem queſtus, eſt, quomodo a Cyro eſſet exceptus. non vero Cyrum appellauit. Nondum ei hoc erat nomen, ſed filium paſtoris boum Aſtyagis*. Non igitur primis annis, quos inter paſtores exegit, Cyrus fuit dictus, ſed poſt illud tempus, quo inter paſtores imperio erat vſus in puerili illo ludo, Cyrus demum fuit appellatus, ſiue a pueris, cum quibus luſerat, ſiue a veris parentibus, ſiue a ciuibus. Narrat deinceps Iuſtinus, quomodo ex illo imperio ſeu regno inter pueros exercito fuerit agnitus ab auo. *Mox rex inter ludentes ſorte delectus cum per laſciuiam contumaces flagellis cecidiſſet, a parentibus puerorum querela eſt regi delata*. Haec ita ſunt accipienda, *mox a parentibus puerorum querelam eſſe regi delatam, cum in illo imperio*, rex ſcilicet inter ludentes ſorte delectus, *per laſciuiam contumaces flagellis cecidiſſet*. Vides igitur, non fruſtra *imperioſus* inueniri in libris antiquis, quamuis emendatius legatur in vno *imperio vſus*. Doctiſſimi et amiciſſimi mihi, cum in viuis eſſet, viri emendationem, qui coniicit ſcribendum eſſe, *Puer deinde cum inter paſtores eſſet in Perſis Cyri nomen accepit*, probare non poſſum, quia paſtores illi, apud quos educabatur, et quibuscum verſabatur, non erant Perſae, ſed Medi. in Media enim natus erat Cyrus, in Media expoſitus, in Media ad decimum annum, quo imperium inter paſtores exercuit, commoratus. vide Herodoti lib. I cap. 10. Poſtea demum ad parentes in Perſiam remiſſus eſt, vbi non inter paſtores egit, ſed vt regis Medorum nepos, et Mandanes filius laute fuit habitus et educatus. vide cap. 122 eiusdem libri. Et hoc eſt, quod ad eum ſcribit Harpagus, *eum ablegatum fuiſſe in Perſas*. Tum autem ei videtur hoc nomen impoſitum

set, a parentibus puerorum querela est regi delata, indignantibus, a seruo regio ingenuos homines seruilibus verberibus affectos. [3] Ille arcessito puero et interrogato, cum, nihil mutato vultu, *feciſſe ſe vt regem*, respondisset, admiratus constantiam, in memoriam somnii responsique reuocatur. [4] Atque ita cum et vultus similitudo, et expositionis tempora, et pastoris confessio conuenirent, nepotem agnouit. [5] Et quoniam defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores regno, animum minacem duntaxat in illo fregit. [6] Caeterum Harpago, amico suo, infestus, in vltionem seruati nepotis, filium eius interfecit, epulandumque patri tradidit. [7] Sed Harpagus ad praesens tempus dissimulato dolore, odium regis in vindictae occasionem distulit. [8] Interiecto deinde tempore, cum adoleuisset Cyrus, dolore orbitatis admonitus, scribit ei, *vt ablegatus in Persas ab auo fuerit: vt occidi eum paruulum auus iusserit: vt beneficio*

positum fuisse in Persia. Persis enim *Cyrus* est *sol*, vt notarunt Ctesias et Plutarchus. Etiam nunc *Chur* et *Churshid* apud Persicos poëtas *solem* significare, viri doctissimi monuerunt. *Graeuius.*

[5] *animum minacem duntaxat in illo fregit.*] Vetustarum editionum lectionem, quae *minatione* prae se ferunt, quod et in Iuntina legitur, minime sequendam duco. *Animus minax* est *ira percitus*, qui exitium minabatur et Harpago et Cyro. Non enim placatum eius animum et mitigatum erga Cyrum statim fuisse, postquam eum agnouerat, patet ex Herodoto, qui cap. 120 libri I narrat, vt Astyages deliberarit cum Magis, tollendusne Cyrus esset propter somnium, an vero seruandus. Haec tantum verbo, vt in compendio, tangit Iustinus. Sententia est, *Astyagen iram illam minacem, si non erga Harpagum, saltem erga Cyrum compressisse. Duntaxat* Latinis est *saltem, minimum.* Graeuius.

[8] *vt ablegatus in Persas ab auo fuerit*] Optime MSS. *ablegatus.* Amant enim hoc verbum sic vsurpare, vt adsit ei quaedam inuidia et maleuolentia: genus loquendi, quo saepe Liuius vtitur: vt V, 2 *Remotam in perpetuum et ablegatam ab vrbe, et Republ. iuuentutem.* et XXII, 25 *Consulum alterum specie classis Punicae persequendae procul ab Italia ablegatum.* et XXIII, 31 *Deinde vbi ablegatum, velut de industria M. Marcellum viderunt.* Sed et de hac ablegatione extat memorabilis narratio apud Athanaeum XIV pag. 633. petita ex Dinonis Persicis. *Gronouius.*

ficio suo seruatus sit: vt regem offenderit: vt filium amiserit. [9] Hortatur, *exercitum paret, et pronam ad regnum viam ingrediatur*, Medorum transitionem pollicitus. [10] Epistola, quia palam ferri nequibat, regis custodibus omnes aditus obsidentibus, exenterato lepori inseritur, lepusque in Persas Cyro ferendus, fido seruo traditur: addita retia, vt sub specie venationis dolos lateret.

VI

[1] Lectis ille epistolis, eadem somnio adgredi iussus est, sed praemonitus, vt quem primum postera die obuium habuisset, socium coeptis assumeret. [2] Igitur antelucano tempore ruri iter ingressus, obvium habuit seruum de ergastulo cuiusdam Medi, nomine Sybarem. [3] Huius requisita origine, vt in Persis genitum audiuit, demtis compedibus, assumtoque comite, Persepolim regreditur. [4] Ibi conuocato populo, iubet omnes praesto cum securibus adesse, et siluam viae circumdatam excidere. [5] Quod cum strenue fecissent, eosdem postera die apparatis epulis inuitat. [6] Deinde, cum alacriores ipso conuiuio factos

10 *exinterato lepori*] Vix dubium, quin legendum sit *exenterato*. Hyginus Fab. XXX *Hydram Lernaeam Minerua monstrante interfecit et exenterauit*. Plin. XXX Nat. Hist. 5 *Idque in exenterato, profcissoque viuo* (catulo) *deprehendi*. Gronouius.

5 *apparatis epulis*] Lectionem hanc asserit quoque, quam saepe laudamus, Iuntae editio. Nescio autem, cur hic Vorstius tricetur. *Inuitare* hic non est *vocare ad epulas*, vt vir doctus et alii existimant, sed *vino epulisque liberaliter hospites accipere*. Caesar I de bello Ciu. c. 74 *Interim alii suos in castra inuitandi caussa adducunt, alii ab suis abducuntur. Inuitandi* caussa est *vt benigne eos excipiant amiceque*. Liu. I, 9 *Inuitati hospitaliter per domus, cum situm, moeniaque et frequentem tectis vrbem vidissent*: hoc est, *laute et comiter tractati*. Hinc et qui libenter vescuntur, et largius bibunt, *se ipsos inuitare* dicuntur. Sallust. *Cum se cibo vinoque laeti inuitarent*. Plaut. Amphit. I, 1 *Mira sunt, inuitauit se in coena plusculum*. Suetun. Octau. 77 *Quoties largissime se inuitaret. Apparatae epulae* sunt *splendidae, lautae, opiparae*: vt *apparatius coenare* apud Plinium in epistolis, et *profusissimi obsoniorum apparatus* apud Sueton. Vitell. 10. Inferius VIII, 8 *Fuit rex armorum, quam conuiuiorum apparatibus studiosior*. Grauius.

factos videret, rogat, *si conditio proponatur, vtrius vitae sortem legant, hesterni laboris, an praesentium epularum? praesentium*, vt acclamauere omnes, ait: *Hesterno simílem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant: se secutos, hodiernis epulis.* [7] Laetis omnibus, Medis bellum infert. [8] Astyages meriti sui in Harpagum oblitus, summam belli eidem committit. [9] qui exercitum acceptum statim Cyro per deditionem tradidit, regisque crudelitatem perfidia defectionis vlciscitur. [10] Quod vbi Astyages audiuit, contractis vndique auxiliis, ipse in Persas proficiscitur: et repetito alacrius certamine, pugnantibus suis, partem exercitus a tergo ponit, et tergiuersantes ferro agi in hostes iubet: ac denuntiat suis, [11] *ni vincerent, non minus fortes etiam post terga inuenturos, quam a frontibus viros: proinde videant, fugientibus haec, an illa pugnantibus acies rumpenda sit.* [12] Ingens, post necessitatem pugnandi, animus exercitui et vis accessit. [13] Pulsa itaque cum Persarum acies paullatim cederet, matres et vxores eorum obuiam occurrunt: orant in praelium reuertantur. [14] cunctantibus, sublata veste, obscoena corporis ostendunt, rogantes, *num in vteros matrum vel vxorum velint refugere?* [15] Hac repressi castigatione, in praelium redeunt: et facta

8 *meriti sui* etc.] Oxonienſis ex 4 MSS. legit: *in Harpago.* sed alii et luntina ſtant recte pro vulgata. *Graeuius.*

10 *tergiuersantes*] Iuntae ſcripſerunt: *et in terra vergentes ferro agi, vt in hoſtes iubet.* Non male. vereor tamen, ne haec ſint interpolata. Itaque hanc lectionem nec ipſe magnopere probo. Rationes tamen, cur improbatur, nequeo laudare. Quam diu pugnabant, terga non vertebant. Sed ſi accidiſſet, vt terga verterent, erat alia acies ciuium poſt hanc aciem collocata, quae terga vertentes retro ageret, ferrum in illos tanquam in hoſtes ſtringens. Si fugiſſet prima acies, terga vertiſſet hoſtibus, a quibus fugabatur, non ciuibus, qui a tergo pugnantium poſiti fugientes exciperent, et repellerent. Nihil tamen, ſilentibus MSS., mutandum cenſeo. *Graeuius.*

12 *ingens poſt neceſſitatem pugnandi animus exercitui eius acceſſit*] Friget hic τὸ *eius.* Cur reſpuerunt ſcripturam veteris libri? *animus exercitui et vis acceſſit.* Vis eſt *virtus, fortitudo.* Virg. *Non ea vis animo.* Saepe ſic apud noſtrum et alios. *Graeuius.*

facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt. [16] In eo praelio Astyages capitur: cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit: nepotemque in illo magis, quam victorem, egit: eumque maximae genti Hyrcanorum praeposuit. nam in Medos reuerti ipse noluit. [17] Hic finis Medorum imperii fuit. regnauerunt annos CCCL.

VII

[1] Initio regni, Cyrus Sybarem coeptorum socium, quem iuxta nocturnum visum ergastulo liberauerat, comitemque in omnibus rebus habuerat, Persis praeMedum, qui primus recensetur in serie regum Persicorum, esse Darium Medum, cuius saepe meminerit Daniel. qui non fuit Babylonius, sed Medus. Cuius etiam meminit Suidas, cum ait, Μῆδος βασιλεὺς Περσῶν *Medus Babyloniorum rex.* Et in Δαρεικῶν λίθοι μὲν χρυσοῖ πεντῆρεις οἱ Δαρεικοί. ἐκ ἀπὸ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπεως, ἀλλ' ἀφ' ἑτέρου τινὸς παλαιοτέρου βασιλέως ὠνομάσθησαν *Darici sunt stateres aurei, non a Dario, Xerxis patre, sed ab alio quodam antiquiore rege denominati.* Cum vero inter Cyrum et Darium Hystaspis filium nullus alius fuerit huius nominis rex, necessario Darius fuit, qui ante Cyrum apud Persas regnauit. Fuit iste Darius Cyaxaris filius. Hinc Danieli dicitur VI. 1 filius Asueri de semine Medorum. Cyaxares est Asuerus, vt Scaliger de emend. temp. docuit. Is fuit Phraortis filius, quem pater praefecit regno Persico nomine ac potestate regia, quia Persae iam pridem excutere volebant iugum dominationis Medorum, teste Herodoto I. 127. Cyrus autem primus vul-

16 *hic finis Medorum imperii fuit. regnauerunt annos CCCL.*] Imo, secundum calculum certiorem Herodoti, tantum annos CXXVIII imperarunt. Sed Marshamus docte ostendit quatuor Medicorum regum imperium fuisse centum quinquaginta annorum. Vide illius Canonem Chronologicum, saec. XVII. *Graeuius.*

1 *initio regni Cyrus*] Cyrus creditur primus rex fuisse Persarum. Sed apud Aeschylum in Persis V. 767 duo commemorantur, qui illum antecesserunt.

Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ.
Ἄλλος δὲ ἐκείνου παῖς τὸ δ' ἔργον ἤνυσε.
Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος, εὐδαίμων ἀνὴρ

Medus erat primus dux exercitus.
Alter eius filius opus perfecit.
Tertius ab illo Cyrus felix vir.

Tum reliquos inde Persarum reges recensetur vsque ad Xerxem. Haec primus obseruauit Ill. Marshamus in Canone Chronologico, qui et docuit illum

praepoſuit, ſororemque ſuam ei in matrimonium dedit. [2] Sed ciuitates, quae Medorum tributariae fuerant, mutato imperio, etiam conditionem ſuam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt: quae res multorum bellorum Cyro cauſſa et origo fuit. [3] Domitis demum plerisque, cum aduerſus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Croeſus, cuius opes et diuitiae inſignes ea tempeſtate erant, in auxilium venit: victusque iam ac deſolatus, in regnum refugit.

go Perſarum rex habetur, et quia pater eius erat Perſa, cum priores duo reges eſſent gente Medi; et quia res et gens Perſarum ante tempora Cyri fuerant valde obſcurae, quas primus illuſtrauit Cyrus homo Perſa. Secundus anonymus Perſarum rex apud Aeſchylum eſt Cyaxares Xenophontis, vt pluribus docet laudatus Marſhamus in Canone Chronolog. in ſaec. XVIII. *Graeuius.*

[3] *cum aduerſus Babylonios bellum gereret*] De Babyloniorum regno nihil commemorat Iuſtinus, niſi haec de illius excidio et poſt rebellionem ſub Dario, Hyſtaſpis filio, cap. vltimo huius libri. Eius origine nihil eſt obſcurius, quam tamen erudite, vt caetera, ex Canon. Chronolog. regum Babyloniorum Ptolemaei eruit Marſhamus, praeclare de doctrina temporum, ſi quiſquam, meritus. Is Canon complectitur epocham ſiue annos Nabonaſſari, primi regis Babyloniorum. Is fuit Aſſyrius gente. A tempore Nabonaſſari fuerant duplices reges Aſſyrii. Alii, qui Nini ſedem imperii habuerant, alii qui Babylone regnarant. Hinc prima pars Canonis continet regum Aſſyriorum et Medorum ſeriem, vſque ad initium Cyri. Illa complectitur annos CLVIIII. Altera Perſarum reges, vſque ad mortem Alexandri Magni annos CCXV: vt totius regni Babylonici periodus fuerit annorum CDXXIIII. Vnde conſtat quoque, Babyloniam non eſſe tantae antiquitatis, vt vulgo creditur, et ſuperius traditur a Iuſtino. Originem debet Nabonaſſari. Is vixit ſaeculo XVII poſt diluvium, anno circiter 750 ante Chriſtum natum. Nabocolaſſarus Nabopolaſſari filius, qui Ebraeis dicitur Nabucodnoſor magnus, vel ſecundus, eam mirificis operibus exornauit. Vide Marsham. ad ſaec. XVII. Vltimus Babyloniorum rex fuit Nabonadius, quem expugnata Babylone cepit Cyrus, et Carmaniae praefecit, vt auctor eſt Beroſus apud Ioſephum lib. I contra. Appion. Sed de regibus Babyloniae, quorum meminit Canon Ptolemaei, vt et de iis, quos Daniel commemorat, vide Marsham. ad ſaec. XVII et XVIII. *Graeuius.*

victuſque iam de ſe ſollicitus] Iam pridem monuit Gronouius Obſeruationum lib. IIII. reſtituendum eſſe ex MSS. *victuſque iam ac deſolatus*, h. e. *deſert*

git. [4]Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. [5]Ibi fortuna prioris praelii perculsum iam Croesi exercitum nullo negotio fundit: Croesus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto et mitior victoria fuit. [7]Croeso et vita, et patrimonii partes, et vrbs Barce concessa sunt: in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen maiestati regiae degeret. [8]Haec clementia non minus victori, quam victo, vtilis fuit. [9]Quippe ex vniuersa Graecia, cognito quod illatum Croeso bellum esset, auxilia velut ad commune extinguendum incendium confluebant. [10]Tantus Croesi amor apud omnes vrbes erat: passurusque Cyrus graue bellum Graeciae fuit, si quid in Croesum crudelius consuluisset. [11]Interiecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellauere. [12]quibus iterum victis, arma et equi ademti, iussique cauponias, et ludicras artes, et lenocinia exercere. [13]Et sic gens industria quondam potens, et manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque, virtu-

tem

desertus, nudatus, exutus exercitu, castris, copiis omnibus. Vide c. 20 illius libri. Certissima est haec veterum librorum scriptura *desolatus*, hoc est *desertus a suis*, qui fusi erant, et fuga, qua quisque poterat, suae consulebant saluti, rege relicto. *Graevius.*

7 vrbs Barce] Non est dubitandum de emendatione Bongarsii, qui censet legendum esse: *vrbs Barene*. Sic Ctesias: Καὶ ἔδωκε Κῦρος Κροίσῳ πόλιν μεγάλην Βαρήνην ἐγγὺς Ἐκβατάνων *Et dedit Cyrus Croeso vrbem magnam Barenen prope Ecbatana.* In editione Iuntina vestigia veraе huius lectionis deprehendere licet. In ea enim scribitur, *vrbs Beroea.* Graevius.

12 inssique cauponas et ludicras artes exercere] Veteres codices prae se ferre *cauponias et ludicras artes* olim monuit Valens Acidalius in lectionibus Velleianis, et merito probauit, praefatus eodem modo formatam esse hanc vocem, vt *histrionius* et *praeconius quaestus* apud Ciceronem, eamque inueniri apud Plautum, apud quem legatur *cauponius puer*. Sic et *lenonius* apud eundem Comicum Pseud. 1 1, 4 *oppidum expugnatum faxo erit lenonium.* Asseruit hanc lectionem etiam Cl. Scheffer. Sine haesitatione illam recepi, vbi vidi in Iuntina dudum eam extitisse, quam sequentes editores interpolarunt, quia huius vocis rarioris exemplum eos fugiebat. *Graevius.*

tem priſtinam perdidit; et quos ante Cyrum inuictos bella praeſtiterant, in luxuriam lapſos otium ac deſidia ſuperauit. [14] Fuere Lydis multi ante Croeſum reges, variis caſibus memorabiles. nullus tamen fortunae Candauli comparandus. [15] Hic vxorem, quam propter formae pulcritudinem deperibat, praedicare omnibus ſolebat, non contentus voluptatum ſuarum tacita conſcientia, niſi etiam matrimonii reticenda publicaret: [16] prorſus quaſi ſilentium damnum pulcritudinis eſſet. [17] Ad poſtremum vt affirmationi ſuae fidem faceret, nudam ſodali ſuo Gygi oſten-

14 *fuere Lydis multi ante Croeſum reges variis caſibus memorabiles*] Lydorum regnum eſt antiquiſſimum. Ab antiquo illius terrae rege Maeone, patre Cybeles, populi Maeones olim dicti, et quae poſtea Lydia vocabatur, appellata fuit Maeonia, vt conſtat ex Herodoto, Strabone et aliis. Primus Maeoniae rex fertur fuiſſe Menes, Iouis et Telluris filius, vt auctor eſt Dionyſ. Halic. antiqu. lib. 1. Poſt ibi rerum potitus eſt Atys, cuius filius fuit Lydus, a quo mutato priſtino nomine dicti ſunt Lydi. Ab Atye vero prima regum Lydiae familia fuit Atyadarum dicta, ad quam pertinet Omphale, Iordani filia, vxor Tmoli, cui ſeruiit Hercules tres annos. Atyadarum familiae ſucceſſerunt Heraclidae. Hercules tempore ſeruitutis, conſueuit cum Omphales ancilla, quae puerum ex illo ſuſtulit, cui Cleolao nomen. Vide Apollodor. Biblioth. Lib. 2. Cleolai nepos fuit Argon, Alcaei filius, qui extincta Atyadarum gente, regnum tranſtulit ad Heraclidas paulo ante bellum Troianum. Herodo. 1, 7. Hi rerum potiti ſunt annos DV. Vltimus huius familiae fuit Candaules, Myrſi filius, de quo hic Iuſtinus. Tertia familia regum Lydiae fuit Mermnadarum, cuius primus rex fuit Gyges, vltimus Croeſus, qui dicuntur imperaſſe Lydis annos CLXX. Haec in tironum gratiam. Plutibus exequitur iſta Cl. Marſhamus Canone Chronologico cap. 17. *Graeuius.*

fortunae Candauli] Simpliciter hic locus eſt accipiendus, nempe vt nullius regis caſus fuerit ſimilis fortunae Candauli, quod loquendi genus iam illuſtrauimus IIII Obſeruat. 8. Caeterum *Candauli* eſt ſecundi caſus. Id enim placuit veteribus, vt in nominibus propriis in *es* deſinentibus ſecundum caſum efferrent per *i*, non per *is*. Vt Terent. *Chremi*. Cic. *Socrati*. Gell. *Euripidi, Sophocli*, et ſic apud alios: quia et Graeci etiam nomina alioquin in ης deſinentia ſaepe per ους finiebant. *Gronouius.*

15 *quam propter formae pulcritudinem deperibat*] Iuntina: *quam propter formae pulcritudinem nimium deperibat*. *Graeuius.*

ostendit. [18] Quo facto, et amicum in adulterium vxoris sollicitatum, hostem sibi fecit: et vxorem, veluti tradito alii amore, a se alienauit. [19] Namque breui post tempore caedes Canduli nuptiarum praemium fuit; et vxor mariti sanguine dotata, regnum viri et se pariter adultero tradidit.

VIII

[1] Cyrus, subacta Asia, et vniuerso Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. [2] Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quae non muliebriter aduentu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, et sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, et hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem. [3] Itaque Cyrus traiectis copiis, cum aliquantisper in

19 *nuptiarum praemium*] Et hic locus sanitatem debet Gronouio, qui Obseruat. II cap. 25 egregie restituit *pretium*. Quia caedes pretium fuit nuptiarum, quo emit quasi et consecutus est nuptias reginae Candaules. Caedes enim non praemium nuptiarum fuit, sed nuptiae praemium caedis. Nihil certius. vide, quae ibi firmandae huic lectioni affert. In alia omnia it politissimus ille Faber, cuius memoria mihi semper erit desideratissima. Nec tamen persuaderi possum, vt a doctoris mei sententia discedam. Nam licet demus *nuptiarum praemium* poni pro *nuptiali praemio*, vt *munus funeris* pro *munere funebri*, tamen videtur ipsa huius loci ratio postulare, vt legamus *nuptiarum pretium*. Caedes enim Candaulis non fuit praemium nuptiale. nam praemia nuptialia offerebantur, cum iam conditiones essent matrimonii acceptae, et sponsa in mariti manum conueniisset, sed pretium nuptiarum est res, qua mulieres conciliantur, vt in nuptias consentiant, res quae viris puellas et illarum nuptias conficit. Sic veteres locuti. Florus III, 1 *Qui vbi diffusus rebus suis alienae cladis accessio fieri timet, pretium foederis atque amicitiae, regem facit*. Sicvt hic rex traditus fuit pretium amicitiae et foederis, hoc est, traditione Iugurthae sibi conciliauit foedus et amicitiam Romanorum Bocchus, sic et caedes Candaulis fuit pretium nuptiarum reginae. Exempla alia sunt in promtu. vide Gronouium in Obseruationibus laudatis. *Graeuius*.

2 *Tamyris*] Iuntae illi Bongarsiano MS. adsentiuntur, qui scribit *Tomyris*. Et sic omnino ex Luciano et Herodoto scribendum vbique. *Graeuius*.

Scythiam proceſſiſſet, caſtra metatus eſt. 4 Dein poſtera die, ſimulato metu, quaſi refugiens caſtra deſeruiſſet, vini affatim, et ea quae epulis erant neceſſaria, reliquit. 5 Quod cum nuntiatum reginae eſſet, adoleſcentulum filium, ad inſequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. 6 Cum ventum ad Cyri caſtra eſſet, ignarus rei militaris adoleſcens, veluti ad epulas, non ad praelium veniſſet, omiſſis hoſtibus, inſuetos barbaros vino ſe onerare patitur, 7 priusque Scythae ebrietate, quam bello vincuntur. 8 Nam cognitis his, Cyrus reuerſus per noctem, ſaucios opprimit, omnesque Scythas cum reginae filio interficit. 9 Amiſſo tanto exercitu, et, quod grauius dolendum, vnico filio, Tomyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, ſed in vltionis ſolatia intendit; hoſtesque recenti victoria exultantes, pari inſidiarum fraude circumuenit. 10 Quippe ſimulata diffidentia propter vulnus acceptum, refugiens, Cyrum ad anguſtias vſque produxit. 11 Ibi compoſitis in montibus inſidiis,

4 *dein poſtera die ſimulato metu, quaſi refugiens, caſtra deſeruiſſet, ita vini affatim*] Hunc locum ex Oxonienſi et Iuntina ſic reſtitui: *Dein poſtera die, cum, ſimulato metu, quaſi refugiens caſtra deſeruiſſet, vini affatim et ea quae erant epulis neceſſaria, reliquit. Cum* ex Iuntina interpoſui: *ita* auctoribus mſſ. Anglicanis et Iuntina deleui. Paullo ante eadem editio Iuntina: *Cum prohibere eos poſſet, vadum Araxis fluminis tranſire permiſit.* ſed *fluminis* irrepſit ex margine. Quis credat Iuſtinum breuitatis tam ſtudioſum in eadem periodo iterato ſine neceſſitate vſurum eadem voce? continuo enim ſequitur: *et ſibi faciliorem pugnam intra regni ſui terminos rata, et hoſtibus obiectu fluminis fugam difficiliorem.* Graeuius.

9 *et quod grauius dolendum*] Oxonienſis ex MS. *et quod gravius dolet.* probe. *Graeuius. Et quod grauius doleret* legitur in altero MS. Voſſ. *Gronouius.*

in vltionis ſolatia intendit] *Intendere dolorem* eſt *augere*, vt *intendere vocem, linguam*, apud Tullium. *Intendere dolorem in ſolatium* eſt *acrius dolere, vt ſolatium capias.* Haec vero balbuties eſt Iuſtino et Trogo indigna. Recte Freinſhemius vidit *animum* eſſe intelligendum, vt alibi quoque hanc vocem addit huic verbo, alibi omittit Iuſtinus. *Intendere animum in vltionis ſolatia* eſt *cogitare acrius de ſolatio doloris capiendo ex vltione.* Graeuius.

10 *Cyrum ad anguſtias vſque perduxit*] Optime Iuntae *produxit.*

diis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidavit. [12] In qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis superfuit. [13] Caput Cyri amputatum, in vtrem humano sanguine repletum coniici regina iubet, cum hac exprobratione crudelitatis: *Satia te*, inquit, *sanguine, quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti.* [14] Cyrus regnauit annos XXX, non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

VIIII

[1] Huic successit filius Cambyses, qui imperio patris Aegyptum adiecit: [2] sed offensus superstitionibus Aegyptiorum, Apis, caeterorumque deorum aedes dirui iubet. [3] Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum, exercitum mittit: qui tempestatibus et harenarum molibus oppressus interiit. [4] Post haec per quietem vidit fratrem suum Smerdim regnaturum. [5] Quo somnio exterritus, non dubitavit post sacrilegia etiam parricidium facere. [6] Erat enim difficile, vt parceret suis, qui, cum contemtu religionis, grassatus etiam aduersus deos fuerat. [7] Ad hoc tam crudele ministerium, magum quendam ex

duxit. est enim proprium verbum in hac re. Caesar VII de bello Gallico: *Cum fuga vehementi Volusenum longius produxisset.* Idem III de bell. ciuil. *Elicuit naues Caelianas, atque ex his longius productam vnam quinqueremem et minores duas in angustiis portus cepit.* Non potuit inueniri vox aptior et huic loco accommodatior, quam quae in Iuntina legitur, cuius vim cum non intelligerent sequentes editores, id immutarunt in notius, vt plerumque fit. Interpolationum enim praecipua causa ignorantia priscae elegantiae. Hinc recentiores aut descriptores aut editores exquisitioribus et parum tritis suppositorum vulgatiora vocabula et locutiones. Nam quod aiunt *producere* esse *porro ducere*, verissimum est. An vero qui in fraudem pellicit, cedendo fugiendoque, donec perueniat in locum, vbi insidiae sunt structae, an non is persequentem porro ducit, hoc est, eo producit, quo scit esse qui in insidiis sunt collocati? *Graeuius.*

4 *Mergim*] Iuntae: *Smerdem.* MS. *Smergim.* Lege *Smerdim* ex Herodoto. *Graeuius.*

7 *nomine Cometem*] Iuntina et nonnullae aliae: *Praexaspen.* Ab

amicis delegit, nomine Cometem. [8] Interim ipse, gladio sua sponte euaginato, in femore grauiter vulneratus, occubuit; poenasque luit, seu imperati parricidii, seu sacrilegii perpetrati. [9] Quo nuntio accepto, magus ante famam amissi regis occupat sacinus, prostratoque Smerde, cui regnum debebatur, fratrem suum subiecit Oropasten. [10] Erat enim et oris, et corporis lineamentis persimilis; ac nemine subesse dolum arbitrante, pro Smerde rex Oropasta constituitur. [11] Quae res eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie maiestatis occulitur. [12] Igitur magi, ad fauorem populi conciliandum, tributa et militiae vacationem in triennium remittunt;

[13] vt

Ab Herodoto sane Praexaspes appellatur in Thalia c. 30. *Graeuius.*

8 *in femore*] Quum in MSS. omnibus legatur *in femur*, suspicor, autorem hic vsum fuisse Graecismo, et scripsisse *femur* omissa praepositione. Nec aliter Liu. XXI, 7 *Annibal ipse dum murum incautius subit, aduersum femur tragula grauiter ictus cecidit.* Sueton. in Octauio 20 *Vna acie dextrum genu lapide ictus: altera et crus et vtrumque brachium ruina pontis consauciatus.* Valer. Max. III, 2. 23 *Tragula femur traiectus, saxique pondere ora contusus.* Auctor Bell. Afric. 78 *Pacidius grauiter pilo per cassidem caput ictus.* Idem 85 *Pompeius Rufus brachium gladio percussus.* Eodem modo, quo Gambyses, occubuit Engelramus de Cusci, teste Matth. Paris. in Henrico III pag. 862. *Gronouius.*

10 *erat enim et oris et corporis lineamentis persimilis*] Iuntae: *Erat enim oris et corporis lineamentis persimilis.* lege: *erat enim ei oris et corporis lineamentis persimilis.* Graeuius. Videtur legendum: *Erant enim et oris et corporis lineamentis persimiles.* Gronouius.

12 *tributa et militiae vacationem etc.*] Omnino legendum *tributa et militiam vacatione in triennium remittunt*: ipsoque Auctore illam lectionem confirmante XI, 1 *Alii taedio longinquae militiae remissam sibi expeditionem gaudebant.* Et XXXVIII, 3 *Debita ciuitatibus publica priuataque remittit, et vacationem quinquennii concedit. Et delectum remittere* Liu. XXXX, 28. *Gronouius.* Iuntae et vnus MS. *remittunt.* Quod probat Gronouius, et pluribus asserit Obseruat. lib. IIII, 2. His accedunt tres Anglicani, in quibus *permittunt.* Retinenda vulgata, sed non ideo tetinenda, quod *permittere* significet *remittere*, quem doctorum virorum errorem dudum reiecit acerrimi iudicii vir Iohannes

Frede-

[13] vt regnum, quod fraude quaesierant, indulgentia et largitionibus confirmarent. [14] Quae res suspecta primo Ostani viro nobili, et in coniecturis sagacissimo, fuit. [15] Itaque per internuntios quaerit de filia, quae inter regias pellices erat, an Cyri regis filius rex esset. [16] Illa, *nec se ipsam scire*, ait, *nec ex alia posse cognoscere: quia singulae separatim recludantur.* [17] Tum pertractare dormienti caput iubet. nam mago Cambyses aures vtrasque praeciderat. [18] Factus deinde per filiam certior, sine auribus esse regem, optimatibus Persarum rem indicat, et in caedem falsi regis impulsos, sacramenti religione obstringit. [19] Septem tantum conscii fuere huius coniurationis; qui ex continenti, ne, dato in poenitentiam spatio, res per quenquam narraretur, occultato sub veste ferro, ad regiam pergunt. [20] Ibi obuiis interfectis, ad magos peruenium: quibus ne ipsis quidem animus in auxilium sui defuit: [21] siquidem stricto ferro duos de coniuratis interficiunt. [22] Ipsi tamen corripiuntur a pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus, cunctantibus sociis, ne ipsum pro mago transfoderent, quia res obscuro loco gerebatur, vel per suum corpus adigi mago ferrum iussit: [23] fortuna tamen ita regente, illo incolumi magus interficitur.

Fredericus Gronouius in loco laudato; sed quod duobus pluribusue nominibus nonnunquam apponatur verbum, quod ad vltimum tantum potest referri, cum ad praecedentia sit aliud intelligendum. vide, quae de his locutionibus notaui ad ad Flori III, 21. Locus Augustini, quem Vossius attulit, nihil facit ad id, quum *permittere* contendunt poni pro *remittere*, confirmandum. Haec enim mens est Augustini: *Deus neque permittendo*, scilicet vt debeatur, hoc est, vt peccetur nimirum impune, *neque exigendo quod debetur*, hoc est, puniendo peccata, *iniustus est. Permittunt* igitur Magi *militiae vacationem*, sed ad *tributa* intelligendum *remittunt*. Graevius.

13 *indulgentia, et largitionibus*] Sic male editi. omnes enim scripti libri, *indulgentiae largitionibus*. Eodemque modo infra XVI, 1 *Stirps subolis*. Gronouius.

16 *recludantur*] Forte *secludantur*. Gronouius.

X

[1]Occisis magis, magna quidem gloria recepti regni principium fuit: sed multo maior in eo, quod cum de regno ambigerent, concordare potuerunt. [2]Erant enim virtute et nobilitate ita pares, vt difficilem ex his populo electionem aequalitas faceret. [3]Ipsi igitur viam inuenerunt, qua de se iudicium religioni et fortunae committerent. [4]Pactique inter se sunt, vt die statuta omnes equos ante regiam primo mane perducerent: et cuius equus inter Solis ortum hinnitum primus edidisset, is rex esset. [5]Nam et Solem Persae vnum deum esse credunt: et equos eidem deo sacratos ferunt. [6]Erat inter coniuratos Darius Hystaspis filius: cui de regno sollicito equi custos ait, *si ea res victoriam moraretur, nihil negotii superesse.* [7]per noctem deinde equum pridie constitutam diem ad eundem locum ducit, ibique equae admittit, ratus, ex voluptate Veneris futurum, quod euenit. [8]Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes conuenissent, Darii equus, cognito loco, ex desiderio feminae hinnitum statim edidit: et, segnibus aliis, felix auspicium domino primus emisit. [9]Tanta moderatio caeteris fuit, audito auspicio, vt confestim equis desilierint, et Darium regem salutaverint. [10]Populus quoque vniuersus, secutus iudicium principum, eundem regem constituit. [11]Sic regnum Persarum, septem nobilissimorum virorum virtute quaesitum, tam leui momento in vnum collatum est. [12]Incredibile prorsus, tanta patientia cessisse eo, quod vt eriperent magis, mori non recusauerint. [13]Quanquam praeter formam, virtutemque hoc imperio dignam, etiam cognatio Dario iuncta cum pristinis regibus fuit. [14]Principio igitur regni, Cyri regis filiam in matrimonium recepit, regalibus nuptiis

1 *de regno ambigerent*] Liu. XXI, 33 *Regni certamine ambigere.* Terent. Heaut. III, 1. 93 *Vicini nostri hic ambigunt de fi-vibus.* Festus in V. *Silaii*: *Quum inter eos de regno ambigeretur.* Gronouius.

14 *Cyri regis filiam*] Vox *regis* est a mala manu, nec MSS. Codd. Bongarsii illam agnoscunt, vti nec duo Vossiani Codd. *Gronouius.*

ptiis regnum firmaturus: vt non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reuersum, videretur. [15] Interiecto deinde tempore, cum Assyrii desciuissent, et Babyloniam occupassent, difficilisque vrbis expugnatio esset; aestuante rege, vnus de interfectoribus magorum, Zopyrus domi se verberibus lacerari toto corpore iubet: nasum, aures, et labia sibi praecidi: atque ita regi inopinanti se offert. [16] Attonitum, et quaerentem Darium causas, auctoremque tam foedae lacerationis, tacitus, quo propositio fecerit, edocet; formatoque in futura consilio, transfugae titulo Babyloniam proficiscitur. [17] Ibi ostendit populo laniatum corpus: queritur crudelitatem regis, a quo in regni petitione non virtute, sed auspicio, non iudicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit: [18] iubet illos ex amicis exemplum capere, quid hostibus cauendum sit: [19] horatur, non moenibus magis quam armis confidant, patiantunque se commune bellum recentiore ira gerere. [20] Nota nobilitas viri pariter et virtus omnibus erat: nec de fide timebant, cuius veluti pignora, vulnera corporis et iniuriae notas habebant. [21] Constituitur ergo dux omnium suffragio: et accepta parua manu, semel atque iterum cedentibus consulto Persis, secunda praelia facit. [22] Ad postremum vniuersum sibi creditum exercitum Dario prodit, vrbemque ipsam in potestatem eius redigit. [23] Post haec Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur.

22 *At postremo*] Ex Iuntina recepi *ad postremum*, quod et Oxonienſibus placuit ex MS. et Tanaquillo Fabro ex coniectura. *Gratius.*

LIBER II
BREVIARIVM CAPITVM

I *Scytharum origo et antiquitas, de qua cum Aegyptiis contendunt.*

II *Descriptio Scythiae, et morum gentis, quae in plaustris degens iustitiam colit et continentiam.*

III *Scytharum fortitudo bellica. Aegyptios fugant, Asiamque reddunt tributariam.*

IIII *Amazonum a Scythis origo, reginae, res gestae.*

V *Bellum Scytharum aduersus seruos, quos lepido strategemate reprimunt. Darius Scythis, deinde Ionibus et Atheniensibus, arma infert.*

VI *Atheniensium origo, gloriatio, industria, artes, reges.*

VII *Respublica Athenienſis Solonis legibus et politico strategemate firmata.*

VIII *Pisistratus post fortiter gesta in Megarenses tyrannidem per XXXIII annos occupat.*

VIIII *Eiusdem filius, Hippias, patria pulsus Persarum exercitum in Graeciam adduxit, inde nobilis illa Marathonia pugna, in qua victi Persae. Athenienses victores, duce Miltiade.*

X *Dissidium fraternum de regno inter Darii filios. Xerxes bellum aduersus Graecos instaurat validissimo exercitu.*

XI *Fortitudine Spartanorum, quorum rex Leonidas, Persae ad Thermopylas maxima clade afficiuntur.*

XII *Themistoclis industria Persarum classis ad Salaminium fretum nauali praelio victa, post multam stragem fuga sibi consulit.*

XIII *Mardonio terrester exercitus commissus. Xerxes aegre euadit piscatoria scapha. eiusdem pedester exercitus fame obruitur: vnde noua clades.*

XIIII *Mardonius in Boeotia ad Plataeeas, cum Persis a Graecorum copiis victus, cum paucis profugit. eodem fere momento aduersus Persas in Asia feliciter dimicatum est.*

XV *Athenienses, Spartanis delusis, vrbem ex integro restaurant. Spartani Persarum fines depopulantur. Pausanias defectionis reus damnatur. Aristides proditoris consilia discutit. Xerxes iterum arma mouet infeliciter, a Cimone nauali terrestrique praelio superatus.*

I

[1] In relatione rerum ab Scythis gestarum, quae satis amplae magnificaeque fuerunt, principium ab origine repetendum est. [2] Non enim minus illustria initia, quam imperium, habuere. nec virorum imperio magis,

[2] *nec virorum imperio*] Vterque Cod. MS. Voss. vocem postremam ignorat, vti nec in suis inuenit Bongarsius. *Gronouius.*

magis, quam feminarum virtutibus claruere. [3] Quippe cum ipſi Parthos Bactrianoſque, feminae autem eorum Amazonum regna condiderint: [4] prorſus vt res geſtas virorum mulierumque conſiderantibus incertum ſit, vter apud eos ſexus illuſtrior fuerit. [5] Scytharum gens antiquiſſima ſemper habita: quanquam inter Scythas et Aegyptios diu contentio de generis vetuſtate fuerit: [6] Aegyptiis praedicantibus: *initio rerum cum aliae terrae nimio feruore ſolis arderent, aliae rigerent frigoris immanitate, ita vt non modo primae generare homines, ſed ne aduenas quidem recipere ac tueri, poſſent, priuſquam aduerſus calorem vel frigus velamenta corporis inuenirentur, vel locorum vitia, quaeſitis arte remediis, mollirentur.* [7] *Aegyptum ita temperatam ſemper fuiſſe, vt neque hiberna frigora, nec aeſtiui ſolis ardores incolas eius premerent;* [8] *ſolum ita fecundum, vt alimentorum in vſum hominum nulla terra feracior fuerit.* [9] *Iure igitur ibi primum homines natos videri debere, vbi educari facillime poſſent.* [10] Contra, Scythae caeli temperamentum prodiiſſe, vbi facillime potuerint propter caeli et ſoli benignitatem educari. *Facillime* eſt in magna rerum affluentia, quas ibi fert terra in tutelam hominum. Illa ſoli foecunditas, quam praedicant Aegyptii in verbis praecedentibus, ſignificatur. Portius latro in vita Terentii

Nihil Publius
Scipio profuit, nihil illi Laelius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.

Ipſe Terentius Adelph. III, 4
Quam vos facillime agitis, quam eſtis maxime
Potentes.

Theocritus Idyll. XI, 7
Οὕτω γὰν ἐμάνη Διὸς ὁ Κύκλωψ ὁ παῖς ἡμῖν
Sic Cyclops apud nos facillime vixit.

6 *tueri*] Cic. XIII Fam. Ep. 11 *Sarta tecta aedium locorumque communium tueri*: et I in Verr. 50 *Aedem Caſtoris P. Iunius habuit tuendam.* ICtus Valens in L. 12 D. Legat. III *Stichus liber eſto et vt eum heres artificium doceat, vnde ſe tueri poſſit, peto.* Eadem ratione *tutelam* vſurparunt optimi quique, vt infra XVI, 3 *In tutelam claſſis tributum deſcribere*: et Senec. ad Heluet. 9 *Terra vix ad tutelam incolentium fertilis*: et Celſus in L. 30 D. de Legat. II *Reip. lego in tutelam viae.* Gronouius.

9 *vbi educari facillime poſſent*] Sic et Iuntina. Non audiendi ſunt illi codices, qui expungunt *facillime*. Aegyptiorum hoc fuit argumentum: Credibile eſſe, ibi primos homines

mentum nullum esse vetustatis argumentum putabant: [11] *quippe naturam, cum primum incrementa caloris ac frigoris, regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam, animalia quaeque generasse:* [12] *sed et arborum atque frugum, pro regionum conditione, apte genera variata.* [13] *Et quanto Scythis sit caelum asperius, quam Aegyptiis, tanto et corpora et ingenia esse duriora.* [14] *Caeterum si mundi, quae nunc partes sunt, aliquando vnitas fuit; siue illuuies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit: siue ignis, qui et mundum genuit, cuncta possedit; vtriusque primordii Scythas origine praestare.* [15] *Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paullatim extinctus, sedem terris dedit; nullam prius, quam Septentrionalem, partem, hiemis rigore ab igne secretam: adeo vt nunc quoque nulla magis rigeat frigoribus.* [16] *Aegyptum vero, et totum Orientem, tardissime temperatum: quippe qui etiam nunc torrenti calore solis exaestuet.* [17] *Quod si omnes quondam terrae submersae profundo fuerunt; profecto editissimam quamque partem, decurrentibus aquis, primum detectam, humillimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam:* [18] *et quanto prior quaeque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare coepisse.* [19] *Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, vt cuncta flumina ibi nata, in Maeotim, tum deinde in Ponticum et Aegyptium mare decurrant.* [20] *Aegyptum autem, quae tot regum, tot saeculorum cura impensaque munita sit, et aduersum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis concisa, vt cum his arceantur, illis recipi-*

11 *animalia quoque generasse*] Iuntina rectius *quaeque*, quod et Oxonienses MS. fidem secuti probarunt. vulgo: *animalia quoque generasse*. Graeuius.

14 *illuuies aquarum*] Gronou. ad Liu. I, 4 scribendum censet et hic et in cap. 6 huius libri, *eluuies*: quia *illuuies* sordes sint exterius adspersae, *eluuies* vero inundatio. *Graeuius.*

20 *tot fossis concisa*] Sic merito Gronouius legendum censet ex antiquis editionibus, suffragante Iuntina. Eadem in verbis praecedentibus: *aduersus vim decurrentium aquarum tantis instructa molibus*, optime, si veteres libri adsentiuntur. Vulgati: *aduersus vim incurrentium aquarum tantis structa molibus.* Sed *Aegyptum struere molibus*

recipiantur aquae; nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit, non posse videri hominum vetustate ultimam, quae sive ex aggerationibus regum, sive Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur. [21] His igitur argumentis superatis Aegyptiis, antiquiores semper Scythae visi.

II

[1] Scythia autem in Orientem porrecta, includitur ab vno latere Ponto, et ab altero montibus Riphaeis: a tergo Asia et Phasi flumine. [2] multum in longitudinem et latitudinem patet. [3] hominibus inter se nulli fines. neque enim agrum exercent: nec domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est, armenta et pecora semper pascentibus, et per incultas solitudines errare solitis. [4] Vxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hiemisque caussa tectis, pro domibus vtuntur. [5] Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. [6] Nullum scelus apud eos furto grauius: quippe sine tecto munimentoque pecora et armenta inter

mollibus quam Latine dicatur, viderint, qui vulgatam defendunt. *Graeuius.*

nil trahentis limum] Caeterorum librorum lectio *Nili limum trahentis* longe est verior et certior. *Nili limum trahentis* est id ipsum quod Diodorus Siculus de hoc fluuio dicit, τὸ Νεῖλος τὴν ἐξ Αἰθιοπίας ὕλην καταφέροντος *Nili ex Aethiopia limum secum ferentis.* Curtius III, 11 de Marsya: *Inde diffusus circumiectos irrigat campos, liquidus, et suas vndas trahens.* IIII, 9 de Tigri: *Multorum torrentium non aquas solum, sed et etiam saxa secum trahens.* Graeuius.

6 sine tecti munimento pecora et armenta habentibus, quid sal-

uum esset] MSS. *quid inter sylvas supereſſet.* Editiones veteres: *quid saluum esset*; quas sequitur Berneccerus. Sed *inter sylvas*, quod retinent omnes MSS., non erat eiiciendum, sed reponendum suo loco cum luntis, apud quos recte legitur: *Nullum scelus apud eos furto grauius, quippe sine tecto munimentoque pecora et armenta inter sylvas habentibus quid saluum esset, si furari liceret?* Haerent hic viri eruditi sine caussa. Nam *inter sylvas* Latinissime dici pro *in sylvis*, non puto exemplis hoc declarandum, cum obuia sint et trita. Nec frustra *inter sylvas* additur. Quid saluum esset, si furari liceret, cum sine tecto munimentoque in sylvis perpetuo degant cum pecoribus, *in sylvis*, in

inter siluas habentibus, quid saluum esset, si furari liceret? [7]Aurum et argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt. [8]Lacte et melle vescuntur. [9]Lanae iis vsus ac vestium ignotus: quanquam continuis frigoribus vrantur; pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur. Haec continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. [10]Quippe ibidem diuitiarum cupido est, vbi et vsus. [11]Atque vtinam reliquis mortalibus similis moderatio, et abstinentia alieni foret! [12]profecto

inquam, in quibus facilius fures possunt latere, et grassari minore cum periculo in illic agentium bona. Hinc semper syluae et luci fuerunt receptacula latronum, aliorum facultatibus et vitae insidiantium. Propterea callium et saltuum cura Romanis mandabatur magistratibus. Haec itaque verba, *inter syluas*, augent id quod dixerat, Scythas non furari, quamuis furandi fenestram quasi aperiant syluae, in quibus cum pecoribus viuant semper sine vllo tecto et munimento. MSS. quoque tres Anglicani stabiliunt hanc scripturam, quamvis *inter syluas* non his verbis adiecta sint, sed sequentibus. Sic enim in illis extare testantur Oxonienses: *sine tecto munimentoque pecora et armenta habentibus, quid saluum inter syluas superesset, si furari liceret?* Et sane haec quoque non potest damnari lectio, quamuis illorum librorum, quos Aldus et Iunta sunt secuti, sit elegantior. *Graeuius.*

7 *non perinde ac reliqui mortales appetunt*] Iuntae cum nonnullis MSS. et edd. *Aurum et argentum perinde adspernantur, ac reliqui mortales appetunt.* Adstipulantur tres Anglicani. *Graeuius.*

9 *Lanae iis vsus ac vestium ignotus*] MS. Anglicanus: *lanae iis vsus ad vestium ignotus.* Sed haec interpolauit sciolus, qui nesciuit per ἐν διὰ δυοῖν *lanae ac vestes* dici pro *laneae vestes.* Nullis vtuntur laneis vestibus, vt Graeci, Romani, ac pleraeque aliae gentes, sed pelliceis tantum. Huius schematis ignoratio viros doctos quoque in errorem induxit, vt haererent in sequentibus, *pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur.* ibi non male Iuntae pro *vtuntur* scribunt *vestiuntur*, sed male pro *ferinis* reposuerunt *felinis. Ferinae* pelles sunt maiorum animalium, vt luporum, vrsorum; *murinae* vero minorum, vt vulpium, leporum, cuniculorum, vt recte monuerunt viri docti. *Graeuius.*

morum quoque iustitiam edidit] Hoc est, peperit. Cic. *qui nihil possunt dignum hominum auribus efficere atque edere.* Apud eundem est, *edere magnam ruinam, edere fructum.* Iuntina tamen: *morum quoque iustitiam dedit.* et Oxonienses ex duobus MSS. *morum quoque iustitiam addidit.* Sed *addere iustitiam* Latinis genus loquendi est insolens. *Graeuius.*

fecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur; [13] neque plus hominum ferrum et arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. [14] Prorsus vt admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina, praeceptisque philosophorum, consequi nequeunt; cultosque mores incultae barbariae collatione superari. [15] Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.

III

[1] Imperium Asiae ter quaesiuere; ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere. [2] Darium, regem Persarum, turpi ab Scythia summouerunt fuga: [3] Cyrum cum omni exercitu trucidauerunt: [4] Alexandri Magni ducem Zopyriona pari ratione cum copiis vniuersis deleuerunt: [5] Romanorum audiuere, non sensere, arma. [6] Parthicum et Bactrianum imperium ipsi condiderunt. [7] Gens laboribus et bellis aspera: vires corporum immensae: nihil parere, quod amittere timeant: nihil victores praeter gloriam concupiscunt. [8] Primus Scythis bellum indixit Vexoris rex Aegyptius, missis primo lenonibus,

7 *gens et laboribus et bellis aspera*] Hoc genus loquendi, vt perquam Auctori nostro, sic et aliis scriptoribus, placuit, nempe ἀν διὰ δυοῖν. Pro quo XXIII, 1 *labores bellicos*. Sic tamen et Ouid. III Met. 32 *Martius anguis erat cristis praesignis et auro*. et Virg. XI Aen. 126 *iustitiaene prius mirer, belline laborum?* Infra 2 *lanae ac vestium vsus*. et XII, 6 *Quantum fabularum et inuidiae*. Gronouius.

8 *missis primo lenonibus*] Reposuerunt Oxonienses ex tribus MSS. veterum editionum scripturam, *missis primo legatis*, quam et Iuntina agnouit. Sed cum *lena* in bonam accipiatur partem pro conciliatrice, vt apud Ouid. *maxima lena mora est*; et *lenocinium* apud nostrum lib. XI, 12 *Nec a se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quaereret*. hoc est, quae facilius sibi pacem sint conciliatura, et veniam impetratura: et *lenocinari* saepe. Cic. de Orat. *Ipsa sollicitudo commendat euentum, et lenocinatur voluptati*: cur non *leno* quoque in bonam accipiatur partem, pro pacis conciliatore? Igitur non repudianda lectio, quam

nonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. [9] Sed Scythae iam ante de aduentu regis a finitimis certiores facti, legatis respondent: [10] *tam opulenti populi ducem stolide aduersus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum*: [11] *quod belli certamen anceps, praemia victoriae nulla, damna manifesta sint.* [12] *Igitur non exspectaturos Scythas, dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint; vltroque praedae ituros obuiam.* [13] Nec dicta res morata: quos cum tanta celeritate venire rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum se recepit. [14] Scythas ab Aegypto paludes prohibuere: [15] inde reuersi, Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriae praemium, impositio. [16] Quindecim annis pacandae Asiae immorati, vxorum flagitatione reuocantur, per legatos denuntiantium: [17] *ni redeant, sobolem se ex finitimis quaesituras, nec passuras, vt in posteritatem Scytharum genus per feminas intercidat.* [18] His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus, rex Assyriorum, imposuit.

IIII

[1] Sed apud Scythas medio tempore duo regii iuuenes, Ylinos et Scolopitus, per factionem optimatum domo pulsi, ingentem iuuentutem secum trahere; [2] et in Cappadociae ora, iuxta amnem Thermodonta

in antiquissimis libris eruditi viri inuenerunt. *Graeuius.*

legem dicerent] Eodem modo Liu. XXIII, 49 *Neminem aliunde, quam ipsos, legem dicturum.* Gronouius.

13 *nec dicta res morata*] Ouid. IIII Met. 546 *res dicta sequuta est.* et Apoll. Rhod IIII Argon. 103 Ἔνθ' ἔπος ἄδε καὶ ἔργον ὁμὴ πέλεν ἐσσυμένοισιν. Gronouius.

in regnum se recepit] Angli ex tribus MSS. *in regnum trepidus se recepit.* Sic et editio Iuntina. *Graeuius.*

16 *per legatos denuntiantibus*] *Denuntiantium* Iuntae et MS. *Graeuius.*

2 *Thermodonta*] Iuntae: *Thermodoonta.* Vtrumque dicitur, *Thermodon* et *Thermodoon.* Graeuius. Hinc et Ouid. IIII ex Ponto Epist. 10 *Et tu feminea Thermodon cognita turmae* et Propert. III El 2 *Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis Thermodonteis turba* [lauatur *aquis.* Gronouius.

donta confederunt, ſubiectosque Themiſcyrios campos occupauere. [3] Ibi per multos annos ſpoliare finitimos aſſueti, conſpiratione populorum per inſidias trucidantur. [4] Horum vxores, cum viderent exilio additam orbitatem, arma ſumunt: fineſque ſuos, ſummouentes primo, mox etiam inferentes bella, defendunt. [5] Nubendi quoque finitimis animum omiſere; ſeruitutem, non matrimonium, appellantes. [6] Singulare omnium ſaeculorum exemplum auſae, auxere rempublicam ſine viris: iam etiam cum contemtu virorum ſe tuentur. [7] Et ne feliciores aliae aliis viderentur; viros, qui domi remanſerant, interficiunt. [8] Vitionem quoque caeſorum coniugum, excidio finitimorum conſequuntur. [9] Tum pace armis quaeſita, ne genus interiret, concubitum finitimorum ineunt. [10] Si qui mares naſcerentur, interficiebant. Virgines in eundem ipſis morem, non otio, neque lanificio; [11] ſed armis, equis, venationibus, exercebant, inuſtis infantum dexterioribus mammis, ne ſagittarum iactus impediretur: vnde Amazones dictae ſunt. [12] Duae his reginae fuere, Marpeſia et Lampedo, quae in duas partes agmine diuiſo, inclytae iam opibus, vicibus gerebant bella, ſolae terminos alternis defendentes: [13] et ne ſucceſſibus deeſſet auctoritas, genitas ſe Marte praedicabant. [14] Itaque maiore parte Europae ſubacta, Aſiae quoque nonnullas ciuitates occupauere. [15] Ibi Epheſo, multiſque aliis vrbibus conditis, partem exercitus cum ingenti praeda domum dimittunt. [16] Reliquae,

quae

6 *ſingulare omnium ſaeculorum exemplum auſae, auxere rempublicam ſine viris*] Gronovius ex veſtigiis MSS. legit: *ſingulare omnium ſaeculorum exemplum auſae, rempublicam agere ſine viris, iam etiam cum contemtu virorum ſe tuentur*: Aut, quod elegantius exiſtimat: *ſingulare omnium ſaeculorum exemplum auſae, rempublicam ſine viris, iam etc.* Obſeru. IIII, 14. Graeuius.

12 *duae in his reginae fuere Marthefia et Lampeto*] MS. vnus Bongarſii: *Marceſia*. legendum, *Marpeſia*, ex Iornande et veteribus editionibus. Diodor. Siculus VIIII, 16 *Marpen* videtur appellare. Recte Voſſius *Lampedo*. et ſic Iuntina. Caeterum et Oxonienſes ex vno MS. pro *duae in his reginae* repoſuerunt *duces iis fuere*. Graeuius.

quae ad tuendum Asiae imperium remanserant, concursu barbarorum cum Marpesia regina interficiuntur. [17] In huius locum filia eius Orithya regno succedit: cui, praeter singularem belli scientiam, eximia seruatae in omne aeuum virginitatis admiratio fuit. [18] Huius virtute tantum additum gloriae et famae Amazonum est, vt Herculi rex, cui XII stipendia debebat, quasi impossibile, imperauerit, vt arma reginae Amazonum sibi asserret. [19] Eo igitur profectus longis nouem nauibus, comitante principum Graeciae iuuentute, inopinantes aggreditur. [20] Duae tum sorores Amazonum regna tractabant, Antiope et Orithya: sed Orithya foris bellum gerebat. [21] Igitur cum Hercules ad littus Amazonum applicuit; infrequens multitudo cum Antiopa regina, nihil hostile metuente, erat. [22] Qua re effectum est, vt paucae, repentino tumultu excitae, arma sumerent, facilemque victoriam hostibus darent. [23] Multae itaque caesae captaeque. in his duae Antiopae sorores, Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theseo. [24] Sed Theseus obtenta in praemium captiua, eandem in matrimonium assumsit, et ex ea genuit Hippolytum. [25] Hercules, post victoriam, Menalippen captiuam sorori reddidit, et pretium arma reginae accepit. Atque ita functus imperio, ad regem reuertitur. [26] Sed

17 *Orithya*] Recte vidit Bongarsius legendum, *Otrere*. Corrupte apud Hyginum fab 163 *Othrepte* dicitur. *Graeuius.*

18 *stipendia debebat*] Liu. XXX, 28 *Annibalem exercitum aequalem stipendiis suis ducere.* et Sallust. Iug. 65 *Homo veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendii.* Haec autem *stipendia* Cicero II Fin. 35 vocat *aerumnas*: Virgilius *labores*: alii *expeditiones*. Gronouius.

23 *in his duae Antiopae sorores captae sunt*] Assentior Scheffero, qui *captae sunt* perperam repetitum hic existimat, cum id ἀπὸ κοινοῦ ex verbis proxime praecedentibus sit repetendum. quod cum et MSS confirment, quid est, cur dubitemus veterem eamque sanam lectionem reponere? *Graeuius.*

24 *obtenta in praemium captiua*] Forte legendum *obtentam in praemium captiuam* etc.: vt habent quidem multi ex antiquis Codd., sed immodice retinent *eandem*. quae vox tum delenda est. *Gronouius.*

[26] Sed Orithya, vbi comperit bellum fororibus illatum, et raptorem esse Athenienſium principem; hortatur comites, *fruſtraque et Ponti ſinum, et Aſiam edomitam eſſe* dicit, *ſi Graecorum non tam bellis, quam rapinis, pateant.* [27] Auxilium deinde a Sagillo, rege Scythiae, petit: *Genus ſe Scytharum eſſe: cladem virorum, neceſſitatem armorum, belli cauſſas oſtendit: aſſecutasque virtute, ne ſegniores viris feminas haberet Scythae viderentur.* [28] Motus ille domeſtica gloria, mittit cum ingenti equitatu filium Panaſagorum in auxilium. [29] Sed ante praelium diſſenſione orta, ab auxiliis deſertae, bello ab Athenienſibus vincuntur: [30] receptaculum tamen habuere caſtra ſociorum, quorum auxilio intactae ab aliis gentibus, in regnum reuerterunt. [31] Poſt Orithyam, Pentheſilea regno potita eſt, cuius Troiano bello inter fortiſſimos viros, cum auxilium aduerſus Graecos ferret, magna virtutis documenta extitere. [32] Interfecta demum Pentheſilea, exercituque eius abſumto, paucae, quae in regno remanſerant, aegre ſe aduerſus finitimos defendentes, vſque tempora Alexandri Magni durauerunt. [33] Harum Minithya, ſiue Thaleſtris, regina,

26 *hortatur comites*] Iuntina cum veteribus editionibus nonnullis, *hortatur comites in vltionem.* quod probat Voſſius, et Oxonienſes receperunt ex tribus MSS., in quibus inuenere. Sed non dubito, quin haec verba *in vltionem* a ſciolis et indoctis deſcriptoribus fuerint addita, qui ignorarunt *hortari* ſimpliciter eſſe *confirmare, animare.* Iuſt. XI, 1 *Quibus rebus velut medela quaedam interuentus Alexandri fuit, qui pro concione ita vulgus omne conſolatus, hortatuſque pro tempore eſt, vt et metum timentibus demeret, et ſpe omnes impleret.* In ſeq. cap. 3 *In tranſitu hortatus Theſſalos fuerat.* Et lib. XIIII, 3 *Eumenes, qui auctor cladis erat, nec aliam ſpem ſalutis reliquam habebat, victos hortabatur.* C. Nep. Miltiad. 6 *Vt in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, iſque hortaretur milites, praeliumque committeret.* Sane ſapit ſequiorum temporum Latinitatem *hortari in vltionem.* Trogus, et qui eius premit veſtigia, Iuſtinus ſcripſiſſet, credo, *hortari vltionem*, aut *ad vltionem.* Poëtis tamen teſtimonium, ni fallor, denuntiare poſſunt, qui veterum editionum lectionem tuendam ſuſcipiunt. In auctario notarum ſuarum Scheffernm quoque vulgatam defendere videt. *Graeuius.*

concubitu Alexandri per dies XIII, ad sobolem ex eo generandam, obtento, reuersa in regnum, breui tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.

V

[1]Scythae autem tertia expeditione Asiana, [2]cum annis octo a coniugibus et liberis abfuissent, seruili bello domi excipiuntur. [2]Quippe coniuges eorum longa exspectatione virorum fessae, nec iam teneri bello, sed deletos ratae, seruis ad custodiam pecorum relictis nubunt: [3]qui reuersos cum victoria dominos, velut aduenas, armati finibus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythae mutare genus pugnae, memores, non cum hostibus, sed cum seruis praeliandum; nec armorum, sed dominorum iure vincendos: verbera in aciem, [4]non tela, afferenda; omissoque ferro, virgas ac flagella, caeteraque seruilis metus paranda instrumenta. [5]Probato omnes consilio instructi, sicut praeceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intentant; adeoque illos perculerunt, vt, quos ferro non poterant, metu verberum vincerent: fugamque, non vt hostes victi, sed vt fugitiui serui, capesserent. [6]Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. [7]Mulieres quoque male sibi

3 *dominorum iure*] *Dominiorum* forte scripsit noster, vt Senec. II Nat. Quaest. 32 *ius dominiumque*. Gronouius.

verbera in aciem, non arma afferenda] Iuntae cum aliquot editis iuxta et MSS. libris: *non tela ferenda*. quod miror mutatum ab editoribus recentioribus. *Tela* sunt quaeuis arma, vt Iurisconsulti notarunt. Pro *fica* posuit Cicer. I Catil.: pro *hasta* Ouid. XIIII Metam.: pro *cornu vri* idem XI Metam.: pro *lapide*, idem: pro *venabulo* Valer. Max. VI, 3: pro *funda* Liu. XXVIII *Fundis vt nunc plurimum, ita tunc solo eo telo vtebantur*. Plin. VIIII, 45 *Solidas habent vngulas, quae non sunt cornigera. igitur eis telum vngula est*. Ouid. VI Metam. 686 de Borea:

— *Quid enim mea tela reliqui*
Saeuitiam et vires iramque animosque minaces?

Graeuius.

5 *fugamque - capesserent*] Sic VI, 3 *Spartani fugam capessunt*. Gronouius.

sibi consciae, partim ferro, partim suspendio, vitam finierunt. [8]Post haec pax apud Scythas fuit, vsque tempora Iancyri regis. [9]Huic Darius, rex Persarum, sicut supra dictum est, cum filiae eius nuptias non obtinuisset, bellum intulit: [10]et armatis septingentis millibus hominum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnae potestatem, metuens, ne, interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit: [11]quae iactura, abundante multitudine, inter damna numerata non est. [12]Inde Asiam et Macedoniam domuit: Ionas quoque nauali praelio superat. [13]Deinde cognito, quod Athenienses Ioniis auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos convertit.

VI

[1]Nunc, quoniam ad bella Athenienſium ventum est, quae non modo vltra spem gerendi, verum etiam vltra gesti fidem, patrata sunt, operaque Athenienſium effectu maiora, quam voto, fuere: paucis vrbis origo repetenda est; [2]quia non, vt caeterae gentes, a sordidis initiis ad summa creuere. [3]Soli enim, praeterquam incremento, etiam origine gloriantur. [4]Quippe non aduenae, neque passim collecta populi colluuies originem orbi dedit: sed eodem innati solo, quod incolunt; et quae illis sedes, eadem origo est. [5]Primi, lanificii, et olei, et vini vsum, docuere. Arare quoque, et serere frumenta, glandem vescentibus monstrarunt. [6]Litterae certe ac facundia, et hic ciuilis ordo disciplinae, veluti templum, Athenas habent. [7]Ante Deucalionis tempora regem habuere Cecropem: quem, vt omnis antiquitas fabulosa est, biformem tradidere, quia primus

8 *tempora Iancyri regis*] Ex tribus MSS. Angli reposuerunt *Ianthyri*. vt nullum dubium sit, legendum esse cum Salmasio et Vossio *Idanthyri*, aut *Indathyri*. Graeuius.

9 *cum filiae eius nuptias* etc.] Hanc tamen iniustam belli causam recte decernit H. Grotius de Iure Belli et Pacis II, 22. 1. *Gronouius*.

4 *quippe non aduenae*] Iuntae: *aduena*. Graeuius.

marem feminae matrimonio iunxit. [8] Huic succeſſit Cranaus, cuius filia Athis regioni nomen dedit. [9] Poſt hunc Amphictyon regnauit, qui primus Mineruae vrbem ſacrauit, et nomen ciuitati Athenas dedit. [10] Huius temporibus, aquarum illuuies maiorem partem populorum Graeciae abſumſit. [11] Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Theſſaliae Deucalionem, ratibus euecti ſunt, a quo propterea genus hominum conditum dicitur. [12] Per ordinem deinde ſucceſſionis regnum ad Erechtheum deſcendit, [13] ſub quo frumenti ſatio apud Eleuſin a Triptolemo reperta, in cuius muneris honorem nocles initiorum ſacratae. [14] Tenuit et Aegeus, Theſei pater, Athenis regnum, a quo per diuortium decedens Medea, propter adultam priuigni aetatem, Colchos cum Medio filio, ex Aegeo ſuſcepto, conceſſit. [15] Poſt Aegeum Theſeus, ac deinceps Theſei filius Demophoon, qui auxilium Graecis aduerſus Troianos tulit, regnum poſſedit. [16] Erant inter Athenienſes et Dorienſes ſimultatum veteres offenſae, quas vindicaturi bello Dorienſes, de euentu praelii oracula conſuluerunt. [17] Reſponſum, *ſuperiores fore, ni regem Athenienſium occidiſſent.* [18] Cum ventum eſſet in bellum, militibus ante omnia cuſtodia regis praecipitur. Athenienſibus eo tempore rex Codrus erat; [19] qui et reſponſo dei, et praeceptis hoſtium cognitis, permutato regis habitu, pannoſus, ſarmenta collo gerens, caſtra hoſtium ingreditur: [20] ibi in turba obſiſtentium, a milite, quem falce aſtu conuulnerauerat,

19 *ſarmenta*] Quaſi ſarpimenta. Liu. VI, 10 *Faſcibus ſarmentorum ex agro collectis.* Varro I Rei Ruſt. 31 *Sarmenta, virga vitis naſcentis, et e terra exeuntis* Cic. II de Nat. Deor. 21 *Sarmenta vitium.* Dionyſ. Hal. VII Ant. Rom. 10 Σφακέλλους φρυγάνων κομίζων. et Polyaen. I Strateg. 24 Σχῆμα φρυγανιστρος λαβών. Thucyd. III p. 119 ἐξελθόντες ἐπὶ λαχανισμὸν καὶ φρυγάνων ξυλλογήν. Feſtus: *Sarpta vineta putata, vnde et virgulae abſciſſae ſarmenta.* Hinc apparet error Beemani, qui perperam *ſarmentum* ab *ſarrire* deducit, cui et *ſarmenta* ſunt quiſquiliae ſcopis collectae. immo ſunt virgae et vimina. *Sarriuntur* enim agri, *ſarpuntur* vineae. vid. Salmaſ. ad Solin. p. 1350. *Gronouius.*

rauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienſes ſine praelio diſcedunt. [21] Atque ita Athenienſes virtute ducis, pro ſalute patriae morti ſe offerentis, bello liberantur.

VII

[1] Poſt Codrum nemo Athenis regnauit: quod memoriae nominis eius tributum eſt. [2] Adminiſtratio reipublicae annuis magiſtratibus permiſſa. [3] Sed ciuitati nullae tunc leges erant: quia libido regum pro legibus habebatur. [4] Legitur itaque Solon, vir iuſtitiae inſignis, qui velut nouam ciuitatem legibus conderet: [5] qui tanto temperamento inter plebem ſenatumque egit; cum, ſi quid pro altero ordine tuliſſet, alteri diſpliciturum videretur; vt ab vtriſque parem gratiam traheret. [6] Huius viri inter multa egregia, illud memorabile fuit. [7] Inter Athenienſes et Megarenſes de proprietate Salaminae inſulae prope vſque interitum armis dimicatum fuerat. [8] Poſt clades multas capitale eſſe apud Athenienſes coepit, ſi quis legem de vindicanda inſula tuliſſet. [9] Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reipublicae conſuleret, aut cenſendo, ſibi, ſubitam dementiam ſimulat, cuius venia non dicturus modo prohibita, ſed et facturus erat. [10] Deformis habitu, more vecordium in publicum euolat; [11] factoque con-

9 *cenſendo*] Verbum illud proprie dicitur de ſenatore, quum ſententiam dicit de eo, quod ſibi videtur. *aſſentiri* vero, ſi alienam ſententiam probat: quem verbi vſum varii indicant auctores, vt Seneca de tranquillit. 3 *Qui de pace et bello cenſet ſententiam dicendo noceret ſibi.* Plin. IIII ep. 9 *Conſurgere ad cenſendum.* Sueton. Claud. 20 *Per taedium ac diſſenſionem diuerſa cenſentium.* et Liu. III, 40 *Cenſendo enim quoſcunque magiſtratus eſſe, qui ſenatum haberent, iudicabat.* Gronouius.

11 *factoque concurſu*] Haec Graece expreſſit S. Lucas in Act. Ap. XXIIII, 14 ἐπισύστασιν ποιῶν. Cauere enim ſolent leges, ne concurſus fiat, quo publica quies violari poſſit. vt L. 4 D. ad Leg. Iul. de vi Priu. *Legis Iuliae de vi priuata crimen committitur, quum coetum aliquis, vel concurſum feciſſe dicatur, quo minus in ius quis produceretur.* et apud M. Senec. Declam. IIII *Qui coetum et concurſum fecerit, capital eſto.* ratio autem huius cautionis eſt apud Liu. XXXVIIII, 15. *Gronouius.*

cursu hominum, quo magis consilium dissimularet, insolitis sibi versibus suadere populo coepit, [12] quod vetabatur: omniumque animos ita cepit, vt extemplo bellum aduersus Megarenses decerneretur, insulaque, deuictis hostibus, Athenienſium fieret.

VIII

[1] Interea Megarenses, memores illati Athenienſibus belli, et veriti, ne frustra arma mouisse viderentur, matronas Athenienſium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri, naues conscendunt. [2] Qua re cognita, dux Athenienſium Pisistratus iuuentutem in insidiis locat, iussis matronis solito clamore ac strepitu, etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare: [3] egressosque nauibus Megarenses inopinantes aggressus, deleuit: ac protinus classe captiua intermixtis mulieribus, vt speciem captarum matronarum praeberent, Megara contendit. [4] Illi cum et nauium formam, et petitam praedam cognoscerent, obuii ad portum procedunt: quibus caesis, Pisistratus paullum a capienda vrbe abfuit. [5] Ita Megarenses suis dolis hosti victoriam dedere. [6] Sed Pisistratus, quasi sibi, non patriae, vicisset, tyrannidem per dolum occupat: [7] quippe voluntariis verberibus domi affectus, lacerato corpore, in publicum progreditur: [8] ad-

1 *memores illati Athenienſibus belli et deserti*] Haec lectio non potest tolerari. Megarenses non bellum intulerant Athenienſibus, sed Athenienses inflammati a Solone Megarenſibus. Itaque cum nec belli illati nec deserti possint dici memores fuisse, recte MSS. Anglicani pro *deserti* scribunt *veriti*; quibuscum sentit Iuntina, sed illa legit quoque *memores illati ab Athenienſibus belli*. quod si est ex antiquis codicibus, probo; sin, vulgata lectio non est sollicitanda. eiusdem enim est sententiae. Nec haec ellipsis infrequens est optimis scriptoribus. Tac. I Annal. *Sed veteris populi Romani prospera vel aduersa claris scriptoribus memorata sunt.* hoc est, a claris scriptoribus. Sic et locutus est Suetonius aliique idonei Latinae linguae auctores. *Graeuius.*

3 *Megaram contendit*] MSS. et Iuntae: *Megara contendit.* vide Gronou. ad Liu. XXXI, 22. *Graeuius.*

[8] aduocata concione, vulnera populo ostendit: de crudelitate principum, a quibus haec se passum simulabat, queritur: [9] adduntur vocibus lacrimae, et inuidiosa oratione multitudo credula accenditur: amore plebis inuisum se senatui affirmat: [10] obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium: per quos occupata tyrannide per annos XXXIII regnauit.

VIIII

[1] Post eius mortem Diocles, alter ex filiis, per vim stuprata virgine, a fratre puellae interficitur. [2] Alter, Hippias nomine, cum imperium paternum teneret, interfectorem fratris comprehendi iubet: [3] qui, cum per tormenta conscios caedis nominare cogeretur, omnes amicos tyranni nominauit. [4] quibus interfectis, quaerenti tyranno, *an adhuc aliqui conscii essent: neminem*, ait, *superesse, quem amplius mori gestiat, quam ipsum tyrannum.* [5] qua voce eiusdem se tyranni victorem, post vindictam pudicitiae fororis, ostendit. [6] Huius virtute cum admonita ciuitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus, in exilium agitur: [7] qui profectus in Persas, ducem se Dario, inferenti Athenienſibus bellum, ſicuti ſupra ſignificatum eſt, aduerſus patriam ſuam offert. [8] Igitur Athenienſes, audito Darii aduentu, auxilium a Lacedaemoniis, ſocia tum ciuitate, petiuerunt. [9] Quos vbi viderunt quatridui teneri religione, non exſpectato auxilio, inſtructis decem millibus ciuium, et Plataeenſibus auxiliaribus mille, aduerſus ſexcenta millia hoſtium, in campos Marathonios in praelium egrediuntur. [10] Miltiades et dux belli erat, et auctor non exſpectandi auxilii; quem tanta fiducia ceperat, vt plus praeſidii in celeritate, quam in ſociis, duceret. [11] Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeo vt, cum mille paſſus inter duas acies eſſent, citato curſu ante iactum ſagittarum ad hoſtem

[8] *aduocata concione*] In altero Voſſ. erat *aduocat concionem*. Gronouius. Leg. cum Iuntina *et aduocata concione*. Mox eadem: *multitudo credula incenditur*. Graeuius.

tibus dedit. [3]Porro Xerxes controuersiam non de ordine, sed de nascendi felicitate, referebat. [4]*Namque Artemenem primum quidem Dario, sed priuato, prouénisse: se regi primum natum.* [5]*Fratres itaque suos, qui ante geniti essent, priuatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non regnum, sibi vindicare posse: se esse, quem primum in regno iam rex pater sustulerit.* [6]*Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum, sed et matre priuatae adhuc fortunae, auo quoque materno priuato, procreatus sit:* [7]*se vero et matre regina natum: et patrem non nisi regem vidisse: auum quoque maternum Cyrum se regem habuisse, non heredem, sed conditorem tanti regni;* [8]*et si in aequo iure vtrumque fratrem pater reliquisset, materno tamen se iure et auito vincere.* [9]Hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernem, veluti ad domesticum iudicem, deferunt; [10]qui, domi cognita caussa, Xerxem praeposuit: adeoque fraterna contentio fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus doluerit; ipsoque litis tempore inuicem munera miserint; et iucunda quoque inter se, non solum credula, conuiuia habuerint; iudicium

maiori anteferretur in successione et hereditate paternorum bonorum, in primis regni. *Ius hoc dedit gentibus natura* est ius hoc omnibus gentibus insevit natura, vt seniores praeferrentur iunioribus. *Graeuius.*

8 *materno tamen se iure*] Immo magis potentia matris, quam iure, vt iam ostendit H. Grotius II de Iure Belli et Pacis 7. 19. *Gronouius.*

10 *credula*] Pedibus ego quoque in hanc iram sententiam, et emendationem eruditissimi Freinshemii amplectterer. is enim primus coniecit legendum esse *crebra*, si libri veteres annuerent. Sed cum in omnibus, quos Bongarsius, Modius, aliique euoluerunt, nec non in Iuntina, et melioribus editionibus aliis constanter legatur *credula*; non puto id reiiciendum, quamuis translationis huius ab hominibus ad res exempla in ista voce vix alibi occurrant. Alia ratio, quae praeter significationem vocis affertur, cur *credula* debeat immutari, mihi non probatur. Quamuis enim de regno ambigentium videatur animus fuisse concors, pro ingenio tamen humano, solent competitores in primis regni semper alteri diffidere et vereri, ne alter *spem vultu simulet, premat altum corde dolorem*, et malit quacunque ratione licet fronte laetissima molestum rivalem amouere, quam incerto controuersiae exitu suspensus cruciari. *Graeuius.*

hostem venerit. nec audaciae eius euentus defuit. [12] Pugnatum est enim tanta virtute, vt hinc viros, inde pecudes, putares. [13] Victi Persae in naues confugerunt; ex quibus multae suppressae, multae captae, sunt. [14] In eo praelio tanta virtus singulorum fuit, vt, cuius laus prima esset, difficile iudicium videretur. [15] Inter caeteros tamen Themistoclis adolescentis gloria emicuit, in quo iam tunc indoles futurae imperatoriae dignitatis apparuit. [16] Cynaegiri quoque, militis Athenienſis, gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est; [17] qui post praelii innumeras caedes, cum fugientes hostes ad naues egisset, onustam nauem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam [manum] amitteret: [18] tum quoque amputata dextra, nauem sinistra comprehendit; quam et ipsam cum amisisset, ad postremum morsu nauem detinuit. [19] Tantam in eo virtutem fuisse, vt non tot caedibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, veluti et rabida fera, dentibus dimicauerit. [20] Ducenta millia Persae eo praelio, sine naufragio, amisere. [21] Cecidit et Hippias, tyrannus Athenienſis, auctor et concitor eius belli, diis patriae vltoribus poenas repetentibus.

X

[1] Interea et Darius, cum bellum restauraret, in ipso apparatu decedit, relictis multis filiis, et in regno, et ante regnum susceptis. [2] Ex his Artemenes maximus natu, aetatis priuilegio, regnum sibi vindicabat; quod ius, et ordo nascendi, et natura ipsa gentibus

17 *manum*] Hanc vocem ignorat 1 MS. Voss. *Gronouius.*

1 *cum bellum restauraret*] Recepi cum Oxoniense editore ex membranis Anglicis: *cum bellum instauraret.* Gaudeo hunc naeuum ex Iustino codicis veteris ope deletum esse. Nam *restaurare* ignorant meliores Latinae linguae auctores. *Graeuius.*

2 *quod ius et ordo nascendi et natura ipsa gentibus dedit*] Nihil hic mutem. Sensus est, ius illud succedendi parenti natu maximo filio dedisse et ordinem nascendi, quia primus prouenerat, et naturam ipsam apud omnes gentes. Naturale enim est, vt minor natu frater maiori pareat, non vero maior minori; quod eueniret, si minor

maiori

cium quoque ipsum sine arbitris, sine conuicio fuerit. [11] Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur. [12] Igitur Xerxes bellum a patre coeptum aduersus Graeciam, quinquennium instruxit. [13] Quod vbi primum didicit Demaratus, rex Lacedaemoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriae post fugam, quam regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratui perscribit, eademque cera superinducta delet: [14] ne

13 *magistratui perscribit*] Iuntae, aliaeque editiones: *Magistratibus*. vti et paulo post: *Magistratibus Spartanorum tradere*, approbante Gronouio. *Magistratus* enim in numero vnitatis nunquam *consilium publicum*, seu *collegium*, sed semper *vnum hominem magistratum gerentem*, aut *officium* notat. Sic cap. 15 huius libri: *Magistratibus scribit Athenienſium*. et III, 3 *Regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia*. Non aliter veteres idonei Latinae linguae auctores. Nec est, vt nos moueat exemplum, quod ex C. Nepote ad hanc obseruationem conuellendam affert eruditissimus Vorstius. Id enim repugnat et ipsius Nepotis et caeterorum omnium idoneorum scriptorum melioris saeculi consuetudini, quibus *magistratus* in vnitatis numero non nisi vnum hominem significat; quando vero de collegio loquuntur, vtuntur numero multitudinis. In Pelopida *maximum magistratum obtinere* dicitur Polemarchus, vnus homo. Contra de collegio in eadem vita: *Diem legerunt, quo maximi magistratus simul consueuerunt epulari*. et sic perpetuo. Hinc et *magistratum capere, gerere*, dicitur vnus homo. Nullus itaque dubito, et in Lysandro legendum esse *maximos magistratus*. saepe enim librarii et correctores, secuti nostri temporis deprauate loquentium consuetudinem, id corruperunt, vt in his Iustini locis, etiam contra veterum librorum fidem. aut per *maximum magistratum* intelligitur Ephorus natu maximus, seu primus, cui libellum hunc tradidit, qui postea cum suis eum communicauit collegis. *Graeuius*.

eademque cera superinducta delet] Iuntae: *eademque cera*. quod probo. Cera scilicet abrasa, ipsi tabellae ligneae, quae rescire volebat suos ciues, inscripserat Demaratus, eademque cera superinducta deleuerat, quae scripsit, ne, si nulla cera illita fuisset tabulae, in manus Persarum vbi incidisset, suum consilium patriae significandi apparatum bellicum aduersus Graeciam; aut si recens cera esset inducta, strategema eius proderetur. Non nego verba Iustini obscuriora esse. Videtur aut Iustinus aliquid omi-

[14] ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet: fido deinde seruo perferendas tradit, iusso, magistratui Spartanorum tradere. [15] Quibus perlatis, Lacedaemone quaestioni res diu fuit, quod neque scriptum aliquid viderent, nec frustra missas suspicarentur, tantoque rem maiorem, quanto sit occultior, putabant. [16] Haerentibus in coniectura viris, soror regis Leonidae consilium scribentis inuenit [17] Erasa igitur cera, belli consilia deteguntur. [18] Iam Xerxes septingenta millia de regno armauerat, et trecenta millia de auxiliis: [19] vt non immerito proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Graeciamque omnem vix capere exercitum eius potuisse. [20] Naues quoque mille ducentas numero habuisse dicitur. [21] Huic tanto agmini dux defuit. Caeterum, si regem spectes, diuitias, non ducem, laudes: [22] quarum tanta copia in regno eius fuit, vt, cum flumina multitudine consumeren-

omisisse, aut descriptores. Forte Trogus scripserat: *Omnia in tabellis ligneis magistratibus perscribit erasa cera, eademque superinducta scripturam delet.* Cur vero recens cera magis prodere potuerit dolum, quam vetustior, rationes procul dubio plures potuissent dari, si consuetudo tabulis ligneis vtendi non exoleuisset. Non odor tantum, sed et color veterem ac recentem ceram distinxit. Cum igitur vetus cera diu ante illita in tabellis reperiebatur, nemo facile poterat suscipari sub illa cera aliquid latere recenter scriptum, quia vetustas cerae nihil tale prae se ferebat; cum recens cera, vacua litteris, facile potuisset suspicionem mouere, non frustra illam modo infusam esse, sed sub illa procul dubio aliquid occultari, quod, si eraderetur, palam fieret. Haec mea de isto loco sententia. Apud Petronium: *Nondum umbraticus doctor ingenia delenerat.* hoc est, nondum perdiderat. *Delere ingenium* est extinguere vim ingenii. *Delinere* pro *collinere* aut *illinere* non legitur apud vllum scriptorem veterem. Dein, licet reperiretur, quid tamen est *delinere*, aut *collinere ingenium?* Si scriberetur *hac* vel *illa arte collinere ingenia*, posset forte ferri, ad exemplum illius locutionis, *imbuere ingenium scientia.* simpliciter vero *collinere ingenium*, (nam *delinere* tanquam ignotum veteribus vocabulum plane est respuendum) non potest probari. *Graeuius.*

15 *quaestioni res diu fuit*] Sic de re hactenus non intellecta etiam Gell. XX, 5 *Mihi quoque est iam diu in perpetua quaestione.* Gronouius.

merentur, opes tamen regiae supereſſent. [23] Ipſe autem primus in fuga, poſtremus in praelio, ſemper viſus eſt; in periculis timidus; ſicubi metus abeſſet, inflatus; [24] denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturae ipſius dominus, et montes in planum ducebat, et conuexa vallium aequabat, et quaedam maria pontibus ſternebat, quaedam ad nauigationis commodum per compendium ducebat.

XI

[1] Cuius introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis ac foedus diſceſſus, fuit. [2] Nam cum Leonida, rex Spartanorum, cum quatuor millibus militum anguſtias Thermopylarum occupaſſet, Xerxes, contemtu paucitatis, eos pugnam capeſſere iubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti fuerant; [3] qui, dum vlciſci ſuos quaerunt, principium cladis fuere: ſuccedente deinde inutili turba, maior caedes editur. [4] Triduo ibi cum dolore et indignatione Perſarum dimicatum: [5] quarta die, cum nuntiatum eſſet Leonidae, a XX millibus hoſtium ſummum cacumen teneri, tunc hortatur ſocios: *recedant et ſe ad meliora patriae tempora reſeruent:* [6] *ſibi cum Spartanis fortunam experiendam; plura ſe patriae, quam vitae, debere: caeteros ad praeſidia Graeciae ſeruandos.* [7] Audito regis imperio, diſceſſere caeteri, ſoli Lacedaemonii remanſerunt. [8] Initio huius belli conſcitantibus Delphis oracula reſponſum fuerat, aut regi Spartanorum, aut vrbi cadendum. [9] Et idcirco rex Leonida, cum in bellum proficiſceretur, ita ſuos firmauerat, vt ire ſe parato ad moriendum animo ſcirent. [10] Anguſtias propterea occupauerat, vt cum paucis aut maiore gloria vinceret, aut minore damno reipublicae caderet. [11] Dimiſſis igitur ſociis, hortatur Spartanos: *Meminerint, qualitercunque praeliantibus cadendum eſſe: cauerent, ne fortius manſiſſe, quam dimicaſſe, videantur;* [12] *nec exſpectandum, vt ab hoſte circumuenirentur, ſed dum nox occaſionem daret, ſecuris et laetis ſuperueniendum:* [13] *nuſquam victores*

honeſtius,

honestius, quam in castris hostium perituros. [14] Nihil erat difficile persuadere persuasis mori: [15] statim arma capiunt; et sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt; statimque regis praetorium petunt, aut cum illo, aut, si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede, morituri. [16] Tumultus totis castris oritur. Spartani, postea quam regem non inueniunt, per omnia castra victores vagantur: caedunt, sternuntque omnia: vt qui sciant se pugnare non spe victoriae, sed in mortis vltionem. [17] Praelium a principio noctis in maiorem partem diei tractum. [18] Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium cateruas occiderunt. [19] Xerxes, duobus vulneribus terrestri praelio acceptis, experiri maris fortunam statuit.

XII

[1] Sed Athenienſium dux Themistocles, cum animadvertisset, Ionas, propter quos bellum Persarum susceperant, in auxilium regis classe venisse; sollicitare eos in partes suas statuit. [2] Et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, symbolos proponi, et saxis proscribi curat: [3] *Quae vos, Ioues,*

18 *ad postremum non victi*] Nullus dubito hic excidisse vnam syllabam, quam sequens earundem litterarum absorpsit, vt saepe factum. Victi enim tandem sunt vtique, quia omnes sunt caesi. Legendum igitur cum Gronouio: *ad postremum non vi victi.* Graeuius.

inter ingentes stratorum hostium cateruas occiderunt] Mihi quoque hic locus diu fuit suspectus. Noram enim, quod in Romanorum copiis esset cohors, id dici in barbararum gentium exercitu caterua. Sed postea tamen deprehendi, *caterua* etiam vsurpari de multitudine caesorum, seu mortuorum. Stat. Theb. XII

— *Non longum caede recenti*
Laetatus videt innumeris fervere cateruis
Tellurem, atque vna gentem exspirare ruina. Graeuius.

2 *symbolos*] *Symboli* Graecis σύμβολοι. Scholiast. Soph. Elect. v. 723 Στύλαι, κυβευτήρες λίθοι, ἐπιγράμματα τινῶν ἔχοντες. *Gronouius.*

et saxis proscribi] Sane *proscribi* non est sollicitandum. Proprie enim et eleganter *proscribi* dicuntur, quae in tabella aut charta scripta publice affiguntur,

nes, dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus vestris, nuper etiam vindicibus, cogitatis? [4] *An ideo moenia vestra condidimus, vt essent, qui nostra delerent?* [5] *quid? si non haec et Dario prius, et nunc Xerxi, belli caussa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus?* [6] *Quin vos in haec nostra castra ex ista obsidione transitis?* [7] *Aut si hoc parum tutum extat, at vos commisso praelio ite cessim, inhibete remos, et a bello discedite.* [8] Ante naualis praelii congressionem miserat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: prorsus, [9] quasi non cum Graecis tantum, sed et cum diis immortalibus, bellum gereret: quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est, [10] vt intelligeret, quam nullae essent hominum aduersus deos vires. [11] Post haec Thespias, et Plataeas, et Athenas vacuas hominibus incendit: et quoniam ferro in homines non poterat, in aedificia igne grassatur. [12] Namque Athenienses post pugnam Marathoniam, praemonente Themistocle, victoriam illam de Persis, non finem, sed caussam maioris belli fore, CC naues fabricauerant. [13] Aduentante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum, responsum fuerat: *Salutem muris ligneis tuerentur.* [14] Themistocles nauium

guntur, vt ab omnibus legi possint. Sic *proscribere aedes* est publica tabula affixa significare venales aedes esse. Sic et *proscribi* Romae dicebantur olim, quorum nomina in ferali tabula scripta erant, vt impune ab omnibus possent necari. Sic et Graecis προγράφειν. vnde *programma*. Eadem vis est in τῷ *proponere*. Id enim est in publico loco exponere omnibus videndum aut legendum. *Graeuius.*

7 *Aut si hoc parum tutum extat*] Optime Gronouius: *Aut si hoc parum tutum est, at vos commisso bello ite cessim.* Sic quoque Iuntina editio, et merito recepit Tanaquillus Faber. *Graeuius.*

remos inhibete] Pulchre restituit Gronouius: *inhibete remis. Inhibere remis* est nautica locutio, qua significatur naue non conuersa retro remigare, quod faciebant aut appulsuri ad littus et portum, aut in praelio fugam adornantes. vid. Obseru. eius lib. IIII, 26. *Graeuius.*

14 *moenia*] Eadem scilicet quae

vium praesidium demonstratum ratus, persuadet omnibus, *Patriam municipes esse, non moenia; ciuitatemque non in aedificiis sed in ciuibus positam.* [15] *Melius itaque salutem nauibus, quam vrbi, commissuros. Huius sententiae etiam deum auctorem esse.* [16] Probato consilio, coniuges liberosque, cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relicta vrbe, demandant: ipsi naves armati conscendunt. [17] Exemplum Atheniensium et aliae vrbes imitatae. [18] Itaque cum adunata omnis sociorum classis, et intenta in bellum nauale esset; angustiasque Salaminii freti, ne circumueniri a multitudine posset, occupassent; dissensio inter ciuitatum principes oritur. [19] qui cum deserto bello ad sua tuenda delabi vellent, timens Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per seruum fidum Xerxi nuntiat, *vno in loco eum contractam Graeciam capere facillime posse.* [20] *Quod si ciuitates, quae iam abire vellent, dissipentur; maiori labore ei singulas consectandas.* [21] Hoc dolo impellit regem signum pugnae dare. Graeci quoque, aduentu hostium occupati, praelium collatis viribus capessunt. [22] Interea rex, velut spectator pugnae, cum parte nauium in littore remanet. [23] Artemisia autem, regina Halicarnassi, quae in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime ciebat: [24] *Quippe vt in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres.* [25] Cum anceps praelium esset, Iones iuxta praeceptum Themistoclis, pugnae se paullatim subtrahere coeperunt, quorum defectio animos caeterorum fregit. [26] Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persae, et mox praelio victi, in fugam vertuntur. [27] In qua trepidatione multae captae naues, multae mersae; plures tamen non minus saeuitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur.

quae οἰκοδομήματα, vel aedificia, alias vocantur: et pari ratione infra V, 7 *Non exercitum, cuius ope seruati pulchriora possunt moenia exstruere.* nec aliter Florus I, 4 *Moenia muro amplexus est.* et III, 10 *Incensis moenibus suis.* vid. Obseru. II, 12. Gronouius.

XIII

[1]Hac clade perculsum et dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. [2]Hortatur, *in regnum abeat, ne quid seditionis moueat fama aduersi belli, in maius, sicuti mos est, omnia extollens:* [3]*sibi CCC millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat. qua manu aut cum gloria eius perdomiturum se Graeciam: aut, si aliter euentus ferat, sine eiusdem infamia hostibus cessurum.* [4]Probato consilio, Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. [5]Sed Graeci audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat; vt intercluso reditu, aut cum exercitu deleretur, aut desperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. [6]Sed Themistocles, timens, ne intercluſi hostes desperationem in virtutem verterent, et iter, quod aliter non pateret, ferro patefacerent: *satis multos hostes in Graecia remanere*, dictitans, *nec augeri numerum retinendo oportere*; [7]cum vincere consilio caeteros non posset, eundem seruum ad Xerxem mittit, certioremque consilii facit; et occupare transitum, maturata fuga, iubet. [8]Ille perculsus nuntio, tradit ducibus milites perducendos. ipse cum paucis Abydon contendit. [9]Vbi cum solutum pontem hibernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit. [10]Erat res spectaculo digna, et aestimatione sortis humanae, rerum varietate

7 vincere consilio] Liu. VI, 23 *Patere te vinci consilio.* et Tacit. II Hist. 40 *Titianus et Proculus, vbi consiliis vincerentur, ad ius imperii transibant.* Corn. Nep. Iphic. 1 *Semper consilio vicit.* et eodem modo ipse Herodot. VIIII, 41 κρατεῖν γνώμῃ. *Gronouius.*

10 *aestimatione sortis humanae, rerum varietate miranda*] Vidit Schefferus locum hunc esse contaminatum. Labes tamen omnis detergetur, si scripseris: *Erat res spectaculo digna et aestimatione sortis humanae, rerum varietate mirandae.* hoc est, erat res, vnde poterat humana aestimari sors, propter tantam varietatem, et mutabilitatem miranda; vnde poterat perspici, quam fragilis esset sors humana, et quantis et quam miris varietatibus esset obnoxia. Editio Iuntina longius ab aliis libris, quae legit: *Erat res spectaculo digna,*

varietate mirandae, in exiguo latentem videre naui-gio, quem paullo ante vix aequor omne capiebat; carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terris graues erant. [11] Nec pedestribus copiis, quas ducibus assignauerat, felicius iter fuit: siquidem quotidiano labori; neque enim vlla est metuentibus quies; etiam fames accesserat. [12] Multorum deinde dierum inopia contraxerat et pestem; tantaque foeditas morientium fuit, vt viae cadaueribus implerentur, alitesque et bestiae illecebris sollicitatae exercitum sequerentur.

XIIII

[1] Interim Mardonius in Graecia Olynthum expugnat. [2] Athenienses quoque in spem pacis, amicitiamque regis sollicitat, spondens incensae eorum vrbis etiam in maius restitutionem. [3] Posteaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incensis quae aedificare coeperant, copias in Boeotiam transfert. [4] Eo et Graecorum exercitus, qui centum millium fuit, sequutus est: ibique praelium commissum. [5] Sed fortuna regis cum duce mutata non est. Nam victus Mardonius, veluti ex naufragio, cum paucis profugit. [6] Castra referta regalis opulentiae capta. Vnde primum Graecos, diuiso inter se auro Persico, diuitiarum luxuria cepit. [7] Eodem forte die, quo Mardonii copiae deletae sunt, etiam nauali praelio in Asia sub monte Mycale, aduersus Persas dimicatum est. [8] Ibi

gna, et ad aestimationem rerum humanae fortis varietate miranda. Si ex veteribus membranis est profecta haec lectio, non facile debet reprobari, vulgatae sane praeponi; sed tamen veriorem duco emendationem, quam modo ostendi, quippe quae non recedit a priscis membranis, nisi quod vna littera perperam omissa adiiciatur. *Graeuius.*

12 *inopia contraxerat et pestem*] Sic recte legitur. hoc est, fames et inopia, vt sit, excitarat pestem, in exercitu scilicet. Celsus lib. 3 *Tristitiam contrahere dicitur bilis atra.* Alia passim exempla sunt obuia. *Graeuius.*

6 *referta*] Val. Max. I, 6. 2 *Bina castra Punicis opibus referta.* Zonar. Tom. III Ann. p. 184 Μετὰ ὄντα πλοῦτε παντοδαπῆ καὶ πολυτελείας βασιλικῆς. *Gronouius.*

ante congressionem, cum classes ex aduerso starent, fama ad vtrumque exercitum venit, vicisse Graecos, et Mardonii copias occidione occidisse. [9] Tantam famae velocitatem fuisse, vt, cum matutino tempore praelium in Boeotia commissum sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, et tantum spatii, tam breui horarum momento, de victoria nuntiatum sit. [10] Confecto bello, cum de praemiis ciuitatum ageretur, omnium iudicio, Athenienses virtus caeteris praelata. [11] Inter duces quoque Themistocles, princeps ciuitatum testimonio iudicatus, gloriam patriae suae auxit.

XV

[1] Igitur Athenienses aucti et praemiis belli et gloria, vrbem ex integro condere moliuntur. [2] Cum moenia maiora complexi fuissent, suspecti esse Lacedaemoniis coepere, recte reputantibus, quibus ruina vrbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura munita ciuitas. [3] Mittunt ergo legatos, qui monerent, *ne munimenta hostibus et receptacula futuri belli exstruant.* [4] Themistocles, vt vidit spei vrbis inuideri, non existimans abrupte agendum, respondit legatis,

9 *Tantam famae velocitatem fuisse*] Miror viro doctissimo, quem viuum amaui, mortuum colo, hic haesisse aquam. Nihil frequentius Iustino aliisque optimis scriptoribus in admirationibus vti infinitiuis, omisso *mirandum est*, aut simile quid. In hoc ipso libro cap. 7 *Tantam in eo virtutem fuisse, vt non tot caedibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, et veluti rabida fera, dentibus dimicauerit.* lib. VIII, 2 *Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exulta, pulcherrimis legibus institutisque formata, vt quin* (quis) *posthaec succensere iure barbaris possent, non haberent.* Lib. XIIII, 5 *Tantum eos degenerauisse a maioribus, vt, cum multis saeculis murus vrbi ciuium virtus fuerit, tunc salutis fore non existimauerint, nisi intra muros latuerint.* Notaui nonnulla alia exempla in animaduersionibus ad epistolas ad Atticum, in quibus peccarant imprudentia huius elegantiae aut librarii, aut correctores. *Graeuius.*

4 *non abrupte agendum*] Amm. Marc. XXVI, 32 *Aleam omnium periculorum iecit abrupte.* pro quo eo Liu. XXIII, 20 *Nihil raptim nec temere agendum.* et S. Lucas in Act. Ap. XVIIII, 36 Μηδὲν προπετὲς πράττειν. *Gronouius.*

gatis, *ituros Lacedaemonem, qui de ea re pariter cum illis consulant.* [5] Sic dimissis Spartanis, hortatur suos, *opus maturent.* [6] Dein ipse interiecto tempore in legationem proficiscitur, et nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi iure nihil possit, diem de die proferendo spatium consummando operi quaerebat. [7] cum interim nuntiatur Spartanis, opus Athenis maturari; propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem. [8] Tum Themistocles per seruum magistratibus scribit Athenienſium, *legatos vinciant, pignusque teneant, ne in se grauius consulatur.* [9] Adiit deinde concionem Lacedaemoniorum: indicat, *permunitas Athenas esse, et posse iam illatam bellum non armis tantum, sed etiam muris sustinere:* [10] *si quid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos.* [11] Grauiter deinde castigat eos, *quod non virtute, sed imbecillitate sociorum, potentiam quaererent.* [12] Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, a ciuibus excipitur. [13] Post haec Spartani, ne vires otio corrumperent, et vt bis illatum a Persis Gaeciae bellum vlciscerentur, vltro fines eorum depopulantur. [14] Ducem suo, sociorumque exercitui deligunt Pausaniam. qui, pro ducatu, regnum Graeciae affectans, proditionis praemium cum Xerxe nuptias filiae eius paciscitur, redditis captiuis, vt fides regis aliquo beneficio obstringeretur. [15] Scribit praeterea Xerxi, *quoscunque ad se nuntios misisset, interficeret; ne res loquacitate hominum proderetur.* [16] Sed dux Athenienſium Aristides, belli socius, collegae conatibus obuiam eundo, simul et in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit. Nec multo post accusatus Pausanias damnatur. [17] Igitur Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro

8 *vinciant*] Scilicet vt illos tantum seruent in custodia. Virg. VIII Aen. 632 *Et fluuium vinclis innarat Cloelia ruptis.* vbi haec Seruius: *Vincla pro custodiis accipimus, quia obsides non ligantur.* Gronouius.

17 *ex integro bellum instituit*] *Bellum*

integro bellum instituit. [18] Graeci quoque ducem constituunt Cimonem Athenienſem, filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum eſt, iuuenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. [19] Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibique defunctum, translatis in ſe vinculis ad ſepulturam redemit. [20] Nec in bello iudicium deligentium fefellit: ſiquidem non inferior virtutibus patris, Xerxem terreſtri nauali-que bello ſuperatum, trepidum recipere ſe in regnum coëgit.

Bellum inſtituere quam Latine dicatur, viderint peritiores. Mihi nullum dubium, legendum eſſe: *ex integro bellum inſtruit*, quamuis libri renitantur. Superius II, 10 *Igitur Xerxes bellum a patre coeptum aduerſus Graeciam quinquennium inſtruxit.* Eſt familiaris Iuſtino locutio. *Graeuius.*

LIBER III
BREVIARIVM CAPITVM

I *Xerxis et Artabani praefecti perfidi tragicus interitus.*
II *Bellorum inter Lacedaemonios et Athenienſes origo. Spartae reſpublica, et legislator.*
III *Leges, a Lycurgo Spartanis latae, quomodo ratae fiant et habeantur.*
IIII *Bellum Meſſeniis illatum ob ſtupratas virgines; et ſpuriorum Spartanorum in Italiam migratio.*
V *Meſſenii ſcelerum ſuorum luunt poenas; et bellum inſtaurant, ac tandem ſuperantur.*
VI *Tertium bellum Meſſenium; Peloponneſiacum item, in quo multae euentuum variorum facies.*
VII *Pacis foedus ruptum. Spartani premuntur Periclis virtute, cuius egregia in rempublicam merita deſcribuntur. Iterum pax ſancita et violata: vnde bellum Siculum.*

I

[1] Xerxes, rex Perſarum, terror antea gentium, bello in Graeciam infeliciter geſto, etiam ſuis contemtui eſſe coepit. [2] Quippe Artabanus, praefectus eius, deficiente quotidie regis maieſtate, in ſpem regni adductus, cum ſeptem robuſtiſſimis filiis regiam veſperi ingreditur; nam amicitiae iure ſemper illi patebat; trucidatoque rege, voto ſuo obſiſtentes filios eius dolo aggreditur. [3] Securior de Artaxerxe, puero admodum, fingit regem a Dario, qui erat adoleſcens, quo maturius regno potiretur, occiſum; impellit Artaxerxem parricidium parricidio vindicare. [4] Cum ventum ad domum Darii eſſet, dormiens inventus, quaſi ſomnum fingeret, interficitur. [5] Dein cum vnum ex regis filiis ſceleri ſuo ſupereſſe Artabanus videret, metueretque de regno certamina principum, aſſumit in ſocietatem conſilii Bacabaſum: qui, praeſenti ſtatu contentus, rem prodit Artaxerxi, [6] *vt pater eius occiſus: vt frater falſa parricidii ſuſpicione*

2 *robuſtiſſimis*] Reſpectu annorum, non virium vel roboris. Infra XI, 6 *Non iuuenes robuſtos, nec primum florem aetatis, ſed veteranos elegit.* Suet. Ner. 20 *Quinque ampliſſimis e plebe robuſtiſſimae iuuentutis vndique legit.* Flor. Prooem. *Haec iam ipſa iuuenta imperii, et quaſi quaedam robuſta maturitas.* Gronouius.

ſpicione oppreſſus; vt denique ipſi pararentur inſidiae. 7 His cognitis Artaxerxes, verens Artabani numerum filiorum, in poſterum diem paratum eſſe armatum exercitum iubet, recogniturus et numerum militum, et in armis induſtriam ſingulorum. 8 Itaque cum inter caeteros et ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, rex ſimulat ſe breuiorem loricam habere: iubet Artabanum ſecum commutare: exuentem ſe, ac nudatum, gladio traiicit: tum et filios eius corripi iubet. 9 Atque ita egregius adoleſcens, et caedem patris, et ſe ab inſidiis Artabani vindicauit.

II

1 Dum haec in Perſis geruntur, interea Graecia omnis, ducibus Lacedaemoniis et Athenienſibus, in duas diuiſa partes, ab externis bellis, velut in viſcera ſua, arma conuertit. 2 Fiunt igitur de vno populo duo corpora; et eorundem caſtrorum homines in duos hoſtiles exercitus diuiduntur. 3 Hinc Lacedaemonii communia quondam ciuitatum auxilia ad vires ſuas trahebant: inde Athenienſes, et vetuſtate gentis, et geſtis rebus illuſtres, propriis viribus confidebant. 4 Atque ita duo potentiſſimi Graeciae populi, inſtitutis Solonis, et Lycurgi, legibus pares, ex aemulatione virium in bellum ruebant. 5 Namque Lycurgus cum fratri ſuo Polydectae, Spartanorum regi, ſucceſſiſſet, regnumque ſibi vendicare potuiſſet, Charilao, filio eius, qui natus poſtumus fuerat, cum ad aetatem adultam peruenisſet, regnum ſumma fide reſtituit: 6 vt intelligerent omnes, quanto plus

9 *et caedem patris, et ſe ab inſidiis Artabani vindicauit*] MS. *Et caedem patris, eneces fratris.* Iuntae: *Et caedem patris, et necem fratris, et ſe.* Quod cum et in aliis editionibus antiquis conſpiciatur, non puto eſſe reiiciendum. *Graeuius.*

3 *propriis viribus confidebant*] Nihil mutem. Nam illa ipſa ἀντίθεσις venuſta, *Lacedaemonii communia ciuitatium auxilia ad vires ſuas trahebant, Athenienſes* vero *ſuis viribus confidebant*, ſatis arguit, veram eſſe, quae in vulgatis obtinet, lectionem. *Graeuius.*

5 *Polybitae*] Iuntae cum Graecis, *Polydectae.* et pro *Charillo*, *Charilao*, quos ſequor. *Graeuius.*

plus apud bonos pietatis iura, quam omnes opes, valerent. [7] Medio igitur tempore dum infans conualescit, tutelamque eius administrat, non habentibus Spartanis leges, instituit, non inuentione earum magis, quam exemplo, clarior. [8] Siquidem nihil lege vlla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret. [9] Populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum, formauit. [10] Parcimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiae assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. [11] Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium, iussit. [12] Auri argentique vsum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

III

[1] Administrationem reipublicae per ordines diuisit: [2] regibus potestatem bellorum; magistratibus iudicia per annuas successiones; senatui custodiam legum;

7 *Spartanis leges instituit*] Hae leges proprio nomine ῥήτραι dictae, id est *pacta*. nam *Lex est communis reip. sponsio*, vt loquitur Papinianus L. 1 D. de Leg. et SCt. Hinc Liu. XXXXV, 28 ait, *Lacedaemonem, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem*. Gronouius.

2 *magistratibus iudicia*] *Magistratus* in vnitatis numero Latinis non denotare collegium magistratuum, sed vnum hominem magistratum gerentem, supra docui. Verum viri doctissimi emendationem legentis, *in magistratus iudicia per annuas successiones*, probare nullo modo possum. Praetermitteretur enim, quod praetermitti nullo modo debebat, cui *dederit iudicia in magistratus*: cum de caeteris dixerit, regibus dedit potestatem bellorum, senatui dedit custodiam legum, populo dedit sublegendi senatum potestatem, quomodo dicere potuit *in magistratus iudicia per annuas successiones*, non addito, cui haec iudicia dederit. Non itaque mouenda est codicum plerorumque scriptura: *magistratibus iudicia per annuas successiones*. nisi malis cum Iuntina: *magistratibus iudicia et annuas successiones*. Sed tamen vulgatam lectionem huic praefero. Per *magistratus* autem intelliguntur *Ephori*, qui, etsi non de omnibus negotiis, de potissimis tamen et maximi momenti rebus iudicabant. *Graeuius*.

annuos successores] Legendum *annuos successores*. male enim ista mutauit ex Acidalio ad Velleium Bernecerus. Vult Auctor magistratus tales fuisse, quibus annuos successores crearent. eoque sensu *annui magistratus* dicuntur Liu. III, 39. *Gronouius*.

legum; populo sublegendi senatum, vel creandi, quos vellet magistratus, potestatem permisit. [3] Fundos omnium aequaliter inter omnes diuisit, vt aequata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. [4] Conuiuari omnes publice iussit, ne cuius diuitiae vel luxuria in occulto essent. [5] Iuuenibus non amplius vna veste vti toto anno permisit, nec quenquam cultius, quam alterum, progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. [6] Pueros puberes non in forum, sed in agrum, deduci praecepit, vt primos annos non in luxuria, sed in opere et laboribus, agerent. [7] Nihil eos somni caussa substernere, et vitam sine pulmento degere, neque prius in vrbem redire, quam viri facti essent, statuit. [8] Virgines sine dote nubere iussit, vt vxores eligerentur, non pecuniae; seueriusque matrimonia sua viri coërcerent, cum nullis dotis fraenis tenerentur. [9] Maximum honorem non diuitum et potentium, sed pro gradu aetatis senum, esse voluit. Nec sane vsquam terrarum locum honoratiorem senectus habet. [10] Haec quoniam primo, solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit, et inde se ea ex praecepto numinis detulisse, vt consuescendi taedium metus religionis vincat. [11] Deinde vt aeternitatem legibus suis daret, iureiurando obligat

6 sed in opere et in laboribus] Anglici libri hic non sunt anteferendi vulgatis. *Opus* est labor rusticus, vt saepissime. quamuis sine pulmento viuerent, non tamen in inopia viuebant. Primos, inquit, annos non in luxuria, vt Romae pueri in forum ducti praetextam deponebant, et puram induebant togam, sed in agris, in opere rustico et laboribus perpetuis transigebant. *Graeuius.*

7 sine pulmento] Quod genus est ex delicatissimis obsoniis. Haec vox non a *pulto*, sed a *pulpa* deducenda est, vt sic *pulmentum* sit, quasi *pulpamentum*. Plaut. Rud. IIII, 2. 32 *Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale, sine bono pulmento. Pulpamentum* occurrit apud Terent. Eunuch. III, 1 *Lepus tute es, et pulpamentum quaeris*: de eo, qui in alio quaerit, quod ipse habet: lepores enim lumbis et clunibus suis pulpamentum de se praebent. Sic Plaut. Stich. V, 4. 31 *Nimis vellem aliquid pulpamenti.* Glossae Gr. Lat. σάρκωμα, pulpamentum. Hinc etiam *Pulpamen* in Epit. Liu. XXXXVIII. *Gronouius.*

gat ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, priusquam reuerteretur: et simulat, se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid addendum mutandumque legibus videretur. [12]Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exilium egit, abiiciqueque in mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedaemonem, solutos se Spartani religione iurisiurandi in dissoluendis legibus arbitrarentur.

IIII

[1]His igitur moribus ita breui ciuitas conualuit, vt, cum Messeniis propter stupratas virgines suas, in solenni Messeniorum sacrificio, bellum intulissent, grauissima se execratione obstrinxerint, non priusquam Messeniam expugnassent, reuersuros; tantum sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes. [2]Quae res initium dissensionis Graeciae, et intestini belli caussa et origo fuit. [3]Itaque cum contra praesumtionem suam annis decem in obsidione vrbis tenerentur, et querelis vxorum post tam longam viduitatem reuocarentur: [4]veriti, ne hac perseuerantia belli grauius sibi, quam Messeniis, nocerent: quippe illis, quantum iuuentutis bello intercidat, mulierum fecunditate suppleri; sibi et belli damna assidua, et fecunditatem vxorum, absentibus viris, nullam esse: [5]itaque legunt iuuenes ex eo genere militum, qui post iusiurandum in supplementum venerant; quibus Spartam remissis promiscuos omnium feminarum concubitus permisere: [6]maturiorem futuram conceptionem rati, si eam singulae per plures viros experirentur. [7]Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniae vocati. [8]Qui cum ad annos XXX peruenissent, metu inopiae; nulli enim pater existebat, cuius in patrimonium succesio speraretur; ducem Phalantum assumunt, filium Arati, qui auctor Spar-

4 *mulierum fecunditate supplerí*] Seneca in Hippol. 469 *Excidat agedum rebus humanis Venus, Quae supplet ac restituit humanum genus.* Gronouius.

8 *Palantum*] Iuntae: *Phalantum.* Vt Graeci, quibus *Phalantus.* Et statim iidem cum omnibus MSS. *filium Arati* pro *Araci.* Graeuius.

Spartanis fuerat, iuuentutis ad generandam sobolem domum remittendae: [9] vt, sicuti dudum patrem eius nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent. [10] Itaque nec salutatis matribus, e quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas proficiscuntur; [11] diuque et per varios casus iactati, tandem in Italiam deferuntur; et occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt. [12] Sed post annos plurimos dux eorum Phalantus, per seditionem in exilium proturbatus, Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis veteres Tarentini concesserant. [13] His moriens persuadet, *vt ossa sua, postremasque reliquias conterant, et tacite spargi in foro Tarentinorum curent.* [14] *hoc enim modo recuperaro illos patriam suam posse, Apollinem Delphis ceciniſſe.* [15] Illi arbitrantes eum in vltionem sui, ciuium fata prodidisse, praeceptis paruere: [16] sed oraculi diuersa sententia fuerat. Perpetuitatem enim vrbis, non amissionem, hoc facto promiserat. [17] Ita ducis exulis consilio, et hostium ministerio, possessio Tarentina Partheniis in aeternum fundata. [18] Ob cuius beneficii memoriam Phalanto diuinos honores decreuere.

V

[1] Interea Messenii, cum virtute non possent, per insidias expugnantur. [2] Dein cum per annos LXXX grauia seruitutis verbera, plerumque et vincula, caeteraque captiuitatis mala, perpessi essent, post longam poena-

13 *bic*] Rectius MS. Bongars. *bis.* Gronouius.

17 *fundata*] Liu. III, 60 *Rebus vrbanis compositis, fundatoque plebis statu.* Gronouius.

2 *cum per annos LXXX grauia seruitutis verbera*] Pausanias in Messeniacis Messenicum bellum secundum anno XXXVIIII post primum fuisse motum tradit. Sed a Iustino stat Euseb. in Chronicis. quod confirmat Tyrtaei aetas, vt obseruat magnus Valesius ad excerpta Diodori Siculi. Ipse enim Tyrtaeus cecinit se tertia γενεᾷ seu aetate post primum bellum ab Athenienſibus missum esse ad Lacedaemonios. γενεὰ vero erat triginta annorum, vt tres γενεαὶ sint nonaginta anni. *Grauius.*

poenarum patientiam, bellum reſtaurant. [3] Lacedaemonii quoque eo conſpiratius ad arma concurrunt, quod aduerſus ſeruos dimicaturi videbantur. [4] Itaque cum hinc iniuria, inde indignitas, animos acueret: Lacedaemonii, de belli euentu oraculo Delphis conſulto, iubentur ducem belli ab Athenienſibus petere. [5] Porro Athenienſes, cum reſponſum cognouiſſent, in contemtum Spartanorum Tyrtaeum poëtam claudum pede miſere; [6] qui tribus praeliis fuſus, eo vſque deſperationis Spartanos adduxit, vt, ad ſupplementum exercitus, ſeruos ſuos manumitterent, hiſque interfectorum matrimonia pollicerentur; [7] vt non numero tantum amiſſorum ciuium, ſed et dignitati, ſuccederent. [8] Sed reges Lacedaemoniorum, ne, contra fortunam pugnando, maiora detrimenta ciuitati infligerent, reducere exercitum voluerunt; [9] ni interueniſſet Tyrtaeus; qui compoſita carmina exercitui pro concione recitauit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum ſolatia, belli conſilia, conſcripſerat. [10] Itaque tantum ardorem militibus iniecit, vt non de ſalute, ſed de ſepultura ſolliciti, teſſeras,

poenarum] Hae ſunt calamitates: quas victi a victoribus patiuntur, eaque notione hanc vocem vſurpat Seneca in Hippol. 439 -- *Me cura ſolicitat tui, Quod te ipſe poenis grauibus infeſtus domas.*

3 *quo aduerſus ſeruos dimicaturi*] Recte vidit Acidalius et Vorſtius, ſcribendum eſſe *quod aduerſus ſeruos*. et ſic Iuntina. legitur in eadem editione paullo ante *tanto conſpirantius* pro *conſpiratius*. Gracuius.

6 *fuſos*] Sic omnino ex MS. reſcribendum. Iam enim ante, quam Tyrtaeus aduenirет, fugati erant. *Gronouius.*

7 *dignitati ſuccederent*] Eodem modo *ſuccedere caritati* dixit Liu. XXIIII, 5. Hos vero ſeruos, quibus illa pollicebantur, *ἐπευνάκτους* vocarunt, quod lectis dominorum ſucceſſerant, teſte Athenaeo VI, 20 Deipn. p. 271. *Gronouius.*

8 *maiora detrimenta ciuitati infligerent*] Iuntina ſtat pro vulgato *infligerent*. *Infundere detrimentum* ciuitati nemo dixerit. Veriſſimam duco et ingenioſiſſimam emendationem Vorſtii. Ignotior ſignificatio vocis *iniungere* huic loco interpolatrices manus admouit. *Graeuius.*

9 *pro concione*] Sic eſt Ciceroni dictum *pro roſtris*, quod aliis *in roſtris*. Eidem III Ep. Fam. 8 *pro tribunali agere*. Gronouius.

feras, insculptis suis et patrum nominibus, dextro brachio deligarent: [11]vt si omnes aduersum praelium consumsissent, et temporis spatio confusa corporum lineamenta essent, ex indicio titulorum tradi sepulturae possent. [12]Cum sic animatum reges exercitum viderent, curant rem hostibus nuntiari. [13]Messeniis autem non timorem res, sed aemulationem mutuam, dedit. [14]Itaque tantis animis concursum est, vt raro vnquam cruentius praelium fuerit. [15]Ad postremum tamen victoria Lacedaemoniorum fuit.

VI

[1]Interiecto tempore, tertium quoque bellum Messenii reparauere: [2]in cuius auxilium Lacedaemonii, inter reliquos socios, etiam Athenienses adhibuere. [3]quorum fidem cum suspectam haberent, superuacaneos simulantes, a bello eosdem dimiserunt. [4]Hanc rem Athenienses grauiter ferentes, pecuniam, quae erat in stipendium Persici belli ab vniuersa Graecia collata, a Delo Athenas transferunt, ne, deficientibus a fide societatis Lacedaemoniis, praedae ac rapinae esset. [5]Sed nec Lacedaemonii quieuere: qui, cum Messeniorum bello occupati essent, Peloponnenses immisere, qui bellum Athenienſibus facerent. [6]Paruae tunc temporis, classe in Aegyptum missa, vires Athenienſibus erant. itaque nauali praelio dimicantes, facile superantur. [7]Interiecto deinde tempore, post reditum suorum aucti et classis et militum robore, praelium reparauere. [8]Tum et Lacedaemonii, omissis Messeniis, aduersus Athenienses arma verterant. [9]Diu varia victoria fuit: ad postremum aequo Marte vtrinque discessum. [10]Inde reuocati Lacedaemonii ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otiosum Athenienſibus relinquerent, cum Thebanis paciscuntur, vt Boeotiorum imperium his restituerent, quod temporibus Persici belli amiserant, vt illi Athenienſium bella susciperent. [11]Tantus furor Spartanorum erat, vt, duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis

micis suis hostes acquirerent. [12] Igitur Athenienses, aduersus tantam tempestatem, belli duos duces deligunt, Periclem spectatae virtutis virum, et Sophoclem scriptorem tragoediarum: [13] qui, diuiso exercitu, et Spartanorum agros vastauerunt, et multas Achaiae ciuitates Athenienſium imperio adiecerunt.

VII

[1] His malis fracti Lacedaemonii, in annos XXX pepigerunt pacem: sed tam longum otium inimicitiae non tulerunt. [2] Itaque quinto decimo anno, rupto foedere, cum contemtu deorum hominumque, fines Atticos populantur: [3] et ne praedam potius, quam pugnam, expetiisse viderentur, hostes ad praelium prouocant. [4] Sed Athenienses, consilio Periclis ducis, populationis iniuriam differunt in tempus vltionis; superuacuam pugnam existimantes, cum vlcisci hostem sine periculo possent. [5] Deinde interiectis diebus, naues conscendunt, et nihil sentientibus Lacedaemoniis, totam Spartam depraedantur, multoque plura auferunt, quam amiserant. [6] Prorsus vt, in comparatione damnorum, longe pluris fuerit vltio, quam iniuria. [7] Clara quidem haec Periclis expeditio habita: sed multo clarior priuati patrimonii contemtus fuit. [8] Huius agros in populatione caeterorum intactos hostes reliquerant, sperantes aequirere se illi posse, aut periculum ex inuidia, aut ex suspicione

2 *itaque quinto decimo anno*] Hanc emendationem [Schefferi, legentis *itaque intra quintum decimum annum*] valde probo et laudo, a qua non longe abit Iuntina, in qua scribitur: *itaque intra* XV *annos*. Graevius.

4 *consilio Periclis ducis*] MS. et hic et paulo post *Pericli*, vt superius *Candauli*: apud C. Nep. *Neocli*, et infinita talia, quae pridem docti viri collegerunt. *Graeuius.*

5 *totam Spartam*] *Sparta* hic intelligenda est regio Spartam circumiacens, vt XII, 2 *Troia*, pro agro Troiano. haec ratio loquendi etiam elegantissimis placuit, inter quos Homer. Il. II 711, ipso Eustathio indice: Φησὶ πόλις Πελοποννησίων, ἔτι δὲ καὶ χώρα. et schol. ad Pindari Olymp. III p 75 τὴν ὅλην Ἀττικὴν Ἀθήνας εἶπεν. Strab. VIII p. 358 Ἐκαλεῖτο καὶ ἡ χώρα Μεσσήνη. *Gronevius.*

ſpicione proditionis infamiam. [9] Quod ante proſpiciens Pericles, et futurum populo praedixerat; et ad inuidiae impetum declinandum, agros ipſos dono reipublicae dederat: [10] atque ita, vnde periculum quaeſitum fuerat, ibi maximam gloriam inuenit. [11] Poſt haec interiectis diebus, nauali praelio dimicatum eſt: victi Lacedaemonii fugerunt. [12] Nec ceſſatum deinceps eſt, quin aut terra, aut mari, varia praeliorum fortuna, inuicem ſe trucidarent. [13] Denique feſſi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam non niſi ſex annis ſeruauerunt. [14] Nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex ſociorum perſona rumpebant: [15] quippe quaſi minus periurii contraherent, ſi ferentes ſociis auxilia, potius quam ſi aperto praelio dimicaſſent. [16] Hinc bellum in Siciliam translatum: quod priuſquam expono, de Siciliae ſitu pauca dicenda ſunt.

LIBER IIII
BREVIARIVM CAPITVM

I *Siciliae insulae situs, soli natura. Aetnae item montis ac Scyllae et Charybdis miraculum.*
II *Nomina, incolae veteres, tyranni Siciliae, cui Carthaginienses inbiant.*
III *Rhegienses ab Himeranis oppressi. Athenienses imperium Siciliae ambiunt, et prospere agunt initio.*
IIII *In incepto pergentes Syracusani Lacedaemonios arcessunt. Graecorum concursus fit, et bellum in Siciliam transfertur.*
V *Athenienses a Gylippo, Lacedaemoniorum duce, terra marique franguntur, ducibus Demosthene et Nicia indecoro fato sublatis.*

I

[1]Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiae adhaesisse: direptamque velut a corpore, maiore impetu superi maris, quod toto vndarum onere illuc vehitur. [2]Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis; et cauernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, vt ventorum tota ferme flatibus pateat, [3]nec non et ignibus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis materia, quippe intrinsecus stratum sulphure et bitumine traditur: [4]quae res facit, vt spiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter et compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. [5]Inde denique Aetnae montis per tot saecula durat incendium. [6]Et vbi acrior per spiramenta cavernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. [7]Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur, ideo, quia Graece abrupta hoc nomine pronuntiantur. [8]Nec mirum, si fabulosa est loci huius antiquitas, in quem res tot coiere mirae. [9]Primum quod nusquam alias tam torrens fretum, nec solum

1 *maiore impetu superi maris*] *Maior impetus* est vis, cui resisti non potest, et θεῖα βία nominatur ab ICtis, vt L. 25 § 5 D. Locati, et Paul. I Recept. Sentent. 7. 7 *Impetus maior*: quem locum emendare vult Cuiacius, sed male. Nam eodem modo Cic. II de Inuent. 33 *Vis maior*. Gronouius.

4 *frequenter et compluribus locis*] Lege: *ex compluribus locis*. vt et Iuntae. *Graeuius*.

citato impetu, verum etiam saeuo; neque experientibus modo terribile, verum etiam procul videntibus. [10] Vndarum porro in se concurrentium tanta pugna est, vt alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri, videas: nunc hic fremitum feruentis aestus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. [11] Accedunt vicini et perpetui Aetnae montis ignes, et insularum Aeolidum, veluti ipsis vndis alatur incendium. [12] Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot saeculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. [13] Hinc igitur fabulae Scyllam et Charybdin peperere; hinc latratus auditi; hinc monstri credita simulacra, dum nauigantes, magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant vndas, quas sorbentis aestus vorago conlidit. [14] Eadem causa etiam Aetnae montis perpetuos ignes facit. [15] Nam aquarum ille concursus, raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec per spiramenta [terrae diffusus, nutrimenta] ignis incendat. [16] Iam ipsa Italiae, Siciliaeque vicinitas, [iam] promontoriorum altitudo ipsa ita similis est, vt, quantum nunc admirationis, tantum antiquis terroris dederit; credentibus, coëuntibus in se promontoriis, ac rursum discedentibus, solida intercipi absumique nauigia. [17] Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulae compositum, sed metu et admiratione transeuntium. [18] Ea est enim procul inspicientibus natura loci, vt sinum maris, non transitum,

10 *alias veluti tergum dantes in imum desidere*] Iuntae quoque: *vorticibus mergi ac in imum desidere.* Sed hoc glossema est natum ex verbo *Virgilius*, quod in MSS. legitur nonnullis. Id vero studiosus aliquis margini adleuerat, significaturus, esse locutionem Virgilianam. Potest etiam interpretatio esse magistri, qui sic haec verba, *in imum desidere*, exposuit, quae postea ex marginibus in contextum irrepsit. *Graeuius.*

13 *hinc latratus auditus*] Iuntae cum nonnullis aliis impressis: *auditos.* MS. *auditis.* lege: *latratus auditi.* Graeuius.

15 *terrae diffusus, nutrimenta*] Haec desunt in MS. I Voss. *Gronouius.*

16 *promontoriorum altitudo ipsa ita similis*] Iuntae: *ipsa ita sibi similis est.* Graeuius.

tum, putes; quo cum acceſſeris, diſcedere ac ſeiungi promontoria, quae antea iuncta fuerant, arbitrere.

II

[1]Siciliae primo Trinacriae nomen fuit: poſtea Sicania cognominata eſt. [2]Haec a principio patria Cyclopum fuit: quibus extinctis, Cocalus regnum inſulae occupauit; [3]poſt quem ſingulae ciuitates in tyrannorum imperium conceſſerunt, quorum nulla terra feracior fuit. [4]Horum ex numero Anaxilaus iuſtitia cum caeterorum crudelitate certabat; cuius moderationis haud mediocrem fructum tulit. [5]Quippe decedens cum filios paruulos reliquiſſet, tutelamque eorum Micytho, ſpectatae fidei ſeruo, commiſiſſet: tantus amor memoriae eius apud omnes fuit, vt, parere ſeruo, quam deſerere regis filios, mallent, principesque ciuitatis, obliti dignitatis ſuae, regni maieſtatem adminiſtrari per ſeruum paterentur. [6]Imperium Siciliae etiam Carthaginienſes tentauere, diuque varia victoria cum tyrannis dimicatum. [7]Ad poſtremum, amiſſo Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantiſper quieuere victi.

III

[1]Medio tempore cum Rhegini diſcordia laborarent, ciuitasque per diſſenſionem diuiſa in duas partes eſſet; veterani ex altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulſis ciuitate, contra quos implorati fuerant, et mox caeſis, quibus tulerant auxilium, vrbem cum coniugibus et liberis ſociorum occupauere; [2]auſi facinus nulli tyranno comparandum: quippe vt Rheginis melius fuerit vinci, quam viciſſe. [3]Nam ſiue victoribus captiuitatis iure ſeruiſſent, ſiue amiſſa patria exulare neceſſe habuiſſent; non tamen inter

§ *Micalo*] Iuntae: *Micytho*, cum Herodoto et Macrobio. *Graeuius.*

2 *nulli tyranno*] Iuntae: *tyrannico*. Freinshemius: *Nulli tyrannorum patrandum*. Nihil muta. *Nulli tyranno comparandum* eſt nulli tyrannorum facinori comparandum. Eſt locutio antiqua et optimis ſcriptoribus familiaris, quam pluribus aſſerit Gronou. ad Liu. epit. XXXXVII. *Graeuius.*

aras et patrios lares trucidati, crudelissimis tyrannis patriam cum coniugibus ac liberis praedam reliquissent. 4 Catinienses quoque, cum Syracusanos graves paterentur, diffisi viribus suis, auxilium ab Atheniensibus petiuere: 5 qui, seu studio maioris imperii, quo Asiam Graeciamque penitus occuparent, seu metu factae pridem a Syracusanis classis, ne Lacedaemoniis illae vires accederent; Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, vt sub specie ferendi Catinienſibus auxilii tentarent Siciliae imperium. 6 Et quoniam prima initia, frequenter caesis hostibus, prospera fuerant; maiore denuo classe, et robustiore exercitu, Lachete et Chariade ducibus, Siciliam petiuere: 7 sed Catinienses, siue metu Athenienſium, siue taedio belli, pacem cum Syracusanis, remissis Athenienſium auxiliis, fecerunt.

IIII

1 Interiecto deinde tempore, cum fides pacis a Syracusanis non seruaretur, denuo legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo barbaque promissis, et omni squaloris habitu ad misericordiam commouendam acquisito, concionem deformes adeunt: 2 adduntur precibus lacrimae: et ita misericordem populum supplices mouent, vt damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerant. 3 Igitur classis ingens decernitur: creantur duces Nicias, et Alcibiades, et Lamachus, tantisque viribus Sicilia repetitur, vt ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur. 4 Brevi post tempore, reuocato ad reatum Alcibiade, duo praelia pedestria secunda Nicias et Lamachus faciunt: 5 munitionibus deinde circumdatis, hostes etiam marinis

4 *Catinienſes*] Iuntae: *Catinenſes*. *Graeuius*.

6 *Chariade*] Scripsi cum Iuntis: *Chariade*. Graecis enim est Χαριάδης. *Graeuius*.

1 *ad misericordiam commouendam acquisito*] Merito *acquisito* suspectum est Scheffero. Squaloris habitum acquirere ad misericordiam commouendam vix ferent aures Latinae. forte Iustinus scripsit: *ad misericordiam commouendam conquisito*. Graeuius.

5 *munitionibus deinde circumdatis* etc.] Suet. Iul. 68 *Dyrrachium*

rinis commeatibus in vrbe clauſos intercludunt. [6] Quibus rebus fracti Syracuſani, auxilium a Lacedaemoniis pertiuerunt. [7] Ab his mittitur Gylippus ſolus, ſed in quo inſtar omnium auxiliorum erat. [8] Is audito in itinere belli iam inclinato ſtatu, auxiliis partim in Graecia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. [9] Duobus deinde praeliis victus, congreſſus tertio, occiſo Lamacho, et hoſtes in fugam compulit, et ſocios obſidione liberauit. [10] Sed cum Athenienſes a bello terreſtri in nauale ſe tranſtuliſſent, Gylippus claſſem Lacedaemone cum auxiliis arceſſit. [11] Quo cognito, et ipſi Athenienſes in locum amiſſi ducis Demoſthenem et Eurymedonta, cum ſupplemento copiarum, mittunt: [12] Peloponeſii quoque, communi ciuitatum decreto, ingentia Syracuſanis auxilia miſere: et quaſi Graeciae bellum in Siciliam translatum eſſet, ita ex vtraque parte ſummis viribus dimicabatur.

V

[1] Prima igitur congreſſione nauali certaminis, Athenienſes vincuntur. Caſtra quoque cum omni publica ac priuata pecunia amittunt. [2] Super haec mala, cum etiam terreſtri praelio victi eſſent, tunc Demoſthenes cenſere coepit, [3] *vt abirent Sicilia, dum*

vrachina munitio. Caeſar VIII de B. G. 11 *Locum munitionibus claudi.* Hinc *munitores* Ammian. Marc. XXI, 12, quos Cl. Valeſius, vti et *oppugnatores*, opponit *clauſis*, et *defenſoribus.* et *munimentum* eadem notione vſurpat Liu. X, 9 *Locus nec vi, nec munimento, capi poterat.* Gronouius.

7 *inſtar omnium*] Vnus enim Gylippus tantum poterat, quantum multa millia militum. Cic. Brut. 51 *Plato mihi vnus inſtar eſt omnium.* Liu. XXVIII, 17 *Parnum inſtar eorum.* Virg. VII Aen. 707 *Magnique ipſe agminis inſtar.* Gronouius.

8 *is audito genere belli iam inclinato ſtatu*] Huius loci emendationem pulchertimam et certiſſimam debemus Oxonienſibus, qui ex codicibus antiquis reſcripſerunt: *Is audito in itinere belli iam inclinato ſtatu.* Nihil verius. Merito probauit quoque Schefferus ὁ μικυφίτης. *Graeuius.*

inclinato ſtatu] Caeſar I B. C. 52 *Fortuna ſe inclinauerat.* idque Graeco more expreſſit Heſiod. Theog. 711 ἐκλίνθη δὲ μάχη. *Gronouius.*

2 *tum Demoſthenes cenſere coepit*] Recte Schefferus. *Cenſere*

res, quamuis afflictae, nondum tamen perditae forent: neque in bello male auspicato amplius perseuerandum esse; domi grauiora et forsitan infeliciora bella, in quae seruare hos vrbis apparatus oporteat, [4] Nicias seu pudore male actae rei, seu metu destitutae spei ciuium, seu impellente fato, manere contendit. [5] Reparatur igitur nauale bellum, et animi a prioris fortunae procella, ad spem certaminis reuocantur: [6] sed insciția ducum, qui inter angustias maris tuentes se Syracusanos aggressi fuerant, facile vincuntur. [7] Eurymedon dux, in prima acie fortissime dimicans, primus cadit: triginta naues, quibus praefuerat, incenduntur. [8] Demosthenes et Nicias, et ipsi victi, exercitum in terram deponunt, tutiorem fugam rati itinere terrestri. [9] Ab his relictas centum triginta naues Gylippus inuasit: ipsos deinde insequitur: fugientes partim capit, partim caedit. [10] Demosthenes, amisso exercitu, a captiuitate gladio et voluntaria morte se vindicat: [11] Nicias autem, ne Demosthenis quidem exemplo, vt sibi consuleret, admonitus, cladem suorum auxit dedecore captiuitatis.

fere enim Latinis est aut in senatu, aut in concione, sententiam de re, de qua deliberandum, dicere. Superius II, 7 *Solicitus igitur Solon, ne aut tacendo parum reip consuleret, aut censendo sibi.* Graeuius.

4 *destitutae spei ciuium*] Liu. I, 51 *Morando spem destituit.* Idem XXVI, 18 *Destituta exspectatio.* et Quintil. Declam. XII *Nihil grauius quam destituta spes torquet.* Gronouius.

5 *et animi a* etc.] Recte legitur *et animi a* etc. Liu. VII, 15 *Alienatis a memoria periculi animis. Gronouius.* Clare luntae confirmant Bernecceri emendationem. Is enim primus hunc locum sic restituit, cum antea legeretur *et a nimia*, aut, vt Bongarsius ediderat, *et animata.* Graeuius.

LIBER V

BREVIARIVM CAPITVM

I *Alcibiades Siculi belli concitor in exilium coniectus, Lacedaemonios ad bellum Athenienſibus inferendum impellit. Huic bello Darius rex Perſarum accedit ſocius Lacedaemoniis.*

II *Alcibiadis res geſtae in patriam. Lacedaemoniis ſuſpectus negotium illis faceſſit Tiſſaphernis opera.*

III *Alcibiades ſtatum reip. mutat, deinde claſſe inſtructa in bellum pergit aduerſus Lacedaemonios.*

IIII *Nauali pugna et praeclara de Lacedaemoniis victis ab Alcibiade reportata victoria. Is deſideratus ciuibus ſuis Athenas reuerſus ſumma cum omnium laetitia excipitur.*

V *Lacedaemonii Perſarum freti auxilio exercitum Athenienſium in Aſia ſparſum opprimunt. Alcibiades ob rem male geſtam veritus populi impetum denuo in voluntarium exilium proficiſcitur.*

VI *Conon, Alcibiadis ſucceſſor, inualidos et nouos milites naclus infeliciter rem gerit, et nauali praelio ſuperatus concedit ad Euagoram.*

VII *Athenienſium tot cladibus fractorum puſillanimitas.*

VIII *Lacedaemonii victores vrbe Athenarum deditione potiuntur, Lyſander ſtatum reip. mutat: inde XXX tyranni, et caedes Alcibiadis.*

VIIII *Theramenes tyrannorum vnus, vir moderatus, a collegis trucidatur. Thraſybulus remp. collapſam reſtituit, et praelio commiſſo, XXX tyrannorum ſaeuiſſimos, Critiam et Hippolochum, mactat.*

X *Thraſybulus populares fugientes placide reuocat: ſuperſtites tyrannos vrbe pellit: qui, dum bellum reparare ſtudent, comprehenſi trucidantur, ἀμνηστία, id eſt, diſcordiarum oblitione, inter ciues ſancita.*

XI *Darii mors. Inter cuius filios, Artaxerxem et Cyrum, lis de regno: qua prius in occultum, deinde vero in apertum bellum erumpente, Artaxerxes demum, fratre occiſo, et victoria et regno potitur.*

I

'Dum Athenienſes in Sicilia bellum per biennium cupidius, quam felicius, gerunt, interim concitor et dux eius Alcibiades abſens Athenis inſimulatur, myſteria Cereris Initiorum ſacra, nullo magis

1 *myſteria Cereris, initiorum ſacra*] Adſentior Bernecceo et Tanaquillo cenſentibus, delendum eſſe *myſteria Cereris. Nullo* eſt nullo ritu, aut negotio. *Sacro nullo*, quod Scheffero placebat, hic locum habere non poteſt. Nemo enim ſic loquitur. *Myſteria hoc ſacro inſignia ſunt.* Graeuius.

quam silentio solemnia, enuntiauisse. [2] Reuocatusque a bello ad iudicium, siue conscientiam, siue indignitatem rei, non ferens, tacitus in exilium Elidem profectus est. [3] Inde, vbi non damnatum se tantum, verum etiam diris, per omnium sacerdotum religiones, deuotum cognouit, Lacedaemona se contulit: [4] ibique regem Lacedaemoniorum impellit, turbatis Athenienſibus aduerso Siciliae praelio, vltro bellum inferre. [5] Quo facto, omnia Graeciae regna, velut ad extinguendum commune incendium, concurrunt. [6] Tantum odii Athenienses immoderati imperii crudelitate contraxerant. [7] Darius quoque, rex Persarum, memor paterni auitique in hanc vrbem odii, facta cum Lacedaemoniis per Tissafernem, praefectum Lydiae, societate, omnem sumtum belli pollicetur. [8] Et erat hic quidem titulus cum Graecis coëundi: re autem vera timebat, ne victis Athenienſibus ad se Lacedaemonii arma transferrent. [9] Quis igitur miretur, tam florentes Athenienſium opes ruisse, cum ad opprimendam vnam vrbem, totius Orientis vires concurrerent? [10] Non tamen inerti, neque incruento cecidere bello: sed praeliati ad vltimum, victores etiam interdum, consumti magis fortunae varietate, quam victi sunt. [11] Principio belli omnes ab his etiam socii desciuerant, vt fit: Quo se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat.

II [1] Al-

6 tantum odium] Iuntae: *odii*. Sic iidem XII, 3 *quantum mali*, pro vulgato, *quantum malum*. Dein iidem: *consumti magis fortunae varietate, quam vi victi sunt*. Quod et in aliis antiquioribus editionibus conspicitur, et verum est. Victi vtique sunt Athenienses, sed non vi, sed fortunae varietate sunt consumti et exhausti. Hanc lectionem dudum etiam Gronouius probauit. *Graeuius*.

8 ne, victis Athenienſibus, ad se Lacedaemonii etc.] Omnino scribendum, *Ne victis Lacedaemoniis, ad se Athenienses* etc. Quod si vulgata lectio retineatur, magnus erit Iustini error. Athenienses enim tum adhuc erant principes Graeciae. *Gronouius*.

II

[1] Alcibiades quoque motum aduersus patriam bellum, non gregarii militis opera, sed imperatoriis virtutibus, adiuuat. [2] Quippe acceptis quinque nauibus in Asiam contendit, et tributarias Atheniensium ciuitates, auctoritate nominis sui, ad defectionem compellit. [3] Sciebant enim domi clarum, nec exilio videbant factum minorem; nec tam ablatum Athenienſibus ducem, quam Lacedaemoniis traditum; partaque cum amissis imperia pensabant. [4] Sed apud Lacedaemonios virtus Alcibiadis plus inuidiae quam gratiae contraxit. [5] Itaque cum principes velut aemulum gloriae suae interficiendum insidiis mandassent, cognita re, Alcibiades per vxorem Agidis regis, quam adulterio cognouerat, ad Tissafernem, praefectum Darii regis, profugit; cui se celeriter officii comitate, et obsequendi gratia insinuauit. Erat enim et aetatis flore, et formae veneratione, nec minus eloquentia, etiam inter Athenienses, insignis; [7] sed in conciliandis amicitiarum studiis, quam in retinendis, vir melior: quia morum vitia sub vmbra eloquentiae primo latebant. [8] Igitur persuadet Tissafermi, *ne tanta stipendia classi Lacedaemoniorum praeberet.* [9] *Vocandos enim in portionem muneris Ionios, quorum pro libertate, cum tributa Athenienſibus*

3 *partaque cum amissis imperia pensabant*] Bongarsius edidit *pensare*. omnino recte, vt referatur ad 72 *sciebant*, nempe Alcibiadem. Apud veteres *pensare* neqnaquam vsurpatum fuit pro aequare et comparare. Sic noster XXV, 3. et Seneca in Oedipo 490 *Meliore pensans damna marito*. Liu. XXXVII, 1 *Veteribus benefactis noua pensantes maleficia*. At *pensitare* pro aestimare dixit Sueton. Oct. 66 *Amicorum suprema iudicia moresissime pensitauit*. Gronouius. MSS. *pensare*. Iuntae cum nonnullis aliis: *pensantem*. Quos sequor. Hic est sensus: Viderunt tantum imperium eum recepisse, quantum amiserat. Imperatoriam enim dignitatem, quam apud Athenienses amiserat, recuperauerat apud Lacedaemonios. Sic *aduersa secundis pensare* apud Liu. Flor. et alios. vide Gronou. Obseru. IIII, 13. *Graeuius*.

9 *vocandos in portionem muneris Ionios*] Eleganter hic *munus* pro onere auctor vsurpat, quomodo etiam Cic. V in Verr. 20 *Cum hoc munus imperaretur tam*

sibus penderent, bellum susceptum sit. [10] *Sed nec auxiliis nimis enixe Lacedaemonios iuuandos; quippe memorem esse debere, alienam se victoriam, non suam instruere; et eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur.* [11] *Nam regem Persarum, dissentientibus Graecis, arbitrum pacis ac belli fore; et quos suis non possit, ipsorum armis victurum, perfecto autem bello, statim ei cum victoribus dimicandum.* [12] *Domesticis itaque bellis Graeciam obterendam, ne externis vacet; exacquandasque vires partium, et inferiores auxilio leuandos.* [13] *Non enim quieturos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Graeciae professi sint.* [14] Grata oratio Tissaferni fuit. Itaque commeatus maligne praebere: classem regiam non totam mittere; ne aut victoriam totam daret, aut necessitatem deponendi belli imponeret.

III

[1] Interea Alcibiades hanc operam ciuibus venditabat: [2] ad quem cum legati Athenienſium venissent, pollicetur his amicitiam regis, si resp. a populo trans-

tam graue ciuitati. Ibid. 21 *Id quoque munus leue atque commune Mamertinis remisisti.* et Liu. XXV, 7 *Dum ne quis eorum munere vacaret.* Idem XXVII, 9 *Non enim detrectationem eam munerum militiae, sed apertam defectionem a populo Romano esse.* et XXX, 18 *Vtram vellet praetor muneris partem proconsule accipiente.* Vide Pomponium in L. 239 § 3 de Verb. sign. *Gronouius.* MS. *Iones.* Iuntae: *Ionas. Muneris* non est mutandum in *oneris.* Munus enim est onus. Sic *munera* ICtis sunt onera ciuilia. Hyginus Gromaticus: *Scholae cohortibus primis, vbi munera legionum dicuntur, intra scamnum legatorum contra aquilam dari debent.* vbi *munera legionum* sunt excubiae, vallum, fossa, pabulum, materia, lignorum aggestus, et alia onera militaria. Tacit. I Ann. 16 *solita munia* dicuntur. Hinc *munifex,* qui munera seu onera praestare cogitur, cui opponitur *immunis.* Graeuius.

12 *Graeciam obterendam*] Optime Angli, Scheffero applaudente: *Graeciam atterendam.* Suet. in Aug. *Attrito bellis ciuilibus patrimonio.* et in Galb. *attritis facultatibus.* Graeuius.

1 *hanc operam ciuibus venditat*] Mallet vir doctissimus [Scheffer] cum antiquioribus editionibus: *hanc operam ciuibus vindicat.* cui minime hic auscul-

translata ad senatum foret: [3] sperans, vt aut concordante ciuitate, dux belli ab omnibus legeretur: aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur. [4] Sed Athenienſibus, imminente periculo belli, maior ſalutis, quam dignitatis, cura fuit. [5] Itaque, permittente populo, imperium ad ſenatum transfertur. [6] Qui cum inſita genti ſuperbia crudeliter in plebem conſuleret, ſingulis tyrannidis ſibi impotentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exul reuocatur, duxque claſſi conſtituitur. [7] Statim igitur Athenas mittit, *ex continenti ſe cum exercitu venturum, recepturumque a quadringentis iura populi,*

auſcultandum. Qui enim reſciſſent Athenienſes, quo animo eſſet erga patriam, quam ante tot cladibus affecerat; et qui potuiſſent in animum inducere, vt legatos ad eum mitterent, niſi aut per litteras, aut certos homines eis ſignificaſſet, quid in eorum gratiam apud Tiſſaſernem dixiſſet effeciſſetque. hoc vero eſt *venditare operam ciuibus*, quam ſcilicet eis nauarat apud Perſas. Si quid nouandum, mallem cum Iuntina: *hanc operam ciuibus indicat*. Sed nil venuſtius et pulchrius vulgata. *Gracnius.*

aut mendae ſuſpectus habendus. Senatus non erat gens, ſed erat ex illa gente, cui inſita erat ſuperbia, de qua et ſaepe alii ſcriptores queſti ſunt. qui Thucydidem legerunt, id non poſſunt ignorare. Praeterea nec in rep. Athenienſi nec Romana ſenatus fuit nobilitas. Multi legebantur ex plebe ſenatores, cum ſenatoria dignitas communicata fuit cum populo. Marius, Cicero, et quot alii, fuerunt ſenatores, ſed non nobiles, antequam ad maiores magiſtratus euherentur. *Graevius.*

6 qui cum inſita genti ſuperbia crudeliter in plebem conſuleret] Hoc eſt, cum in plebem ſaeuirent, ac impotenter inhiberent imperium pro ingenio illius gentis, pro illa quae inſita eſt Atticis ſuperbia, vt quicunque ex iis, ſiue ſint ex populo, ſiue ex nobilibus, ad imperium prouehuntur tale, vt ſoli rerum potiantur, caeteros ciues premant, vexent, ſuperbeque habeant. Nihil hic video difficultatis, cur contra omnium codicum auctoritatem hic locus ſit interpolandus,

7 Athenas mittit] MS. et Iuntae: *ſcribit*. Sed caue vulgatum moneas. Nam *mittere* nonnunquam eſt ſcribere, et ſiue litteris, ſiue nuntiis miſſis ſignificare. Cic. XI ad Fam. 16 *Mitte ad Lupum noſtrum, vt is nobis eas centurias conficiat.* et II ad Att. ep. 2 *Nam ita ad me mittunt, Nigidium minari in concione, ſe iudicem qui non adfuerit compellaturum.* Sic et ἀποστέλλειν Aelian. Var. Hiſt. II 5 et 19: et πέμπειν apud ſcriptores Noui Foederis. *Graevius.*

populi, ni ipſi redderent. [8] Hac denuntiatione optimates territi primo vrbem prodere Lacedaemoniis tentauere; dein, cum id nequiſſent, in exilium profecti ſunt. [9] Igitur Alcibiades, inteſtino malo patria liberata, ſumma cura claſſem inſtruit; atque ita in bellum aduerſus Lacedaemonios pergit.

IIII

[1] Iam Seſto Mindarus et Pharnabazus, Lacedaemoniorum duces, inſtructis nauibus exſpectabant. [2] Praelio commiſſo, victoria penes Athenienſes fuit. In eo bello maior pars exercitus, et omnes ferme hoſtium duces caeſi: naues LXXX captae. [3] Interiectis quoque diebus, cum bellum Lacedaemonii a mari in terram tranſtuliſſent, iterato vincuntur. [4] His malis fracti, pacem petiere: quam ne acciperent, opera eorum effectum eſt, quibus ea res quaeſtum praeſtabat. [5] Interea et Syracuſanorum auxilia illatum a Carthaginenſibus Siciliae bellum domum reuocauit: [6] quibus rebus deſtitutis Lacedaemoniis, Alcibiades cum claſſe victrici Aſiam vaſtat: multis locis praelia facit: vbique victor recipit ciuitates, quae defecerant: nonnullas capit, et imperio Athenienſium adiicit: [7] atque ita priſca nauali gloria vindicata, adiecta etiam laude terreſtris belli, deſideratus ciuibus ſuis Athenas reuertitur. [8] His omnibus praeliis ducentae naues hoſtium, et praeda ingens capta. [9] Ad hunc redeuntis exercitus triumphum effuſa omnis multitudo obuiam procedit: et vniuerſos quidem milites, praecipue tamen Alcibiadem, mirantur: [10] in hunc oculos ciuitas vniuerſa, in hunc ſuſpenſa ora conuertit: hunc quaſi de caelo miſſum, et vt ipſam Victoriam contuentur: [11] laudant, quae pro patria, nec minus admirantur, quae exul contra geſſerit, excuſantes ipſi, iratum prouocatumque feciſſe. [12] Enimvero

1 *iam Seſto Mindarus*] Recepi hanc lectionem, quam firmant MSS. Anglicani, et probarunt Oxonienſes, et ante eos Vorſtius. Iſaaco tamen Voſſio τῷ πάνυ debetur laus huius emendationis. Iuntae quoque perinde vt multi codices: *Iam Zeſtronidarus et Pharnabazus*. Graeuius.

vero tantum in vno viro fuisse momenti, vt maximi imperii subuersi, et rursum recepti auctor esset; et vnde stetisset, eo se victoria transferret; fieretque cum eo mira quaedam Fortunae inclinatio. [13] Igitur omnibus non humanis tantum, verum et diuinis eum honoribus onerant; certant secum ipsi, vtrum contumeliosius eum expulerint, an reuocauerint honoratius. [14] Ipsos illi deos gratulantes tulere obuiam, quorum execrationibus erat deuotus. [15] Et cui paullo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in caelo posuisse cupiunt. [16] Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, execrationes precibus. [17] Non Siciliae illis aduersa pugna in ore est, sed Graeciae victoria: non classes per illum amissae, sed acquisitae: nec Syracusarum, sed Ioniae Hellespontique meminerunt. [18] Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offensa, nec in fauore, studiis suorum exceptus est.

V

[1] Dum haec aguntur a Lacedaemoniis, Lysander classi belloque praeficitur; et in locum Tissafernis Darius, rex Persarum, filium suum Cyrum Ioniae Lydiaeque praepositi: qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris erexit. [2] Aucti igitur viribus Alcibiadem cum centum nauibus in Asiam profectum, dum agros longa pace diuites securius populatur, et praedae dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites habet, repentino aduentu oppressere: [3] tantaque caedes palantium fuit, vt plus vulneris eo praelio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant: [4] et tanta desperatio apud

15 *omnem humanam opem interdixerant*] Suet. Ner. 52 *Et cum interdixisset vsum amethystini ac Tyrii coloris*. et Domit. 7 *Interdixit bistrionibus scenam*. Nepos Hamilc. 3 *Quod moribus eorum non poterat interdici socero gener*. Noster quoque infra XXXXI, 3 *Quamobrem feminis non conuiua tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt*. Gronouius.

18 *nunquam mediocribus nec in offensa, nec in fauore, studiis*] Iuntae quoque cum MSS: *offensam* et *fauorem*. Graeuius.

4 *erat*] I Cod. Voss. *esset*. Gronouius.

apud Athenienſes erat, vt ex continenti Alcibiadem ducem Conone mutarent; [5]arbitrantes, victos ſe non fortuna belli, ſed fraude imperatoris: apud quem plus prior offenſa valuiſſet, quam recentia beneficia. [6]Viciſſe autem eum priore bello ideo tantum, vt oſtenderet hoſtibus, quem ducem ſpreuiſſent, et vt carius eis ipſam victoriam venderet. [7]Omnia enim credibilia in Alcibiade vigor ingenii et morum luxuria faciebat. [8]Veritus itaque multitudinis impetum, denuo in voluntarium exilium proficiſcitur.

VI

[1]Itaque Canon Alcibiadi ſuffectus, habens ante oculos, cui duci ſucceſſiſſet, claſſem maxima induſtria exornat: [2]ſed nauibus exercitus deerat, fortiſſimis quibusque in Aſiae populatione amiſſis. [3]Armantur tamen ſenes, aut impuberes pueri, et numerus militum ſine exercitus robore expletur. [4]Sed non magnam bello moram aetas fecit imbellis: caeduntur paſſim, aut fugientes capiuntur: tantaque ſtrages, aut occiſorum, aut captiuorum fuit, vt Athenienſium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur. [5]Quo praelio perditis et deſperatis rebus, ad tantam inopiam rediguntur, vt conſumta militari aetate, peregrinis ciuitatem, ſeruis libertatem, damnatis impunitatem, darent. [6]Ex qua colluuione hominum conſcripto exercitu, domini antea Graeciae, vix libertatem tuebantur. [7]Iterum tamen fortunam maris experiendam decernunt. [8]Tanta virtus animorum erat, vt, cum paullo ante ſalutem deſperauerint; nunc non deſperent victoriam. [9]Sed neque is miles erat, qui nomen Athenienſium tueretur; neque eae vires, quibus vincere conſuerant; neque ea ſcientia militaris in his, quos vincula, non caſtra, continuerant. Itaque omnes aut capti, aut occiſi. [10]Cum dux Conon eo praelio ſuperfuiſſet ſolus, crudelitatem ciuium metuens, cum octo nauibus ad regem Cyprium concedit Euagoram.

VII [1]At

VII

[1]At dux Lacedaemoniorum, rebus feliciter gestis, fortunae hostium insultat; [2]captiuas naues cum praeda bellica in triumphi modum ornatas mittit Lacedaemona; [3]ac tributarias Athenienſium ciuitates, quas metus dubiae belli fortunae in fide tenuerat, voluntarias recepit: nec aliud ditionis Athenienſium praeter vrbem ipſam reliquit. [4]Quae cuncta cum Athenis nuntiata eſſent, omnes, relictis domibus, per vrbem diſcurrere pauidi: alius alium ſciſcitari; auctorem nuntii requirere: [5]non pueros imprudentia; non ſenes debilitas; non mulieres ſexus imbecillitas domi tenet: adeo ad omnem aetatem tanti mali ſenſus penetrauerat. [6]In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam queſtibus iterant. [7]Alii fratres, aut filios, aut parentes, deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, et cum priuatis caſibus querelam publicam miſcent: [8]*Iam ſe ipſos, iam ipſam patriam perituram, miſeriorem que incolumium, quam amiſſorum, fortunam iudicantes;* [9]*ſibi quisque ante oculos obſidionem, famem, et ſuperbum victoremque hoſtem proponentes;* [10]*iam ruinam vrbis et incendia, iam omnium captiuitatem et miſerrimam ſeruitutem recordantes;* [11]*feliciores prorſus priores vrbis ruinas ducentes, quae, incolumibus filiis parentibusque, tectorum tantum ruina taxatae ſint.* [12]*Nunc autem non claſſem, in quam, ſicuti pridem, confugiant, ſupereſſe; non exercitum, cuius virtute ſeruati pulcriora poſſent moenia extruere.*

VIII

[1]Sic defletae ac prope perditae vrbi hoſtes ſuperueniunt, et obſidione circumdatos fame vrgent. [2]Sciebant enim, neque ex aduectis copiis multum ſuper-

1 *obſidione circumdata, obſeſſos fame vrgent*] Iuntae: *obſidione circumdatos fame vrgent.* Sic ſcripſit Iuſtinus. *obſeſſus* eſt interpretatio *τῶ obſidione circumdatos*, quae poſtea ipſis Iuſtini verbis fuit immiſta. Mox *Pyraeeum* Iuntae et hic et vbique recte ſcribunt. *Graeuius.*

supereſſe, et, ne nouae aduehi poſſent, prouiderant. [3] Quibus malis Athenienſes fracti, poſt longam famem, et aſſidua ſuorum funera, pacem petiuere: quae an dari deberet, diu inter Spartanos, ſociosque deliberatum. [4] Cum multi delendum Athenienſium nomen, vrbemque incendio conſumendam, cenſerent; negarunt ſe Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos; [5] pacem polliciti, ſi demiſſa Pyraeum verſus muri brachia deiicerent, nauesque, quae reliquae forent, traderent; reſque publica ex ſemet ipſis XXX rectores acciperet. [6] In has leges, traditam ſibi vrbem Lacedaemonii formandam Lyſandro tradiderunt. [7] Inſignis hic annus et expugnatione Athenarum, et morte Darii regis Perſarum, et exilio Dionyſii Siciliae tyranni, fuit. [8] Mutato ſtatu Athenarum etiam ciuium conditio mutatur. [9] Triginta rectores reipublicae conſtituuntur, qui fiunt tyranni: [10] quippe a principio tria millia ſibi ſatellitum ſtatuunt; quantum ex tot cladibus prope nec ciuium ſuperfuerat: [11] et, quaſi paruus hic ad continendam ciuitatem exercitus eſſet, ſeptingentos milites a victoribus accipiunt. [12] Caedes deinde ciuium ab Alcibiade auſpicantur, ne iterum rempublicam ſub obtentu liberationis inuaderet. [13] Quem cum profectum ad Artaxerxem, Perſarum regem, comperiſſent, citato itinere miſerunt, qui eum interciperent: [14] a quibus occupatus, cum occidi aperte non poſſet, viuus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus eſt.

VIIII

[1] Liberati hoc vltoris metu tyranni miſeras vrbis reliquias caedibus et rapinis exhauriunt. [2] Quod cum

5 *muri brachia*] Haec erant V M. paſſuum. Plin. IIII Nat. Hiſt. 7. *Brachium* autem in aedificiis notat omne id, quod extra ordinariam aedificii lineam et rectum ordinem excurrit. Stat. V Theb. 297 - - *Gemini qua brachia muri littus eunt.* Liu. IIII, 9 *Conſul muro Ardeae brachium iniunxerat.* et XXI, 52 *Brachia flumini obiecto eos excludit.* Frontin. III Strat. 17. 4 *Brachiis a latere ductis.* Strabo XIIII p. 654 vocat σκέλη. *Gronouius.*

cum displicere vni ex numero suo Therameni didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. [3]Fit igitur ex vrbe passim omnium fuga, repleturque Graecia Athenienſium exulibus; [4]quod etiam ipsum auxilium cum miseris eriperetur; nam Lacedaemoniorum edicto ciuitates exules recipere prohibebantur; omnes se Argos et Thebas contulere. [5]Ibi non solum tutum exilium egerunt, verum etiam spem recuperandae patriae receperunt. [6]Erat inter exules Thrasybulus, vir strenuus, et domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria et pro salute communi, etiam cum periculo, ratus, adunatis exulibus, castellum Phylen Atticorum finium occupat: [7]nec deerat quarundam ciuitatum, tam crudeles casus miserantium, fauor. [8]Itaque Ismenias, Thebanorum princeps, etsi publicis non poterat, priuatis tamen viribus adiuuabat: [9]et Lysias Syracusanus orator, exul tunc, quingentos milites stipendio suo instructos in auxilium patriae communis eloquentiae misit. [10]Fit itaque asperum praelium. Sed, cum hinc pro patria summis viribus, inde pro aliena dominatione securius pugnaretur, tyranni vincuntur: [11]victi in vrbem refugerunt, quam exhaustam caedibus suis etiam armis spoliant. [12]Deinde, cum omnes Athenienses proditionis suspectos haberent, demigrare eos ex vrbe iubent, et in brachiis muri, quae diruta fuerant, habitare, extraneis militibus imperium tuentes. [13]Post haec Thrasybulum corrumpere, imperii societatem pollicentes, conantur. [14]Quod cum non contigisset, auxilia a Lacedaemoniis petiuere: quibus accitis, iterato praeliantur. [15]In eo bello Critias et Hippolochus, omnium tyrannorum saeuissimi, cadunt.

4 *quod etiam ipsum auxilium cum miseris eriperetur*] MSS. nonnulli cum luntis: *Quod cum etiam ipsum auxilium vnicum miseris eriperetur*. Graeuius.

11 *exhaustam caedibus suis* etc.] Haec sequenti modo videntur distinguenda: *exhaustam caedibus, suis etiam armis spoliant*. Gronouius.

X

[1]Caeteris victis, cum exercitus eorum, ex quibus maior pars Athenienſium erat, fugeret, magna voce Thraſybulus exclamat: *Cur ſe victorem fugiant potius, quam vt vindicem communis libertatis adiuvent?* [2]*Ciuium illam meminerint aciem, non hoſtium eſſe; nec ſe ideo arma cepiſſe, vt aliqua victis adimat, ſed vt ademta reſtituat: XXX ſe dominis, non ciuitati, bellum inferre.* [3]Admonet deinde cognationis, legum, ſacrorum communium; tum vetuſti per tot bella commilitii: *orat, miſereantur exulum ciuium, ſi tam patienter ipſi ſeruiant: reddant ſibi patriam, accipiant libertatem.* [4]His vocibus tantum promotum eſt, vt reuerſus in vrbem exercitus XXX tyrannos emigrare Eleuſina iuberet, ſubſtitutis decem, qui remp. regerent: [5]qui, nihil exemplo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggreſſi ſunt. [6]Dum haec aguntur, nuntiatur Lacedaemone, in bellum Athenienſes exarſiſſe; ad quod comprimendum Pauſanias rex mittitur: [7]qui miſericordia exulis populi permotus, patriam miſeris ciuibus reſtituit, et decem tyrannos ex vrbe Eleuſina migrare ad caeteros iubet. [8]Quibus rebus cum pax ſtatuta eſſet, interiectis diebus, repente tyranni non minus reſtitutos exules, quam ſe in exilium actos indignantes, quaſi vero aliorum libertas, ſua ſeruitus eſſet, bellum Athenienſibus inferunt: [9]ſed ad colloquium, veluti dominationem recepturi, progreſſi, per inſidias comprehenſi, vt pacis victimae trucidantur: populus, quem emigrare iuſſerant, in vrbem reuocatur. [10]Atque ita per multa membra ciuitas diſſipata, in vnum tandem corpus redigitur; [11]et, ne qua diſſenſio ex ante actis naſceretur, omnes iureiurando obſtringuntur, diſcordiarum obliuionem fore. [12]Interea

1 *maior pars Athenienſium*] Lucan. X, 430 - - *Pars maxima turbae Plebis erat Latiae.* Liu. XXIII, 35 *Ea maxima pars volonum erat.* Idem XXIIII, 16 *Et ea maior pars equitum* etc. et XXVII, 9 *Et erant maior pars Latini nominis ſociorumque.* Gronouius.

6 *in bellum Athenienſes exarſiſſe*] Longe politius Britanni ex vetere codice: *bellum Athenis exarſiſſe.* quod maxime probo. Graeuius.

ea Thebani, Corinthiique legatos ad Lacedaemonios mittunt, qui ex manubiis portionem praedae communis belli periculique peterent. [13] Quibus negatis, non quidem aperte bellum aduersus Lacedaemonios decernunt; sed tacitis animis tantam iram concipiunt, vt subesse bellum intelligi posset.

XI

[1] Eodem fere tempore Darius, rex Persarum, moritur, Artaxerxe et Cyro filiis relictis. [2] Regnum Artaxerxi, Cyro ciuitates, quarum praefectus erat, testamento legauit. [3] Sed Cyro iudicium patris iniuria videbatur. Itaque occulte aduersus fratrem bellum parabat. [4] Quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem, et innocentiam dissimulatione belli simulantem compedibus aureis vinxit; interfeciſſetque, ni mater prohibuisset. [5] Dimissus igitur Cyrus, iam non occulte bellum, sed palam; nec per dissimulationem, sed aperta professione parare coepit; auxilia vndique contrahit. [6] Lacedaemonii memores, Athenienſi bello enixe se eius opera adiutos, velut ignorantes, contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittenda, vbi res eius exegisset: [7] quaerentes apud Cyrum gratiam; et apud Artaxerxem, si vicisset, veniae patrocinia, cum nihil aduersus eum aperte decreuissent. [8] Sed cum in bello fors praelii vtrumque fratrem

3 *iudicium*] Adde Cic. XIII Epist. 46 *Hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset.* Idem pro Domo 19 *Denique etiam ille nouicius Ligur, cum M. Papirii, sui fratris, esset testamento et iudicio improbatus, mortem eius se velle persequi dixit.* Et *suprema iudicia* Plin. VII Ep. 20 et 31. *Gronouius.*

6 *enixe se eius opera*] Forte *enixa.* Plin. VIIII Nat. Hist. 8 *Enixioris operae conscii sibi.* Gronouius.

8 *cum in bello fors praelii vtrumque fratrem pugnae obtulisset*] Iuntina cum nonnullis aliis: *fors praelii*, quod perperam probat Vorstius. *Fors praelii* est fortuna praelii. Sensus est, cum forte in praelio frater in fratrem incidisset. Liu. XXXI, 4 *Castra quo fors tulisset loco, sine vllo discrimine aut cura muniendi posita.* Curt. IIII, 15 *Plura simul abrupta a caeteris agmina, vbicunque alium alii fors misscuerat, dimicabant. Sorti* hic nullus locus est. *Graeuius.*

pugnae obtuliſſet, prior Artaxerxes a fratre vulneratur; [9] quem cum equi fuga periculo ſubtraxiſſet, Cyrus a cohorte regia oppreſſus interficitur. Sic victor Artaxerxes et praeda fraterni belli, et exercitu potitur. [10] In eo praelio decem millia Graecorum in auxilio Cyri fuere: quae et in cornu, in quo ſteterant, vicerunt; et poſt mortem Cyri, neque armis a tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt; [11] reuertentesque inter tot indomitas nationes et barbaras gentes, per tanta itineris ſpatia, virtute ſe vſque terminos patriae defenderunt.

9 *a cohorte regia*] *Cohors* hoc loco non milites notat, ſed comites regique proximos, qui regem comitabantur. Liu. XXVIII, 5 *Ibi exercitu omni relicto, cum cohorte regia Demetriadem ſe recepit.* Idem XXXX, 6 *Proxima eſt regia cohors cuſtodeſque corporis.* Proprie enim *cohors* notabat provincialium magiſtratuum domeſticos, comiteſque honoratiores. vnde Horat. I Sat. 7 *Laudat Brutum, laudatque cohortes.* et Iuuenal. VII, 127 *Sit tibi ſancta cohors comitum.* Gronouius.

LIBER VI
BREVIARIVM CAPITVM

I *Lacedaemonii Asiae imperium affectantes bellum mouent. Rex Persarum Athenienſibus per Cononem auxilium concedit.*
II *Lacedaemonii ducem exercitus Ageſilaum praeficiunt. Cononis prudenter et fortiter geſta.*
III *Piſandri et Cononis pugna: in qua Lacedaemonii victi.*
IIII *Inclinatio fortunae Lacedaemoniorum, quam Ageſilai fortitudo ſuſtentat.*
V *Athenienſes Iphicratem et Cononem Lacedaemoniis opponunt. Athenae ex Lacedaemoniorum ſpoliis inſtauruntur.*
VI *Graeciae pax a rege Persarum indicta, quam Lacedaemonii magno ſuo malo turbant.*
VII *Thebani Lacedaemonios laceſſunt; vnde dubia Martis alea, et pugna ad Mantineam.*
VIII *Epaminondae fortiſſimi Thebanorum ducis interitus et elogium.*
VIIII *Totius Graeciae labes poſt Epaminondae exceſſum.*

I

[1]Lacedaemonii, more ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientes, non contenti acceſſione Athenienſium opum vires ſibi duplicatas, totius Aſiae imperium affectare coeperunt; ſed maior pars ſub regno Perſarum erat. [2]Itaque Hercyllides dux in hanc militiam electus, cum videret ſibi aduerſus duos praefectos Artaxerxis regis, Pharnabazum et Tiſſafernem, maximarum gentium viribus ſuccinctos, dimicandum, pacificari cum altero ſtatuit.

[3]Aptior

1 *quo plura habent* etc.] Hanc ſententiam planam eſſe non ignorabam. Sed hoc non planum eſt, quam belle dicatur, *Lacedaemonii eo ampliora cupientes, non contenti.* Iſta duo participia ſic iungi ſine interpoſita copula non recte poſſe, qui Latine doctus eſt, et animum aduertet, facile videbit. Sed ſi illa verba coniungas, *more ingenii humani, quo plura habet, eo ampliora cupientis*, omnia liquida erunt et ſana. Lacedaemonii non contenti acceſſione Athenienſium vires ſibi duplicatas, totius Aſiae imperium affectare coeperunt, *more ingenii humani, quo plura habentis, eo ampliora cupientis.* Sic enim legendum nunc cenſeo. Nec offendi debemus hac locutione, quod *ingenium* humanum dicatur habere multa: ſenſum enim reſpexit, vt millies et hic noſter, et alii, ac ſi ſcripſiſſet, more hominum, quo plura habentium, eo ampliora cupientium. *Graeuius.*

[3]Aptior visus Tissafernes, vir et industria potior, et militibus Cyri quondam regis instructior, in colloquium vocatur, et, statutis conditionibus, ab armis dimittitur. [4]Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur, *vt Lacedaemonios Asiam ingressos non repulerit armis, sed impensis regiis aluerit;* [5]*merceturque ab his, quae differant bella, quae gerant, tanquam non ad vnius summam imperii detrimentum omne perueniat.* [6]*Indignum*, ait, *bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non armis summoueri.* [7]His vocibus regem Tissaferni alienatum hortatur, vt in locum eius naualis belli ducem eligat Conona Athenienſem, qui, amissa bello patria, Cypri exulabat: [8]*quippe Athenienſibus, etsi fractae sint opes,*

3 *Cyri quondam regis*] Sed tamen Rex non fuit, verum regiam dignitatem affectauit. Puto igitur, verba *quondam regis* esse gloſſam, quae a mala interpolatrice manu irrepſerunt hominis, cuius menti obuerſabatur Cyrus ille magnus, non hic minor. *Graeuius.*

5 *merceturque ab his vt differant bella, quam gerant*] MS. et Iuntae: *quae gerant.* lege cum Gronouio: *Merceturque ab his, quae differant bella, quae gerant.* Recte vidiſſe τὰν πάνυ, MS. Anglicanus oſtendit, ex quo receperunt hanc lectionem Oxonienſes. mox optime ex eodem MS. iidem: *a Tiſſaferne alienatum.* Graeuius.

tanquam non ad vnius summam imperii detrimentum omne perueniat] Non video, cur haec cuiquam debeant eſſe ſuſpecta, ſenſus et verba ſunt elegantiſſima. quaſi non clades et damnum, quod hic vel ille praefectus regius faciat, pertineat ad ſalutem vnius imperii. Auguſtus in epiſtola ad Tiberium apud Suetonium in Tib. 21 *Te rogo vt parcas tibi, ne, ſi te languere audierimus, et ego et mater tua exſpiremus, et de ſumma imperii ſui populus Romanus periclitetur. Summa reipublicae* eſt res, quae ſpectat totam rempublicam, eiuſque ſalutem aut dignitatem, pro quo et ſaepe dicitur *ſumma reſpublica.* Liu. XXIIII, 10 *Cuius imperio conſilioque ſummam rempublicam tuendam commiſerunt.* Cic. V ad Att. *Rogatus ego ſententiam multa dixi de ſumma republica.* de hoc loquendi genere plura notaui ad ipſum Tullium. *Graeuius.*

7 *amiſſa bella patria*] Eſt, quia patriam propter praelium infeliciter geſtum amiſerat. Nam poſt cladem illam Conon ſibi ipſe voluntarium indixerat exilium. vide ſinem capitis ſexti libri ſuperiotis. *Graeuius.*

8 *naualem vſum*] Hinc etiam Polyaen. V Strat. p. 392 deſcribit Lacedaemonios τὰς Ἀττικὰς ἐμπειρίας ἐδιδύτας. *Gronouius.*

opes, manere tamen naualem vſum; nec, ſi eligendus ſit ex vniuerſis, meliorem alium eſſe. 9 Acceptis igitur quingentis talentis, iuſſus eſt Conona claſſi praeficere.

II

1 His cognitis, Lacedaemonii et ipſi a rege Aegypti Hercynione auxilia naualis belli per legatos petunt; 2 a quo centum triremes, et ſexcenta millia modiorum frumenti miſſa; a caeteris quoque ſociis ingentia auxilia contracta ſunt. 3 Sed tanto exercitui, et contra tantum ducem, deerat dignus imperator. 4 Itaque poſtulantibus ſociis Ageſilaum ducem, regem tunc Lacedaemoniorum, propter reſponſum oraculi Delphici, diu Lacedaemonii, an eum ſummae rei praeponerent, deliberauerunt: 5 quibus futurus imperii finis denuntiabatur, cum regium claudicaſſet imperium; erat enim pede claudus. 6 Ad poſtremum ſtatuerunt, melius eſſe inceſſu regem, quam imperio regnum claudicare. 7 Poſteaquam Ageſilaum cum ingentibus copiis in Aſiam miſere, non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene comparatum fuerit: 8 quippe aetas, virtus, conſilium, ſapientia vtrique prope vna, gloria quoque rerum geſtarum eadem: 9 quibus cum paria omnia fortuna dederit; inuictum tamen ab altero vtrumque ſeruauit. 10 Magnus igitur amborum apparatus belli, magnae res geſtae fuerunt. 11 Sed Cononem ſeditio militum inuadit, quos praefecti regis fraudare ſtipendio ſoliti erant; eo inſtantius debita poſcentibus, quo grauiorem ſub magno duce militiam praeſumebant. 12 Itaque Conon, diu rege per epiſtolas fruſtra fatigato, ad poſtremum ipſe ad eum pergit: 13 a cuius aſpectu et colloquio prohibitus eſt, quod eum more Perſarum adorare nollet; 14 agit tamen cum eo per internuntios, et queritur, *opulentiſſimi regis bella inopia dilabi; et, qui exercitum parem hoſtibus habeat, pecunia vinci, qua praeſtet; inferioremque eum ea parte virium inueniri, qua longe ſuperior ſit.* 15 Poſtulat, dari ſibi miniſtrum impenſae, quia

pluribus id mandare pernicioſum ſit. [16]Dato ſtipendio, ad claſſem remittitur: nec moram agendis rebus facit; multa fortiter, multa feliciter agit: agros hoſtiles vaſtat: vrbes expugnat: et, quaſi tempeſtas quaedam, cuncta proſternit. [17]Quibus rebus territi Lacedaemonii ad patriae ſubſidium reuocandum ab Aſia Ageſilaum decernunt.

III

[1]Interim Piſandrus, ab Ageſilao proficiſcente dux patriae relictus, ingentem claſſem ſummis viribus inſtruit, fortunam belli tentaturus. [2]Nec non et Conon tunc primum cum hoſtium exercitu concurſurus magna cura ordinat ſuos. [3]Summa igitur non tam ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit. [4]Nam et ipſe dux Conon non tam Perſis, quam patriae ſtudebat; [5]et, ſicut afflictis Athenienſium rebus, auctor amiſſae dominationis fuerat, ſic volebat idem haberi redditae, patriamque vincendo recipere, quam victus amiſerat: [6]eo ſpecioſius, quod ne ipſorum quidem Athenienſium, ſed alieni imperii viribus dimicet, pugnaturus periculo regis, victurus praemio patriae; gloriamque diuerſis artibus, quam priores ciuitatis ſuae duces, conſecuturus: [7]quippe illos vincendo Perſas patriam defendiſſe; ſe Perſas victores faciendo reſtituturum patriam eſſe. [8]Porro Piſandrus pro coniunctione Ageſilai, etiam virtutum aemulator erat; contendebatque, ne a rebus geſtis eius et gloriae ſplendore decederet; neue tot bellis ac ſaeculis quaeſitum imperium breuis momenti culpa ſubuerteret. [9]Eadem militum et omnium

3 *non tam ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit*] Iuntae quoque, vt omnes MSS. *Non ducum in eo praelio, quam militum aemulatio, fuit.* Pro *quam* mallem cum Berneccero referibere *ſed et*, ſi MSS. eo inclinarent. *Graeuius.*

6 *ſed alieni imperii viribus dimicet*] Iuntae: *alienis viribus dimicet.* Graeuius.

8 *ne a rebus geſtis eius* etc.] Videtur auctor ſcripſiſſe, *ne rebus geſtis eius et gloriae ſplendori decederet.* vt Herat. II Serm. 4. 53 *Et decedet odor nervis inimicas.* Gronouius.

9 *eadem militum et omnium regum*

mnium regum cura erat; quos maior sollicitudo cruciabat, non tam, ne ipsi quaesitas opes amitterent, quam, ne pristinas Athenienses reciperent. [10] Sed quanto maius praelium fuit, tanto et clarior victoria Cononis. [11] Victi Lacedaemonii fugam capessunt; praesidia hostium Athenis deducuntur; populo restituta dignitate conditio seruilis eripitur; multae quoque ciuitates recipiuntur.

IIII

[1] Hoc initium Athenienſibus reſumendae potentiae et Lacedaemoniis habendae finis fuit. [2] Namque, velut cum imperio etiam virtutem perdidiſſent, contemni a finitimis coepere. [3] Primi igitur Thebani, auxiliantibus Athenienſibus, bellum his intulere: [4] quae ciuitas ex infimis incrementis, virtute Epaminondae ducis, ad ſpem imperii Graeciae erecta eſt. [5] Fit itaque terreſtre praelium, eadem Lacedaemoniorum fortuna, qua pugnatam aduerſus Cononem navali praelio fuerat. [6] In eo bello Lyſander, quo duce Athenienſes victi a Lacedaemoniis fuerant, interficitur. [7] Pauſanias quoque, alter dux Lacedaemoniorum, proditionis accuſatus in exilium abiit. [8] Igitur Thebani, potiti victoriam, vniuerſum exercitum ad vrbem Lacedaemoniorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deſerti a ſociis omnibus erant: quod metuentes Lacedaemonii regem ſuum Ageſilaum ex Aſia, qui ibi magnas res gerebat, ad defenſionem patriae arceſſunt. [10] Occiſo enim Lyſandro, nullius alterius fiduciam ducis habebant. [11] Cuius quoniam ſerus aduentus erat, conſcripto exercitu, obuiam hoſti procedunt. [12] Sed victis aduerſus paullo ante victores nec animus neque vires pares

regum cura] Iuntae: *eadem militum et omnium ciuium cura*. Probo Sebiſii emendationem certiſſimam: *eadem militum et omnium remigum cura*. Graeuius.

11 *eripitur*] Ouid. XV Met. 284 - - *Niſi vatibus omnis Eripienda fides*. et Cic. VIII ad Att. Ep. 8 *Eripe mihi hunc dolorem*. Id. X, 4 *Me libente, eripies mihi hunc errorem*. Gronouius.

res fuere. [13]Prima igitur congressione funduntur. Deletis iam suorum copiis, superuenit rex Agesilaus, qui restituto praelio, non difficulter, recenti et multis expeditionibus indurato milite, hostibus victoriam eripuit; ipse tamen grauiter sauciatur.

V

[1]Quibus rebus cognitis, Athenienses verentes, ne, iterum Lacedaemoniis victoribus, in pristinam sortem seruitutis redigerentur, exercitum contrahunt, [2]eumque in auxilium Boeotiorum per Iphicratem, viginti quidem annos natum, sed magnae indolis iuuenem, duci iubent. [3]Huius adolescentis supra aetatem virtus admirabilis fuit; [4]nec vnquam ante eum Athenienses, inter tot tantosque duces, aut spei maioris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt; [5]in quo non imperatoriae tantum, verum et oratoriae artes fuere. [6]Conon quoque, audito reditu Agesilai, et ipse ex Asia ad depopulandos Lacedaemoniorum agros reuertitur; [7]atque ita, vndique belli formidine circumstrepente, clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur. [8]Sed Conon, vastatis hostium terris, Athenas pergit; vbi magno ciuium gaudio exceptus, plus tamen tristitiae ipse ex incensa et diruta a Lacedaemoniis patria, quam laetitiae ex recuperata post tantum temporis, cepit. [9]Itaque, quae incensa fuerant, praedarum sumtu et exercitu Persarum restituit; quae diruta, reficit.

13 *indurato*] Senec. de Prou. 4 *Deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet.* Infra VIIII, 3 *Assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur.* Diodor. Sic. Συνήθης τῇ κακοπαθείᾳ. *Gronouius.*

9 *praedarum sumtu*] Nullam huic loco controuersiam moueo renuentibus libris omnibus antiquis. *Sumtus praedarum* est, qui contrahitur ex vendita praeda. Latine proprie *manubias* dici contendit Fauorinus apud Gellium. Sed manubias fuisse pecuniam ex vendita praeda imperatori victori a senatu in praemium virtutis donatam, quam tamen plerique, impendebant in opera publica, Asconio Paediano potius credo, idque alibi docebo pluribus. *Praedarum sumtu et exercitu Persarum* statim his verbis exponit, *Persarum manubias et spoliis Lacedaemoniorum.* Graeuius.

reficit. [10] Fatum illud Athenarum fuit, vt ante a Perſis crematae, manibus eorum; et nunc a Lacedaemoniis dirutae, ex ſpoliis Lacedaemoniorum, reſtituerentur; [11] verſa quoque vice, nunc haberent ſocios, quos tunc hoſtes habuerant; et hoſtes nunc paterentur, cum quibus iuncti tunc arctiſſimis ſocietatis vinculis fuerant.

VI

[1] Dum haec geruntur, Artaxerxes, rex Perſarum, legatos in Graeciam mittit, per quos iubet, *omnes ab armis diſcedere; qui aliter feciſſet, eum ſe pro hoſte habiturum:* [2] ciuitatibus libertatem ſuaque omnia reſtituit. Quod non Graeciae laboribus, aſſiduisque bellorum interneciuis odiis conſulens fecit; [3] ſed, ne occupato ſibi Aegyptio bello, quod propter auxilia, aduerſus praefectos ſuos Lacedaemoniis miſſa, ſuſceperat, exercitus ſui in Graecia detinerentur. [4] Feſſi igitur tot bellis Graeci cupide paruere. [5] Hic annus non eo tantum inſignis fuit, quod repente pax tota Graecia facta eſt; ſed etiam eo, quod eodem tempore vrbs Romana a Gallis capta eſt. [6] Sed Lacedaemonii ſecuris inſidiantes, abſentiam Arcadum ſpeculati, caſtellum eorum expugnant, occupatoque praeſidium imponunt. [7] Itaque, armato inſtructoque exercitu, Arcades, adhibitis in auxilium Thebanis, amiſſa bello repetunt. [8] In eo praelio Archidamus, dux Lacedaemoniorum, vulneratur; [9] qui,

10 *ex ſpoliis*] Simile oraculum apud Eſaiam XXXXVIII. 17 Καὶ ταχὺ διακοσμηθήσῃ, ὑφ' ὧν καθῃρέθης. *Gronouius.*

3 *exercitus ſui in Graecia detinerentur*] Iuntae: *diſtinerentur*. quod praeferendum vulgato eſſe nemo non videt paulo humanior. Tacit. XIIII, 25 *Quae facilius prouenirent, quia Parthi Hyrcano bello diſtinebantur.* Et IIII Hiſt. 56 *Omnes exercitus ſuis quemque bellis diſtineri.* Graeuius.

6 *Lacedaemonii ſecuris inſidiantes*] Securi, quibus inſidiabantur Lacedaemonii, non ſoli erant Arcades, ſed omnes finitimi populi, qui ſibi non metuentes ſecuri erant. Primos autem inuaſerunt Arcades, tum abſentes. Et hoc eſt, quod inſidiati ſint ſecuris, et abſentes inuaſerint. *Graeuius.*

9 qui, cum caedi suos iam, vt victos, videret, per praeconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. 10 Hoc est enim signum apud Graecos victoriae traditae. Qua confessione contenti Thebani signum parcendi dedere.

VII

1 Paucis deinde post diebus, neutris quidquam hostile facientibus, cum, quasi tacito consensu, induciae essent, Lacedaemoniis alia bella aduersus finitimos gerentibus, Thebani, Epaminonda duce, occupandae vrbis eorum spem ceperunt. 2 Igitur principio noctis taciti Lacedaemona proficiscuntur; non tamen aggredi incautos potuerunt. 3 Quippe senes et cetera imbellis aetas, cum aduentum hostium praesensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; 4 et aduersus quindecim millia militum, non amplius centum iam effetae aetatis viri pugnae se offerunt. 5 Tantum animorum viriumque patriae et penatium conspectus subministrat; tantoque praesentia, quam recordatione sui, maiores spiritus largiuntur. 6 Nam, vt videre, inter quae et pro quibus starent, aut vincendum sibi, aut moriendum, censuerunt. 7 Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem vniuersa iuuentus esse non potuit. 8 In eo praelio duo duces

9 *cum caedi suos iam vt victos videret*] Potest defendi vulgata lectio, cuius est sententia, cum caedi suos pro victis videret, siue tanquam iam plane victos. Caeduntur in praeliis multi etiam, si acrius pugnatur, in victorum exercitu. Verum qui caeduntur vt victi, seu, vt Caesar loquitur, pro victis, non pugnantes caeduntur, sed aut terga dantes, aut ordinibus perruptis iam incompositi, vt aduersarios victores esse plane appareat. Verior est lectio librorum Anglicanorum, *cum caedi suos iam et victos videret*, quibus suffragatur editio Iuntina. *Graevius.*

7 *ante diem*] MS. Bongarf. *ante dies*. quod malo. nam sic Iulius Capitolin. in Pertin. 15 *Stellae etiam iuxta solem per diem visae sunt clarissimae ante dies, quam obiret*. et Iulianus ICtus in L. 17 de Manum. Testam. § 1 *Post annos liber esse iussus*. Noster infra XX, 5 *Ante menses*. et XXXVI, 1 *Interiectis mensibus*. et XXXIIII, 4 *Post dies*. Vt et 1 Reg. XVII, 74 Ἐγένετο μετ' ἡμέρας. et D. Lucas in Euang. XXI, 11 κατὰ τόπους. *Gronouius.*

duces hostium cecidere. [9] Cum interim, Agesilai adventu nuntiato, Thebani recessere. [10] Nec bellum diu dilatum: siquidem Spartanorum iuuentus senum virtute et gloria incensa teneri non potuit, quin ex continenti acie decerneret. [11] Cum victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur, grauiter vulneratur. [12] Quo audito, his ex dolore metus, et illis ex gaudio stupor, iniicitur; atque ita, veluti ex placito consensu, a praelio discedituր.

VIII

[1] Post paucos deinde dies Epaminondas decedit; cum quo vires quoque reip. ceciderunt. [2] Nam, sicuti, telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: sic illo, velut mucrone teli, ablato duce Thebanorum, rei quoque publicae vires hebetatae sunt: vt non tam illum amississe, quam cum illo interiisse omnes viderentur. [3] Nam neque hunc ante ducem vllum memorabile bellum gessere; nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: vt manifestum sit, patriae gloriam et natam et extinctam cum eo fuisse. [4] Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset. [5] Nam et imperium non sibi semper,

[2] *velut mucrone teli*] Idem translationis genus Tullio placuit. vt pro Caecina 29 *Hic est mucro defensionis tuae.* et pro Cluentio 44 *Ne censorium stilum, cuius mucronem multis remediis maiores nostri retuderunt, aeque postbac, atque illum dictatorium stilum, pertimescamus.* Gronouius. Distingue: *Sic illo, veluti mucrone teli, ablato duce, Thebanorum rei quoque publicae vires hebetatae sunt.* Graeuius.

[5] *nam et imperium non sibi semper, sed patriae quaesiuit*] Locum hunc esse contaminatum recte monuit acutissimus vir, Tanaquillus Faber, et ante illum Sebisius, qui pulchre vidit *semper* esse traiectum, coniecitque legendum esse: *Nam et imperium semper non sibi*, (non vt amicus noster scribebat *sibi non semper.* haec enim longe alius sunt sententiae) *sed patriae quaesiuit.* Quorum verborum eadem mens est, quae emendationis viri docti, qui contra librorum fidem intrusit *vnquam.* Sed vera huius loci lectio est in luntina, in qua venuste: *Nam et imperium non sibi, sed patriae semper quaesiuit.* vides voculam hanc excidisse

semper, sed patriae quaesiuit; [6] et pecuniae adeo parcus fuit, vt sumtus funeri defuerit. [7] Gloriae quoque non cupidior, quam pecuniae: quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt: [8] honoresque ita gessit, vt ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. [9] Iam litterarum studium, iam philosophiae doctrina tanta, vt mirabile videretur, vnde tam insignis militiae homini inter litteras nato. [10] Neque ab hoc vitae proposito mortis ratio dissensit. [11] Nam, vt, relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id vnum a circumstantibus requisiuit, *num cadenti sibi scutum ademisset hostis?* [12] Quod vt seruatum audiuit, allatumque, velut laborum gloriaeque socium, osculatus est. Iterum quaesiuit: *vtri vicissent?* [13] Vt audiuit Thebanos, *Bene habere se rem*, dixit: atque ita, velut gratulabundus patriae, exspirauit.

VIIII

[1] Huius morte etiam Athenienſium virtus intercidit. [2] Siquidem, amisso, cui aemulari consueuerant, in segnitiam torporemque resoluti, [3] non, vt olim, in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum reditus publicos effundunt; [4] et cum actoribus nobilissimis poëtisque theatra celebrant, frequentius scenam, quam castra, visentes; versificatoresque meliores, quam duces laudantes. [5] Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur, cum vrbano populo diuidi coeptum est. [6] Quibus rebus effectum est, vt inter otia Graecorum sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emergeret; [7] et Philippus, obses triennio Thebis habitus, Epaminondae et Pelopidae virtutibus eruditus, regnum Macedoniae Graeciae et Asiae ceruicibus, velut iugum seruitutis, imponeret.

LIBER

disse suo loco, quae nunc in illum reposita omnes nebulas discussit. Facile enim, qui Latine docti sunt, vident, hanc eius esse sedem genuinam. *Graeuius.*

4 *cum actoribus nobilissimis poëtisque*] Iuntae: *cum actoribus nobilissimisque poëtis.* Mox iidem cum aliis editionibus: *versificatores oratoresque meliores.* Graeuius.

LIBER VII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Macedoniae vetus nomen, populus, primi reges.*
II *Perdiccae regis familia illustris, et infantis Europi nobile fatum.*
III *Legati Persarum ad Amyntam petulantiae suae dant poenas.*
IIII *Pax Macedoniae Bubaris, reguli Persae, opera conciliatur. Tragoediae in familia Amyntae, Alexandri Macedonis aui.*
V *Philippi Macedonis varii casus: fratribus dolo materno vita sublatis a populo compulsus regnum suscipit.*
VI *Initia regni Philippici laude et obseruatione dignissima; bella, coniugium, vitia, et virtutes eiusdem.*

I

[1] Macedonia ante, nomine Emathionis regis, cuius prima virtutis experimenta in illis locis extant, Emathia cognominata est. [2] Huius, sicuti incrementa mediea, ita termini perangusti fuere. [3] Populus Pelasgi; regio Poeonia dicebatur. [4] Sed postea, virtute regum et gentis industria subactis primo finitimis, mox populis nationibusque, imperium vsque extremos Orientis terminos prolatum. [5] In regione Poeonia, quae nunc portio est Macedoniae, regnasse fertur Pelegonus, pater Asteropoei, cuius Troiano bello, inter clarissimos vindices vrbis, nomen accepimus. [6] Ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit. [7] Sed et Caranus cum magna multitudine Graecorum sedes in Macedonia, responso oraculi, iussus quaerere cum

5 *Pelegonus, pater Asteropaei*] Sic hunc locum pridem restituit P. Leopardus, vir doctissimus, Emendat. XVII, 10. Sed diu ante Leopardum Iuntae ediderunt *Pelegonus*, cum tamen Bongarsius omnes codices manu exaratos, et veteres editiones *Telegonus* habere testetur. Ex quo bonitas et praestantia editionis Iuntae facile potest aestimari. *Gracuius.*

cum in Emathiam veniſſet, vrbem Edeſſam, non ſentientibus oppidanis, proptet imbrium et nebulae magnitudinem, gregem caprarum imbrem fugientium ſecutus occupauit; [8] reuocatuſque in memoriam oraculi, quo iuſſus erat, *ducibus capris imperium quaerere*, regni ſedem ſtatuit; [9] religioſeque poſtea obſeruauit, quocunque agmen moueret, ante ſigna eaſdem capras habere, coeptorum duces habiturus, quas regni habuerat auctores. [10] Vrbem Edeſſam, ob memoriam muneris, Aegeas; populum Aegeadas vocauit. [11] Pulſo deinde Mida; nam is quoque portionem Macedoniae tenuit; aliisque regibus pulſis, in locum omnium ſolus ſucceſſit; [12] primuſque adunatis gentibus variorum populorum, veluti vnum corpus Macedoniae fecit; creſcentique regno valida iucrementorum fundamenta conſtituit.

II

[1] Poſt hunc Perdicca regnauit, cuius et vita illuſtris, et mortis poſtrema, veluti ex oraculo praecepta, memorabilia fuere: [2] ſiquidem ſenex moriens Argaeo filio monſtrauit locum, quo condi vellet, ibique non ſua tantum, ſed et ſuccedentium ſibi regum oſſa poni iuſſit; [3] praefatus, quoad ibi conditae poſterorum reliquiae forent, regnum in familia manſurum: [4] creduntque hac ſuperſtitione extinctum in Alexandro ſtirpem, qui locum ſepulturae

10 *Aedeſſam*] Et hic Iuntae rectius ſcribunt *Edeſſam*. Graecis enim Ἔδεσσα dicitur, non Αἴδεσσα, quod Iſaacus Voſſius ad Melae lib. II, 5 docuit, qui et ibi oſtendit bene in MSS. eſſe *Aegeades*. Αἰγεάδης enim dici dialecto Macedonica pro Αἰγεάτης. *Graevius.*

12 *adunatis gentibus variorum populorum*] Mela I, 16 *Vna gens, aliquot populi.* *Gens* enim notat ipſam regionem, *populus* vero frequentiorem vicum. vid. Not. ad Liu. V, 34. *Gronouius.*

2 *Argaeo*] Recte Iuſtino dicitur *Argaeus*. vnde in nummis exſtat ΑΡΓΕΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Vid. Ioſ. Scalig. ad Euſebium p. 122. *Gronouius.*

turae mutauerit. [5] Argaeus, moderate et cum amore popularium administrato regno, succeſſorem filium Philippum reliquit: qui immatura morte raptus Europum, paruulum admodum, inſtituit heredem. [6] Sed Macedonibus aſſidua certamina cum Thracibus et Illyriis fuere: quorum armis, veluti quotidiano exercitio, indurati gloria bellicae laudis finitimos terrebant. [7] Igitur Illyrii infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur: [8] qui praelio pulſi, rege ſuo in cunis prolato, et pone aciem poſito, acrius certamen repetiuere: [9] tanquam ideo victi fuiſſent antea, quod bellantibus ſibi regis ſui auſpicia defuiſſent; [10] futuri vel propterea victores, quod ex ſuperſtitione animum vincendi ceperant: [11] ſimul et miſeratio eos infantis tenebat, quem, ſi victi forent, captiuum de rege facturi videbantur. [12] Conſerto itaque praelio, magna caede Illyrios fudere; oſtenderuntque hoſtibus ſuis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuiſſe. [13] Huic Amyntas ſuccedit, et propria virtute et Alexandri filii egregia indole inſigniter clarus: [14] cui Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta extitere, vt etiam Olympio certamine, vario ludicrorum genere contenderit.

III

[1] Cum interim Darius, rex Perſarum, turpi ab Scythia fuga ſummotus, ne vbique deformis militiae damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabyzum ad ſubigendam Thraciam, caeteraque eius tractus regna: quibus pro ignobili momento erat acceſſura Macedonia. [2] Qui breui tempore exſecuto regis imperio, legatis ad Amyntam

G 2 regem

5 *Europum*] Iuntae: *Aeropum*, vt Herodotus et Diodorus, quibus dicitur Ἀέροπος. *Grauius.*

1 *Megabazum*] Iuntae: *Megabyzum* cum Herodoto. *Grauius.*

2 *in pignus*] Praepoſitio iſta videtur abundare, quam ipſe etiam auctor omiſit. XI, 15 In

regem Macedoniae missis, obsides in pignus futurae pacis dari sibi postulabat. 3 Sed legati benigne excepti inter epulas, ebrietate crescente, rogant Amyntam, *vt apparatui epularum adiiciat ius familiaritatis, adhibitis in conuiuium suis ac filii vxoribus: id apud Persas haberi pignus ac foedus hospitii.* 4 Quae vt venerunt, petulantius Persis eas contrectantibus, filius Amyntae Alexander rogat patrem, respectu aetatis ac grauitatis suae abiret conuiuio, pollicitus, se hospitum temperaturum iocos. 5 Quo digresso, mulieres quoque paullulum e conuiuio euocat, cultius exornaturus, gratioresque reducturus. 6 In quarum locum matronali habitu exornatos iuuenes supponit, eosque petulantiam legatorum ferro, quod sub veste gerebant, compescere iubet. 7 Atque ita interfectis omnibus, ignarus rei Megabyzus, cum legati non redirent, mittit eo cum exercitus parte Bubarem, vt in bellum facile et mediocre, dedignatus ipse ire, ne dehonestaretur praelio tam foedae gentis. 8 Sed Bubares ante bellum amore filiae Amyntae captus, omisso bello, nuptias facit, depositisque hostilibus animis, in affinitatis iura succedit.

IIII

1 Post discessum a Macedonia Bubaris Amyntas rex decedit; cuius filio et successori Alexandro cognatio

In quam rem vnicum pignus fidei regiae, dextram se ferendam Alexandro dare. et Liu. XXXVI, 40 *A quibus obsides abduxerit: pacis futurae pignus.* Idem XXXXIII, 10 *Vt nec ex iis, qui venerunt, quemquam retineret, nec obsides, pignus futuros, furto et fraude agendae rei, posceret.* Gronouius.

3 *adhibitis in conuiuium suis ac filii vxoribus*] Iuuenes: *adhibitis in conuiuium suis ac filii vxoribus ac filiabus.* Graeuius.

4 *temperaturum iocos*] Hinc apud Senecam de Vit. Beat. 14 *Temperatores voluptatis.* et Varron. *Modimperator conuiui.* et Plaut. Stych. V, 4. 2 *Omnibus modis temperare certum est nostrum bodie conuiuium.* et Martial. IIII Ep. 8 *Temperat ambrosias cum tua cura dapes.* Gronouius.

cognatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem praestitit: verum etiam Xerxem adeo conciliauit, vt, cum Graeciam, veluti tempestas quaedam, occupasset, inter Olympum Haemumque montes totius regionis eum imperio donauerit. [2] Sed nec virtute minus, quam Persarum liberalitate regnum ampliauit. [3] Per ordinem deinde successionis regnum Macedoniae ad Amyntam, fratris eius Menelai filium, peruenit. [4] Hic quoque insignis industria, et omnibus imperatoriis virtutibus instructus fuit; [5] qui ex Eurydice tres filios sustulit Alexandrum, Perdiccam et Philippum, Alexandri Magni Macedonis patrem: et filiam Euryonem; ex Gygaea autem Archelaum, Archideum, Menelaum. [6] Cum Illyriis deinde et cum Olynthiis grauia bella gessit. [7] Insidiis autem Eurydices vxoris, quae nuptias generi pacta occidendum virum regnumque adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris et sceleris consilia prodidisset. [8] Functus itaque tot periculis senex decessit, regno maximo ex filiis, Alexandro, tradito.

V

[1] Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis, pacta mercede et Philippo fratre dato obside, redemit. [2] Interiecto quoque tempore per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quae res Philippo maxima incrementa egregiae indolis dedit. [3] Siquidem Thebis triennio obses habitus prima pueritiae rudimenta in vrbe seueritatis antiquae et in domo Epaminondae, summi et philosophi et imperatoris, de-

 posuit.

3 *Menelai*] Μενέλαος ὁ Φιλίππου πάππος. Aelian. XII Var. Hist. 43. *Gronouius.*

5 *Euryonem*] Iuntae: *Eurynoem.* leg. *Eurynoen.* Mox in eadem editione pro *Cygnaea* legitur *Gygaea*, vt scribendum censuit Is. Vossius; et pro *Archideum*, vti et Eusebius ac Orosius, *Arideum.* Confirmat editio Vindobonensis, nisi quod scribat *Aridaeum.* Graeuius.

posuit. [4] Nec multo post Alexander insidiis Eurydices matris appetitus occumbit; [5] cui Amyntas in scelere deprehensae propter communes liberos, ignarus, iisdem quandoque exitiosam fore, pepercerat. [6] Frater quoque eius Perdicca pari insidiarum fraude decipitur. [7] Indignum prorsus, libidinis caussa liberos a matre vita priuatos, quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicauerat. [8] Perdiccae hoc indignior caedes videbatur, quod ei apud matrem misericordiam nec paruulus quidem filius conciliauerat. [9] Itaque Philippus diu non regem, sed tutorem pupilli egit. [10] At vbi grauiora bella imminebant, serumque auxilium in exspectatione infantis erat, compulsus a populo regnum suscepit.

VI

[1] Vt est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit et propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum, [2] et propter vetera Macedoniae fata, quae cecinerant, vno ex Amyntae filiis regnante, florentissimum fore Macedoniae statum; cui spei scelus matris hunc residuum fecerat. [3] Principio regni cum hinc caedes fratrum indigne peremtorum, inde hostium multitudo, hinc insidiarum metus, inde inopia continuis bellis exhausti regni, immaturam aetatem tironis vrgerent, [4] bella, quae, velut conspiratione quadam, ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diuersis locis vno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus: [5] alia

[1] *vt est ingressus imperium*] *Ingredi* pro incipere, frequenter Ciceroni fuit in vsu, vt in Orat. pro Caecina 28 *Cum istam disputationem mecum ingressus esset.* et Topic. 1 *Maiores nos res scribere ingressos.* vt Sueton. in Octau. 92 *Ingrediente se longinquam peregrinationem.* Quum tamen auctor Bell. Afric. 22 addita praepositione dixerit, *ingredi in rempublicam.* Gronouius.

[4] *dispensanda*] Vt non omnia bella vno impetu, ac momento,

[5] alia interpoſita pactione componit, alia redimit, facillimis quibuſque aggreſſis, quorum victoria et militum trepidos animos firmaret et contemtum ſibi hoſtium demeret. [6] Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit; quibus per inſidias victis, metu belli grauioris, cum interficere omnes poſſet, incolumes ſine pretio dimiſit. [7] Poſt haec, bello in Illyrios translato, multa millia hoſtium caedit; vrbem nobiliſſimam Lariſſam capit. [8] Hinc Theſſaliam, non praedae cupiditate, ſed quod exercitui ſuo robur Theſſalorum equitum adiungere geſtiebat, nihil minus, quam bellum metuentem, improviſus expugnat; [9] vnumque corpus equitum pedeſtriumque copiarum inuicti exercitus fecit. [10] Quibus rebus feliciter prouenientibus, Olympiadem, Neoptolemi regis Moloſſorum filiam, vxorem ducit; [11] conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis Arruba rege Moloſſorum; qui ſororem Olym-

 piadis

to, ſed per partes ac vices gereret. Proprie enim hoc verbum vſurpatur de patrefamilias, qui, vt ſibi conſtet ratio accepti et expenſi, ſumtus diſpenſare ſolet, nec omnia vno tempore ſimul et ſemel effundit. Liu. XXVII, 5 *Diſpenſarique laetitia inter impotentes eius animos potuit.* et Ouid. VI Met. 279 - - *Ordine nullo oſcula diſpenſat natis.* et Stat. VI Theb. 766 *Dextior hic differt animum, metuenſque futuri Cunctatus vires diſpenſat.* Senec. Epiſt. 88 *Temperantia voluptatibus imperat; alias odit atque abigit, alias diſpenſat.* Idem VI de Benef. 16 *Tum ingenium latens et pigrum, iniecta, vt ita dicam, manu, extraxit: nec quae ſciebat, maligne diſpenſauit.* et III Nat. Quaeſt. 27 *Ad originem rerum parce vtitur viribus, diſpenſatque ſe incrementis fallentibus.* Gronouius.

7 *Lariſſam capit. Hinc Theſſaliam*] Iuntae, vt pridem coniecit Bongarſius, *Lariſſam in Theſſalia non praedae cupiditate.* Quae lectio non eſt ſollicitanda. Nam Lariſſa capite Theſſaliae ſubiugata, caeteri cogebantur nolentes volentes iugum ſeruitutis ſubire, et equites, quos imperabat Philippus, poteſtate. Paullo poſt iidem Iuntae itidem, vt coniiciebat Bongarſius, *tutore virginis Arrymba.* Graeuius.

11 *Troadem*] Optime Faber *Troada*: et paullo poſt *acquiſiturum ſe ſperat*, legendum eſſe contendit, applaudente Iuntina. *Graeuius.*

piadis Troadem in matrimonium habebat: quae cauſſa illi exitii, malorumque omnium initium fuit. [12] Nam, dum regni incrementa affinitate Philippi ſe acquiſiturum ſperat, proprio regno ab eodem privatus in exilio conſenuit. [13] His ita geſtis, Philippus iam non contentus ſummouere bella, vltro etiam quietos laceſſit. [14] Cum Methonam vrbem oppugnaret, in praetereuntem de muris ſagitta iacta dextrum oculum regis effodit. [15] Quo vulnere nec ſegnior in bellum, nec iracundior aduerſus hoſtes factus eſt; [16] adeo, vt, interfectis diebus, pacem deprecantibus dederit; nec moderatus tantum, verum etiam mitis aduerſus victos fuerit.

LIBER VIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Graeciae clades sub Philippo Macedone. Thebani et Phocenses ciuilis belli faces.*
II *Thebani Philippum arcessiunt, qui Phocenses opprimit. Athenienses saluti publicae pro uirili consulunt.*
III *Contra Philippus Graeciam lacerat; Cappadociam Macedoniae adiungit; Olynthios delet; latrocinium exercet uariis modis.*
IIII *Athenienſibus, Theſſalis, Boeotis et Phocenſibus callide impoſuit.*
V *Phocenſes ad deditionem, et reliques Graecos cogit ad ſeruile obſequium.*
VI *Monarchiam cum ſumma iniuſtitia inſtituit.*

[1] Graeciae ciuitates, dum imperare ſingulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt: [2] quippe in mutuum exitium ſine modo ruentes, omnibus perire, quod ſingulae amitterent, non niſi oppreſſae ſenſerunt. [3] Siquidem Philippus, rex Macedoniae, velut e ſpecula quadam, libertati ominum inſidiatus, dum contentiones ciuitatum alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoreſque ſubire regiam ſeruitutem coëgit. [4] Cauſſa et origo huius mali Thebani fuere: qui, cum rerum potirentur, ſecundam fortunam imbecillo animo ferentes victos armis Lacedaemonios et Phocenſes, quaſi parua ſupplicia caedibus et rapinis luiſſent, apud commune Graeciae concilium ſuperbe accuſauerunt. [5] Lacedaemoniis crimini datum, quod arcem Thebanam

3 *e ſpecula quadam*] Id eſt, e loco alto, vt totum agrum detegere oculis poſſet, vnde occaſiones peterent. Quomodo haec locutio etiam aliis placuit, vt Cic. VIIII ad Att. Ep. 10 *In ſpeculis eſſe*. Idem pro Deiotaro 8 *Reliqua pars accuſationis duplex fuit; vna, regem ſemper in ſpeculis fuiſſe, cum a te animo eſſet alieno.* Liu. XXXIIII, 26 *Diem deinde vnum in ſpeculis fuit.* Quintil. Decl. CCLXXXI *In aliqua vos poſitos ſpecula putate: illa, quae facta ſunt, videte.* Claud. Bell. Get. 570 *Gentes pendere paratas in ſpeculis.* Gronovius.

banam induciarum tempore occupassent; Phocensibus, quod Boeotiam depopulati essent: [6] prorsus, quasi post arma et bellum, locum legibus reliquissent. [7] Cum iudicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolui non posset. [8] Igitur Phocenses, cum agris, liberis coniugibusque priuarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut deo irascentes, templum ipsum Apollonis Delphis occupauere. [9] Inde auro et pecunia diuites, conducto mercenario milite, bellum Thebanis intulerunt. [10] Factum Phocensium, tametsi omnes exsecrarentur propter sacrilegium, plus tamen inuidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit. [11] Itaque auxilia his et ab Athenienſibus et a Lacedaemoniis missa. [12] Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. [13] Sequenti praelio primus inter confertissimos dimicans cecidit, et sacrilegii poenas impio sanguine luit. [14] In huius locum dux Onomarchus creatur.

II

[1] Aduersus quem Thebani Thessalique non ex ciuibus suis, ne victores potentiam ferre non possent, sed Philippum, Macedoniae regem, ducem eligunt; [2] et externae dominationi, quam in suis timuerunt, sponte succeduut. [3] Igitur Philippus, quasi sacrilegii, non Thebanorum vltor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet, atque ita, veluti deo duce, in praelium pergit. [4] Phocenses, insignibus dei conspectis, conscientia delictorum territi, abiectis armis, fugam capessunt, poenasque violatae religionis sanguine et caedibus suis pendunt. [5] Incredibile, quantum ea res apud omnes

14 *Onomarchus*] Iuntae: *Oenomaus*, cum Orosio MS. et aliis editionibus vetustioribus. Sed rectius recentiores. *Graeuius.*

omnes nationes Philippo gloriae dedit. [6] *Illum vindicem sacrilegii, illum vltorem religionum: quod orbis viribus expiari debuit, solum, qui piacula exigeret, extitisse.* [7] *Dignum itaque, qui diis proximus haberetur, per quem deorum maiestas vindicata sit.* [8] Sed Athenienses, audito belli euentu, ne in Graeciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum, pari ratione, sicut antea aduenientibus Persis, occupauere; sed nequaquam simili aut virtute aut caussa: [9] siquidem tunc pro libertate Graeciae, nunc pro sacrilegio publico; tunc a rapina hostium templa vindicaturi, nunc aduersus vindices templorum raptores defensuri; [10] aguntque propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios vindices fuisse;

6 *Solum qui piacula exigeret extitisse dignum. Itaque diis proximus habetur*] Certissima est lectio et interpunctio libri Britannici: *Solum, qui piacula exigeret, extitisse. Dignum itaque, qui diis proximus haberetur*: quam merito probarunt Oxonienses et Cl. Schefferus, cuius obitus rei litterariae plagam ingentem inflixit. Quis enim in vulgatis intelligit, qui Latinam Linguam intelligit, *dignum extitisse qui piacula exigeret?* Quid enim est, ille dignus existit, qui scelera puniat? cum *dignus* nihil hic loci est. Sed si interpungas cum Britannico codice, nihil superest quod quenquam possit morari. Hoc enim dicit Iustinus, Philippum solum extitisse, qui exigeret piacula, quae orbis viribus debebant expiari; seu ad quae vindicanda totus orbis debebat conspirare, ea solum Philippum puniisse. Nondum tamen perpurgatum hunc locum esse puto, scribendum videtur: *solum qui piaculum exigeret.* Id ostendunt verba praecedentia: *quod orbis viribus expiari debuit.* Nam si *piacula* scripsisset Iustinus, scribendum etiam fuisset, *quae orbis viribus expiari debuerunt. Piaculum* autem est piaculare scelus, sacrilegium scilicet illud. Si quis se vulgatam existimet posse tueri, ellipsi vocis criminis, sceleris, facti, aut si quod aliud huic loco appositum intelligi queat, is, si rationem, et consuetudinem emendare loquentium in consilium adhibuerit, facile suam damnabit sententiam. Fac scripsisse non neminem: Ille vindex est religionis, ille maiestatis diuinae et sacrilegorum vltor, ille, quod orbis viribus expiari debuit, solus impietatem puniit. Qui Latine sciunt, dicent illico scribendum fuisse, *quae orbis viribus expiari debuit.* Non alia est ratio huius loci in Iustino. Aut scribendum *piaculum*: aut, *quae orbis viribus expiari debuerunt.* Graecius,

fuisse; [11] immemores prorsus, quod in dubiis rebus suis, illo deo etiam consiliorum auctore vti fuerant; quod illo duce tot bella victores inierant; tot vrbes auspicato condiderant; tantum imperium terra marique quaesierant; quod nihil sine maiestate numinis eius, aut priuatae vnquam, aut publicae rei gesserant. [12] Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, vt, quid posthac succensere iure barbaris possent, non haberent.

III

[1] Sed nec Philippus melioris fidei aduersus socios fuit: [2] quippe, veluti timens, ne ab hostibus sacrilegii scelere vinceretur, ciuitates, quarum paullo ante dux fuerat, quae sub auspiciis eius militauerant, quae gratulatae illi sibique victoriam fuerant, hostiliter occupatas diripuit: [3] coniuges liberosque omnium sub corona vendidit; [4] non deorum immortalium templis, non aedibus sacris, non diis penatibus publicis priuatisque, ad quos paullo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit: [5] prorsus, vt non tam sacrilegii vltor extitisse, quam sacrilegiorum licentiam quaesisse videretur. [6] Inde, veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam traiicit: vbi, bello pari perfidia gesto, captisque per dolum et occisis finitimis regibus, vniuersam prouinciam imperio

11 *tot bella victores inierant*] Non est interpolanda librorum omnium scriptura. Sententia est liquida: Illo nimirum deo saepe se bella suscepisse, in quibus fuissent victores. Si enim deus auctor fuit belli, quis de victoria dubitet. *Graevius.*

3 *hospitaliter*] Tanquam hospes et amicus: qua notione hoc aduerbium valde amatum fuit Liuio, vt VI, 26 *Moti exemplo patres, vocari eos iam tum hospitaliter magis, quam hostiliter iussere.* et XXII, 30 *A notis ignotisque benigne atque hospitaliter inuitati.* Item 54 *Caetera publice ac priuatim, et hospitaliter facta.* Gronouius.

6 *In Cappadociam*] Iuntae: *Thraciam.* Pro *Cappadociam* legendum *Cassopiam.* Sic vocata fuit illa regio Demostheni in oratione de Haloneso. Vide Valesium ad Harpocrationem, cui hanc debes emendationem. Vide Stephanum in κασσώπη, et ibidem Holstenium. Mox iidem: *locare muros per ciuitates.* Graeuius.

perio Macedoniae adiungit. 7 Deinde ad abolendam perfidiae famam, qua insignis praeter caeteros tunc temporis habebatur, per regna mittit et opulentissimas ciuitates, 8 qui opinionem sererent, regem Philippum magna pecunia locare et muros per ciuitates et fana et templa facienda; et vt per praecones susceptores sollicitarent, 9 Qui cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus frustrati, vim regiae maiestatis timentes, taciti proficiscebantur. 10 Post haec Olynthios aggreditur: receperant enim per misericordiam, post caedem vnius, duos fratres eius, quos Philippus ex nouerca genitos, veluti participes regni, interficere gestiebat. 11 Ob hanc igitur caussam vrbem antiquam et nobilem exscindit, et fratres olim destinato supplicio tradit, praedaque ingenti pariter et parricidii voto fruitur. 12 Inde, quasi omnia, quae agitassent animo, ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat. 13 Et, ne quod ius vel fas inuiolatum praetermitteret, piraticam quoque exercere instituit. 14 His ita gestis, forte euenit, vt eum fratres duo, reges Thraciae, non contemplatione iustitiae eius, sed inuicem metuentes, ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent. 15 Sed Philippus, more ingenii sui, ad iudicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu superuenit, et regno vtrumque, non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere, spoliauit.

IIII

8 *susceptores*] Ouid. XI Met. 201 *Susceptaque magna labore Crescere, difficili.* Vid. Henr. Vales. ad Arrian. Marcell. XVII, 11. *Gronouius.*

12 *auraria*] *Auraria metalla* etiam dixit Plin. VII Hist. Nat. 57. Hinc autem Philippus sibi nummos percussit, quos *Philippos* vocat Plaut. Poen. I, 1. 38 et III, 5. 26. Caeterum etiam Bellonius I Obseruat. 50 testatur, Turcarum Imperatorem, deductis operarum impensis, hinc quotannis decies octies mille ducatos, nonnunquam triginta millia accipere. *Gronouius.*

IIII

[1] Dum haec aguntur, legati Athenienſium petentes pacem ad eum venerunt. [2] Quibus auditis, et ipſe legatos Athenas cum pacis conditionibus miſit, ibique ex commodo vtrorumque pax facta. [3] Ex caeteris quoque Graeciae ciuitatibus, non pacis amore, ſed belli metu legationes venere. [4] Siquidem, crudeſcente ira, Theſſali, Boeotiique orant, vt profeſſum aduerſum Phocenſes ducem Graeciae exhibeat: [5] tanto odio Phocenſium ardentes, vt, obliti cladium ſuarum, perire ipſi, quam non perdere eos praeoptarent; expertamque Philippi crudelitatem pati, quam parcere hoſtibus ſuis mallent. [6] Contra Phocenſium legati, adhibitis Lacedaemoniis et Athenienſibus, bellum deprecabantur, cuius ab eo dilationem ter iam emerant. [7] Foedum prorſus miſerandumque ſpectaculum, Graeciam etiam nunc et viribus et dignitate orbis terrarum principem, regum certe gentiumque ſemper victricem, et multarum adhuc vrbium dominam, alienis excubare ſedibus aut rogantem bellum, aut deprecantem: [8] in alterius ope omnem ſpem poſuiſſe orbis terrarum vindices, eoque diſcordia ſua, ciuilibuſque bellis redactos, vt adulentur vitro ſordidam paullo ante clientelae ſuae partem: [9] et haec potiſſimum facere Thebanos Lacedae-

4 *crudeſcente ira*] Iunt. *recrudeſcente ira*. Et ſtatim: *vt profeſſum ſe aduerſum Phocenſes ducem Graeciae exhibeat*. Graeuius.

7 *etiam nunc*] Sebiſius vulgatam lectionem improbat, ſed male. nam vt auctor noſter, ita et loquitur Cic. in Bruto 11 *Regnante iam Graecia*. Gronouius. *Etiam tunc* intelligendum de tempore, quo haec agebantur. Sic Hiſtorici nonnunquam loquuntur, quaſi ſcriberent illo tempore, cuius geſta narrant. *Graeuius*.

9 *qui ante inter ſe imperii, nunc Graeciae imperantis aemulos*] Hunc locum perditum reſtituit praeclare Menſo Altingius, vir ampliſſimus, leui mutatione: *antea inter ſe imperii, nunc gratiae imperantis aemulos*. Qui antea de imperio contendebant, nunc de gratia Philippi certant, vtri primum locum

cedaemonioſque, antea inter ſe imperii, nunc Graeciae imperantis aemulos. [10] Philippus venditatione gloriae ſuae tantarum vrbium faſtidium agitat; atque vtros potius dignetur, aeſtimat. [11] Secreto igitur auditis vtriſque legationibus, his veniam belli pollicetur, iureiurando adactis, reſponſum nemini proditurus: illis contra, venturum ſe, auxiliumque laturum. Vtroſque, vetat, parare bellum, aut metuere. [12] Sic variato reſponſo ſecuris omnibus Thermopylarum anguſtias occupat.

V

[1] Tunc primum Phocenſes captos ſe fraude Philippi animaduertentes, trepidi ad arma confugiunt. [2] Sed neque ſpatium erat inſtruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia, et Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. [3] Victi igitur neceſſitate, pacta ſalute, ſe dediderunt. [4] Sed [illegible]ctio eius fidei fuit, cuius antea fuerat deprecari belli promiſſio. [5] Igitur caeduntur paſſim, rapiunturque; non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum ſimulacra templis ſuis relinquuntur. [6] Vnum tantum miſeris ſolatium fuit, quod, cum Philippus portione praedae ſocios fraudaſſet, nihil rerum ſuarum apud inimicos viderunt. [7] Reuerſus in regnum, vt pecora paſtores nunc in hibernos, nunc in aeſtiuos ſaltus traiiciunt, ſic ille populos

locum eius gratiae teneant. Non videtur χαριέστατος Faber hunc locum bene perpendiſſe et meam cepiſſe mentem. Etſi nondum Graeciam ſubiugaſſet plane, tanta tamen Philippi erat auctoritas, vt eius gratiam quaererent Graecarum ciuitatum legati, vt tam contemtim haberentur in eius aula, ac ſi eſſent viliſſimi aut ciuium Philippi aut clientium. Itaque merito dicuntur aemuli eſſe gratiae imperantis, qui certant, qui priores gratiae ferat apud Philippum, cum ante fuiſſent imperii Graeciae aemuli, hoc eſt, de principatu certaſſent. *Gronius.*

10 *Faſtidium agitat*] Etiam Iuntae cum aliis editionibus: *faſtigium agitat.* Sed lectionem, quam ex MSS. Bongarſius reſtituit, docte aſſerit Gronouius Obſeruat. lib. IIII, 14, quem vide. *Gronius.*

pulos et vrbes, vt illi vel replenda, vel derelinquenda quaeque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. [8] Miseranda vbique facies et excidio similis erat. [9] Non quidem pauor ille hostilis, nec discursus per vrbem militum erat; non tumultus armorum; non bonorum atque hominum rapina; [10] sed tacitus moeror et luctus, verentibus, ne ipsae lacrimae pro contumacia haberentur. [11] Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. [12] Nunc sepulcra maiorum, nunc veteres penates, nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibusque genuerant, considerabant; [13] miserantes nunc vicem suam, quod in eam diem vixissent; nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent.

VI

[1] Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit, alios in extremis [regni terminis] statuit, quosdam bello captos in supplementis vrbium diuidit. [2] Atque ita ex multis gentibus nationibusque vnum regnum populumque constituit. [3] Compositis ordinatisque Macedoniae rebus, Dardanos, caeterosque finitimos fraude captus expugnat. [4] Sed nec a proximis manus abstinet. Siquidem Arrybam, regem Epiri, vxori suae Olympiadi arctissima cognatione iunctum, pellere regno statuit: [5] atque Alexandrum, priuignum eius, vxoris Olympiadis fratrem, puerum honestae pulcritudinis, in Macedoniam nomine sororis arcessit, [6] omnique studio solicitatum spe regni, simulato amore, ad stupri consuetudinem perpulit, maiora in eo obsequia habiturus, siue conscientiae pudore, siue regni beneficio,

4 *Arrybam*] Iuntae, et hic et lib. XVII, 3 *Arrymbam*. Hoc Plutarchus in Alexandro fratris Olympiadis nomen fuisse tradit. *Graeuius*.

ficio. 7 Cum igitur ad viginti annos peruenisset, ereptum Arrybae regnum puero admodum tradit, sceleſtus in vtroque. 8 Nam nec in eo ius cognationis seruauit, cui ademit regnum; et eum, cui dedit, impudicum fecit antequam regem.

7 *Arrybae regnum* etc.] Dissentit a Iustino Diodorus, qui XVI scribit, Philippum non Arrybae, sed filio eius Aeacidae (hic pater Pyrrhi fuit) regnum abstuliſſe. Sed forte hic locus ita erit restituendus, *ereptum regnum Arrybae filio, puero admodum Alexandro tradit.* Gronouius.

puero admodum] *Puero admodum* est qui fere puer erat, qui vix pueritiae annos erat egressus. vt inferius *bimus admodum.* Iustino *admodum* est circiter, praeter propter. Sic Augustus puer dicebatur post caedem Caesaris, iam rebus gerendis admotus, cum eiusdem fere esset aetatis, qua hic Arrybas. *Graeuius.*

LIBER VIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Philippus cogitat de Graecia subiuganda; ideo Byzantium, sed frustra, obsidet.*
II *A Scytharum rege variis modis deluditur; vnde pugna et praeda abducta.*
III *Triballi Philippum praeda spoliant. Athenienses et Thebanos Philippus praelio atterit.*
IIII *Victoria moderate vtitur; saeuit in Thebanos, qui fortiter se gerunt.*
V *Graeciam pacare studet, vt Persas bello adoriatur.*
VI *Pausanias Philippum obtruncat, vltionem ab iniquo iudice exigens.*
VII *Philippus, Olympiade et Alexandro consciis, interficitur.*
VIII *Philippi elogium, eiusdemque cum Alexandro filio et successore comparatio.*

I

[1] In Graeciam Philippus cum venisset, sollicitatus paucarum ciuitatium direptione, et ex praeda modicarum vrbium, quantae opes vniuersarum essent, animo prospiciens, bellum toti Graeciae inferre statuit. [2] Ad cuius emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium, nobilem et maritimam vrbem, receptaculum terra marique copiis suis futuram, in potestatem redegisset, eandem claudentem sibi portas, obsidione cinxit. [3] Haec namque vrbs condita primo a Pausania, rege Spartanorum, et per VII annos possessa fuit; deinde, variante victoria, nunc Lacedaemoniorum, nunc Atheniensium iuris habita est. [4] Quae incerta possessio effecit, vt, nemine quasi suam auxiliis iuuante, libertatem constantius tueretur. [5] Igitur Philippus longa obsidionis mora exhaustus pecuniae commercium de piratica mutuatur. [6] Captis itaque centum septuaginta nauibus, mercibusque distractis, anhelantem inopiam paullulum recreauit. [7] Deinde, ne vnius

7 *deinde ne vnius vrbis oppugnatione tantus exercitus teneretur*] Lege cum Iuntis: *teneretur*, hoc est, detineretur, occupa-

vnius vrbis oppugnatione tantus exercitus tereretur, profectus cum fortissimis multas Chersonensium vrbes expugnat: [8] filiumque Alexandrum, decem et octo annos natum, vt sub militia patris tirocinii rudimenta deponeret, ad se arcessit. [9] In Scythiam quoque praedandi caussa profectus est, more negotiantium, impensas belli alio bello refecturus.

II

[1] Erat eo tempore rex Scytharum Atheas; qui, cum bello Istrianorum premeretur, auxilium a Philippo per Apollonienses petit, in successionem eum regni Scythiae adoptaturus: [2] cum interim Istrianorum rex decedens et metu belli, et auxiliorum necessitate Scythas soluit. [3] Itaque Atheas, remissis Macedonibus, renuntiari Philippo iubet, *neque auxilium eius se petisse, neque adoptionem mandasse.* [4] *Nam neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent; neque heredem sibi, incolumi filio, deesse.* [5] His auditis, Philippus legatos ad Atheam mittit, impensae obsidionis portionem perentes, ne inopia deserere bellum cogatur. [6] Quod eo promtius eum facere debere, quod mis-

occuparetur. Superius III, 4 *Itaque cum contra praesumtionem suam annis decem in obsidione vrbis tenerentur.* et II, 5 *Quippe coniuges eorum longa expectatione virorum fessae, nec iam teneri bello, sed deletos ratae.* Cic. XV, 1 ad Fam. *Septimum iam diem Corcyrae tenebamur.* Graeuius.

Chersonensium vrbes] MS. *Chersonensi.* lege: *Chersonesi.* aut cum Iuntis: *Cherronesi.* Graeuius.

8 *rudimenta deponeret*] Liu. VI, 8 *Et eum ipsum rudimentum adolescentiae bello lacessentem Romanos posuisse.* et Quintilian. Declam. III *Vt sub te ponere rudimenta militiae contingeret.* Gronouius.

1 *Istrianorum*] Quos Μελγίων ἄποικες fuisse testatur Herodo. II, 33. Et Ἰστριανῶν πόλιν refert Dion Cass. XXXVIII p. 64. Aliis etiam, *Istropolitani*, dicuntur. *Gronouius.*

6 *non modo officii pretia dederit*] Iuntae: *non modo officii praemia dederit.* quod incautior arriperet facile. Sed *pretium*

sis a se in auxilium eius militibus ne sumtum quidem viae, non modo officii pretia dederit. [7] Atheas inclementiam caeli et terrae sterilitatem caussatus, quae non patrimoniis ditet Scythas, sed vix alimenta exhibeat, respondit: [8] *nullas sibi opes esse, quibus tantum regem expleat; et turpius putare parvo defungi, quam totum abnuere:* [9] *Scythas autem virtute animi et duritia corporis, non opibus censeri.* [10] Quibus derisus Philippus, soluta obsidione Byzantii, Scythica bella aggreditur, praemissis legatis, quo securiores faceret, qui nuntient Atheae, [11] *dum Byzantium obsidet, vouisse se statuam Herculi, ad quam in ostio Istri ponendam se venire, pacatum accessum ad religionem dei petens, amicus ipse Scythis venturus.* [12] Ille, *si voto fungi vellet, statuam sibi mitti* iubet; *non modo, vt ponatur, verum etiam, vt inuiolata maneat*, pollicetur: *Exercitum autem fines ingredi*, negat, *se passurum.* [13] *Ac, si inuitis Scythis statuam ponat, eo digresso, sublaturum, versurumque aes statuae in aculeos sagittarum.* [14] His vtrinque irritatis animis, praelium committitur. Cum virtute et numero praestarent Scythae, astu Philippi vincuntur. [15] Viginti millia puerorum ac feminarum capta; pecoris magna vis; auri argentique nihil. [16] Ea primum fides inopiae Scythicae fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa.

III

pretium eiusdem notionis est nonnunquam. Phaedrus I, 8

Qui pretium meriti ab improbis desiderat
Bis peccat.

Florus IIII, 11 *Haec mulier Aegyptia ab ebrio Imperatore, pretium libidinum Romanum imperium petit.* Idem lib. 1, 1 *Nulla pretium rem, quam gerebant in finistris, petierat.* Graeuius.

9 *non opibus censeri*] Plaut. Captiu. Prol. 15 *Vos qui potestis ope vestra censerier.* et Plin. XXXVI Nat. Hist. 5 *Non vitibus tantum censeri Chium, sed operibus Anthermi filiorum.* et Minucius Felix in Octauio 37 *Nos igitur qui moribus et pudore censemur* etc. *Gronouius.*

III

[1] Sed reuertenti ab Scythia Triballi Philippo occurrunt. negant, se transitum daturos, ni portionem accipiant praedae. [2] Hinc iurgium, et mox praelium, in quo ita in femore vulneratus est Philippus, vt per corpus eius equus interficeretur. [3] Cum omnes occisum putarent, praeda amissa est. [4] Ita Scythica, velut deuota, spolia paene luctuosa Macedonibus fuere. [5] Vbi vero ex vulnere primum conualuit, diu dissimulatum bellum Athenienſibus infert: quorum causſiae Thebani se iunxere, metuentes, ne, victis Athenienſibus, bellum, veluti vicinum incendium, ad se transiret. [6] Facta igitur inter duas paullo ante infestissimas ciuitates societate, legationibus Graeciam fatigant. Communem hostem, putant, communibus viribus summouendum: [7] neque enim cessaturum Philippum, si prospere prima succeſſerint, nisi omnem Graeciam domuerit. [8] Motae quaedam ciuitates Athenienſibus se iungunt; quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. [9] Praelio commisſo, cum Athenienſes longe maiore militum numero praestarent, assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur. Non tamen immemores pristinae gloriae cecidere: [10] quippe aduersis vulneribus, omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. [11] Hic dies vniuersae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finiuit.

[5] *ne victis Athenienſibue bellum, veluti vicinum incendium ad ſe tranſiret*] Sic reſcripſi cum Oxonienſibus ex libro Britannico. Vulgata eſt ineptiſſima. *Graeuius.*

[11] *hic dies*] Elegans hic eſt loquendi modus, quo *dies* vſurpatur pro re, quae illo die facta eſt. Nec aliter loqui ſolet Cicero, vt I ad Att. Ep. 14 *Hic dies me valde Craſſo adiunxit.* Et X Fam. Ep. 28 *Hic dies meaque contentio atque actio ſpem primum populo Romano attulit libertatis recuperandae.* et Tacit XII Ann. 34 *Enimuero Caractacus huc illuc volitans, illum diem, illam aciem teſtabatur.* Gronouius.

IIII

[1] Huius victoriae callide dissimulata laetitia est. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit; non in conuiuio risit; non ludos inter epulas adhibuit; non coronas aut vnguenta sumsit; et, quantum in illo fuit, ita vicit, vt victorem nemo sentiret. [2] Sed nec regem se Graeciae, sed ducem appellari iussit. [3] Atque ita inter tacitam laetitiam et dolorem hostium temperauit, vt neque apud suos exsultasse, neque apud victos insultasse videretur. [4] Athenienſibus, quos passus infestissimos fuerat, et captiuos gratis remisit, et bello consumtorum corpora sepulturae reddidit; reliquiasque funerum vt ad sepulcra maiorum deferrent, vltro hortatus est. [5] Super haec Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque iungerent, Athenas misit. [6] Thebanorum porro non solum captiuos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidit. [7] Principes ciuitatis alios securi percussit; alios in exilium redegit, bonaque omnium occupauit. [8] Pulsos deinde per iniuriam in patriam restituit; ex horum numero CCC exules iudices rectoresque ciuitati dedit: [9] apud quos cum potentissimi quique rei eius ipsius criminis postularentur, quod per iniuriam se in exilium egissent, huius constantiae fuerunt, vt omnes se auctores fatererentur, meliusque cum republica actum, cum damnati essent, quam cum restituti, contenderent. [10] Mira prorsus audacia: de iudicibus vitae necisque suae, quemadmodum possunt, sententiam ferunt; contemnuntque absolutionem, quam dare inimici possunt:

10 *quoniam rebus nequeunt vlcisci, verbis vsurpant libertatem*] Melius Iuntae: *quam rebus nequeunt vlcisci, verbis vsurpant libertatem.* Assentior et ipse Fabro, [legenti: *et quam rebus nequeunt, verbis vsurpant libertatem*] quippe cui ad hanc emendationem praeiuit editionis Iuntinae scriptura, quae pro *quoniam* exaratum habet *quam*. Graeuius.

sunt: et quoniam rebus nequeunt vlciſci, verbis vſurpant libertatem.

V

[1] Compoſitis in Graecia rebus, Philippus omnium ciuitatium legatos ad formandum rerum praeſentium ſtatum euocari Corinthum iubet. [2] Ibi pacis legem vniuerſae Graeciae pro meritis ſingularum ciuitatium ſtatuit; conciliumque omnium, veluti vnum ſenatum, ex omnibus legit. [3] Soli Lacedaemonii, et legem, et regem contemſerunt: ſeruitutem, non pacem, rati, quae non ipſis ciuitatibus conueniret, ſed a victore ferretur. [4] Auxilia deinde ſingularum ciuitatium deſcribuntur, ſiue adiuuandus ea manu rex, oppugnante aliquo, foret, ſeu duce illo bellum inferendum. [5] Neque enim dubium erat, imperium Perſarum his apparatibus peti. [6] Summa auxiliorum ducenta millia peditum fuere, et equitum quindecim millia. [7] Extra hanc ſummam et Macedoniae exercitus erat, et confinis domitarum gentium barbaries. [8] Initio veris tres duces in Aſiam Perſarum iuris praemittit, Parmenionem, Amyntam, et Attalum, [9] cuius ſororem nuper, expulſa Alexandri matre Olympiade propter ſtupri ſuſpicionem, in matrimonium receperat.

VI

[1] Interea, dum auxilia a Graecia coëunt, nuptias Cleopatrae filiae et Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. [2] Dies erat pro magnitudi-

H 4 ne

3 *quae non ipſis ciuitatibus conueniret*] Cic. pro Cluent. 43 *Iudex qui inter aduerſarios conueniſſet.* Liu. I, 24 *Tempus et locus conuenit.* Idem XXIII, 9 *Septuaces auri in ſingulos pretium conuenit.* Infra XXX, 3. 10 *Pax in Macedonia non conueniebat.* Gronouius.

2 *collocantis filiam*] Cic. II de Offic. 20 *Verum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret.* et Luc. Euang. XX, 34 οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου γαμοῦσι καὶ ἐκγαμίσκονται. Hanc Philippi tragoediam ex Clitomacho refert quoque Stobaeus Serm. CCXXXVIII

ne duorum regum, et collocantis filiam et vxorem ducentis apparatibus insignis. [3] Sed nec ludorum magnificentia deerat: ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus, medius inter duos Alexandros, filium generumque, contenderet: [4] Pausanias, nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis angustiis, Philippum in transitu obtruncat; diemque laetitiae destinatum, foedum luctu funeris facit. [5] Hic Pausanias primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat: cuius indignitati haec etiam foeditas accesserat. [6] nam perductum in conuiuium solutumque mero, Attalus non suae tantum, verum et conuiuarum libidini, velut scortum vile, subiecerat, ludibriumque omnium inter aequales reddiderat. [7] Hanc rem aegre ferens Pausanias, querelam Philippo saepe detulerat. [8] Cum variis frustrationibus non sine risu differretur, et honoratum insuper ducatu aduersarium cerneret; iram in ipsum Philippum vertit vltionemque, quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit.

VII

[1] Creditum est etiam, immissum ab Olympiade, matre Alexandri, fuisse; nec ipsum Alexandrum ignarum paternae caedis extitisse: [2] quippe non minus Olympiadem repudium, et praelatam sibi Cleopatram, quam stuprum Pausaniam doluisse. [3] Alexandrum quoque, regni aemulum, fratrem ex nouerca susceptum, timuisse; eoque actum, vt in conuiuio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre iurgaret: [4] adeo, vt etiam stricto gladio eum Philippus consectatus sit, aegreque a filii caede amicorum precibus exoratus. [5] Quamobrem Alexander

CCXXXVIII p. 814. *Gronouius.*

5 *cuius*] An legendum, *cui?* Gronouius.

3 *ex nouerca - - praeparatos habuit*] Absunt a Cod. I Voss. *Gronouius.*

der ad auunculum se in Epirum cum matre, inde ad regem Illyriorum contulerat; [6] vixque reuocanti mitigatus est patri, precibusque cognatorum aegre redire compulsus. [7] Olympias quoque fratrem suum Alexandrum, Epiri regem, in bellum subornabat, peruiciſſetque, ni filiae nuptiis pater generum occupaſſet. [8] His ſtimulis irarum vtrique Pauſaniam de impunitate ſtupri ſui querentem, ad tantum facinus impuliſſe creduntur. [9] Olympias certe fugienti percuſſori equos quoque praeparatos habuit. [10] Ipſa deinde, audita regis nece, cum titulo officii ad exequias cucurriſſet, in cruce pendentis Pauſaniae capiti, eadem nocte, qua venit, coronam auream impoſuit: quod nemo alius audere, niſi haec, ſuperſtite Philippi filio, potuiſſet. [11] Paucos deinde poſt dies, refixum corpus interfectoris ſuper reliquias mariti cremauit; et tumulum ei eodem fecit in loco, parentarique eidem quotannis, incuſſa populo ſuperſtitione, curauit. [12] Poſt haec Cleopatram, a qua pulſa Philippi matrimonio fuerat, in gremio eius prius filia interfecta, finire vitam ſuſpendio coëgit, ſpectaculoque pendentis vltionem potita eſt, ad quam per parricidium feſtinaverat. [13] Nouiſſime gladium, quo rex percuſſus eſt, Apollini ſub nomine Myrtalis conſecrauit: hoc enim nomen ante Olympiadis paruulae fuit. [14] Quae omnia ita palam facta ſunt, vt timuiſſe videatur, ne facinus ab ea commiſſum non probaretur.

VIII

[1] Deceſſit Philippus XXXX et VII annorum, cum annis XXV regnaſſet. [2] Genuit ex Lariſſaea

H 5 ſalta-

8 *bis ſtimulis irarum vtrique*] Et hic luntae non male: *vterque*. Nemo hic quicquam mouiſſet, niſi editio luntina ex praeſtantiſſimis codicibus expreſſa, et ex qua tot loca Iuſtini peſſime habita ſunt emendata, lectionem elegantiorem obieciſſet. *Graeuius.*

13 *Myrtalis*] Omnino ſcribendum *Myrtales*, vnde MTPTAAH in Inſcript. Gruter. p. 794, 4. *Gronouius.*

saltatrice filium Aridaeum, qui post Alexandrum regnauit. [3] Habuit et alios multos ex variis matrimoniis regio more susceptos, qui partim fato, partim ferro periere. [4] Fuit rex armorum, quam conuiuiorum, apparatibus studiosior; [5] cui maximae opes erant instrumenta bellorum; [6] diuitiarum quaestu, quam custodia solertior. itaque inter quotidianas rapinas semper inops erat. [7] Misericordia in eo et perfidia pari iure dilectae. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. [8] Blandus pariter et infidiosus alloquio; qui plura promitteret, quam praestaret; in seria et iocos artifex. [9] Amicitias vtilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare, instruere inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quaerere, sollennis illi consuetudo. [10] Inter haec eloquentia insignis, oratio acuminis et sollertiae plena, vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentionum deesset ornatus. [11] Huic Alexander filius successit, et virtute et vitiis patre maior. Vincendi ratio vtrique diuersa. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. [12] Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. [13] Pru-

9 *gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia*] Iuntae: *Gratiam fingere in odio, in gratia offensam simulare, instruere inter concordantes odia.* Quod non temere spreuerim, si MSS. accedit auctoritas. In aliis vetustioribus editionibus haec verba *in gratia offensam simulare* paullo superius post *infidiosus* leguntur. Ibi vero C. Barthius ad Claudianum ex MS. legit: *blandus per iram et in gratia.* Graeuius.

10 *inter haec eloquentia insignis, oratio acuminis et solertiae plena*] Haec et sequentia longe correctius et plenius ex antiquo codice iidem Oxonienses ediderunt. nimirum: *Inter haec eloquentia insignis, oratio acuminis et solertiae plena, vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentio, nec inuentionibus deesset ornatus.* optime et certissime. Priora, *inter haec eloquentia insignis, oratio acuminis et solertiae plena*, firmat quoque Iuntina. Mallem tamen: *nec inuentioni deesset ornatus.* Mox expunxi eodem codice iubente in his verbis, *Itaque vincendi ratio vtrique diuersa*, τὸ *itaque.* Graeuius.

12 *hic aperte, ille artibus bella tractabat*] Iuntinae vt aliae

[13] Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. [14] Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere; huic, vbi exarsisset, nec dilatio vltionis, nec modus erat. [15] Vini nimis vterque auidus; sed ebrietatis diuersa vitia. Patri mos erat, etiam de conuiuio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre; Alexander non in hostem, sed in suos saeuiebat. [16] Quamobrem Philippum saepe vulneratum praelia remisere; hic amicorum interfector conuiuio frequentior excessit. [17] Regnare ille cum amicis nolebat, hic in amicos

aliae vetustiores, nec non codices Britannici, et Sarisburiensis: *Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat.* Vnde Schefferus non male colligit, Iustinum scripsisse: *hic vi, ille artibus bella tractabat.* Sed non frustra in tot libris *aperta* legitur. Mihi videtur Iustini manus esse: *Hic aperte et vi, ille artibus bella tractabat. Artes* sunt strategemata, quae *furta belli* dicuntur. Hinc *furtiua victoria* lib. XI, 6 est artibus et strategemate parta; cui opponitur, quae aperte et vi est parta. Plaut. Amphit. *Id vi atque virtute militum victum atque expugnatum oppidum.* Sequentia Iustini verba haec explicant, Cum decipiuntur hostes, artibus bellum tractatur, seu vt lib. XI loquitur, *astu agitur*, cui bello conuenire ibidem dicit occulta consilia; cum palam funduntur hostes, aperte et vi bellum geritur. *Graeuius.*

14 *hic vbi exarsisset, nec dilatio vltionis nec modus erat*] Probo et hic luntarum lectionem: *Huic, vbi exarsisset, nec dilatio vltionis, nec modus erat.* Graeuius.

15 *patri mos erat etiam de conuiuio in hostem procurrere*] Foedum centonem, quem hic scioli assuerant Iustino, resecuerunt Oxonienses optimarum membranarum subsidio, quos ego sequor, et merito laudat Schefferus. Sic autem illi: *Pater de conuiuio in hostem procurrere.* Mox iidem: *Alexander in amicos hostium more saeuire.* Sed quia in sequente periodo habetur *in amicos regna exercebat*, non est vero simile, eandem vocem in tam paucis versibus iterari a scriptore cultissimo. Itaque ab aliorum codicum scriptura hic minime discedendum mihi esse putaui. *Saeuire* tamen recepi ex Britannicis libris cum Oxoniensibus. *Graeuius.*

17 *regnare ille cum amicis nolebat*] Optime Sebisius: *Regnare ille cum amicis volebat.* Philippus consiliariis et ducibus suis multum tribuebat, illorumque consilium et auctoritatem in gerenda republica saepe

amicos regna exercebat. Amari pater malle; hic metui. [18] Litterarum cultus vtrique similis. Sollertiae pater maioris, hic fidei. [19] Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. [20] Parcendi victis filio animus et promtior et honestior. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat. [21] Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummauit.

saepe sequebatur; Alexander vero solus omnia administrabat, superbeque ac crudeliter in eos, vt Clitum, Parmenionem, Philotam, aliosque, consulebat. *Gracuius.*

20 *Parcendi victis filio animus et promtior et honestior*] Iuntina: *parcendi victis filio animus et promptior et honestior ille nec sociis abstinebat.* quod et in Sichardi et Colonienſi editione legi auctor est Vorstius. Et sane requirunt hoc patris et filii virtutes et vitia perpetuo sibi collata et opposita. *Graevius.*

LIBER X

BREVIARIVM CAPITVM

I *Artaxerxis filii in patrem conspirant. Sed, conspiratione detecta, parricidii poenas dant.*
II *Caussa parricidii ex multiplici libidine nata.*
III *Ochus, Artaxerxis successor, cognatorum principum strage regiam replet. Persicae Monarchiae finis.*

I

[1] Artaxerxi regi Persarum ex pellicibus centum et quindecim filii fuere, sed tres tantum iusto matrimonio susceptí. Darius, Ariarates, et Ochus. [2] Ex his Darium contra morem Persarum, apud quos rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater regem viuus fecit: [3] nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia maiestatis suae viuus in filio conspexisset. [4] Sed Darius, post noua paternae pietatis exempla, interficiendi patris consilium cepit. [5] Sceleratus, si solus parricidium cogitasset; tanto sceleratior, quod in societatem facinoris assumtos, quinquaginta fratres fecit parricidas. [6] Ostenti prorsus genus, vbi in tanto populo non solum sociari, verum etiam fileri

1 *Ariarates*] Iuntae: *Ariarchus*. Non longe abeunt MSS., in quibus: *Aralractus* et *Araratus*. Vindobonenſis: *Ariaractos*. Graeuius.

3 *gaudium ex procreatione* etc.] Apollon. Rhod. I Argon. 973 Παίδεσσιν ἀγαλλόμενος μεμάδοντο. et Cic. V de Fin. 23 *A procreatoribus diliguntur nati. Procreatio* Platoni de Legibus est ἐπιτελείωσις παίδων. Gronouius.

6 *in tanto populo*] Ouid. XI Met. 635 *As pater e populo natorum mille suorum Excitat* etc. Et Senec. Ep. 105 *Habet vnusquisque aliquem, cui tantum credit, quantum ipsi creditum est: vt garrulitatem suam custodiat, et contentus sit vnius auribus, populum faciet.* Id. I Nat. Quaest. 5 *Sunt quaedam speculа ex multis minutisque composita: quibus si vnum ostenderis hominem, populus apparet.* Et Plin. XXXV Nat. Hist. 2 *Semper defuncto aliquo, totus aderat familiae eius, qui vnquam fuerat, populus.* Gronouius.

ſileri parricidium potuit; vt ex quinquaginta liberis nemo inuentus ſit, quem aut paterna maieſtas, aut veneratio ſenis, aut indulgentia patris, a tanta immanitate reuocaret. [7] Adeone vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, vt, quorum praeſidio tutus etiam aduerſus hoſtes eſſe debuerat, eorum inſidiis circumuentus, tutior ab hoſtibus, quam a filiis, fuerit?

II

[1] Clauſſa parricidii ſceleratior ipſo parricidio fuit. [2] Occiſo quippe Cyro fraterno bello, cuius mentio ſupra habita eſt, Aſpaſiam, pellicem eius, rex Artaxerxes in matrimonium receperat. [3] Hanc patrem cedere ſibi, ſicuti regnum, Darius poſtulauerat: qui pro indulgentia ſua in liberos primo ſacturum ſe dixerat: [4] mox poenitentia ductus, vt honeſte negaret, quod temere promiſerat, Solis eam ſacerdotio praefecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur. [5] Hinc exacerbatus iuuenis, in iurgia primo patris erupit: mox facta cum fratribus coniuratione, dum patri inſidias parat, deprehenſus cum ſociis, poenas parricidii diis paternae maieſtatis vltoribus dedit. [6] Coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod veſtigium tanti ſceleris extaret, interfectae. [7] Poſt haec Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit, rex quam pater felicior.

III

[1] Hereditas regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum caede et ſtrage principum replet, nulla non ſanguinis, non ſexus, non aetatis, miſericordia permotus: ſcilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. [2] Atque ita veluti purificato regno bellum Caduſiis

fiis infert. 3 In eo cum aduerſus prouocatorem hoſtium Codomannus quidam omnium fauore proceſſiſſet, hoſte caeſo, victoriam ſuis pariter, et prope amiſſam gloriam reſtituit. 4 Ob haec decora idem Codomannus praeficitur Armeniis. 5 Interiecto deinde tempore, poſt mortem Ochi regis, ob memoriam priſtinae virtutis, rex a populo conſtituitur, Darii nomine, ne quid regiae maieſtati deeſſet, honoratus; 8 bellumque cum Alexandro Magno, diu variante fortuna, magna virtute geſſit. 7 Poſtremo victus ab Alexandro, et a cognatis occiſus, vitam pariter cum Perſarum regno finiuit.

LIBER XI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Occiso Philippo, Alexander Macedones in officio continet.*
II *Initia principatus Alexandri. Persas bello aggredi constituit.*
III *Graecos defectionem cogitantes coërcet.*
IIII *Thebas victis incolis euertit. Athenienſibus infeſtus.*
V *Saeuit in nouercae Iuae cognatos, et in conſanguineos ſuos, deinde bellum Perſicum aggreditur.*
VI *Diſciplinam militarem ordinat. Parua manu ingentia molitur. Perſas praelio ſuperat.*
VII *Inſidiis vitatis Gordium nodum fatalem callide ſoluit.*
VIII *Tauro monte tranſcenſo, in grauiſſimum morbum incidit, et ſanitati reſtituitur.*
VIIII *Ad alterum praelium apparatus. Atrox pugna. Strages Perſarum, et fuga Darii, cuius vxor, mater, filiae, captiuae ab Alexandro regie excipiuntur.*
X *Perſis ſuperatis, a Perſarum luxu Alexander ſuperatur. Nouae in Orientem victoriae. Tyrus expugnatur.*
XI *Prouinciis non paucis receptis, pergit ad Hammonis oraculum.*
XII *Darii regnum ambit, et pacem petenti recuſat.*
XIII *Tertii praelii inter Alexandrum et Darium circumſtantiae quaedam.*
XIIII *Eiusdem praelii deſcriptio. Perſae fugantur: victores praeda ingenti potiuntur.*
XV *Darius a ſuis vinctus et multis vulneribus confoſſus, ſalutem dicit Alexandro, et in morte regium animum prodit. Alexander Darii obitum fletu et regia ſepultura decorat.*

I

[1] In exercitu Philippi, ſicuti variae gentes erant, ita, eo occiſo, diuerſi motus animorum fuere. [2] Alii quippe iniuſta ſeruitute oppreſſi, ad ſpem ſe libertatis erigebant: [3] alii taedio longinquae militiae remiſſam ſibi expeditionem gaudebant: nonnulli facem, nuptiis filiae accenſam, rogo patris ſubditam dolebant. [5] Amicos quoque, tam ſubita mutatione rerum, haud mediocris metus ceperat, reputantes nunc prouocatam Aſiam;

[6] nunc

[6] nunc Europam nondum perdomitam; nunc Illyrios, Thracas, Dardanos, caeteraſque barbaras gentes fidei dubiae, et mentis inſidae. qui omnes populi ſi pariter deficiant, ſiſti nullo modo poſſe. [7] Queis rebus veluti medela quaedam interuentus Alexandri fuit; [8] qui pro concione ita vulgus omne conſolatus hortatuſque pro tempore eſt, vt et metum timentibus demeret, et ſpe omnes impleret. [9] Erat hic annos XX natus; in qua aetate ita moderate de ſe multa pollicitus eſt, vt appareret, plura eum experimentis reſeruare. [10] Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, praeter militiae vacationem, dedit: quo facto tantum ſibi fauorem omnium conciliauit, vt corpus hominis, non virtutem regis, mutaſſe ſe dicerent.

II

[1] Prima illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante omnia caedis conſcios ad tumulum patris occidi iuſſit. [2] ſoli Alexandro Lynciſtae fratri pepercit; ſeruans in eo auſpicium dignitatis ſuae. nam regem eum primus ſalutauerat. [3] Aemulum quoque imperii Caranum fratrem, ex noverca ſuſceptum, interfici curauit. [4] Inter initia multas gentes rebellantes compeſcuit: orientes nonnullas ſeditiones extinxit. [5] Quibus rebus erectus,

6 *reſiſti nullo modo poſſe*] MSS. *Siſti nullo modo poſſe*, hoc eſt, ſaluos eſſe non poſſe. Probat hoc dicendi genus et vindicat Gronou. ad Liu. IIII, 12: quem vide. *Graeuius.*

8 *ſpe omnes impleret*] Iuntae non abeunt a MSS. et editionum aliarum lectione: *in ſpem ſui omnes impelleret. Sui* tamen non agnoſcunt MSS., ſed aſſentior Berneccero. *Graeuius.*

2 *ſoli Alexandro Lynciſtae*] Lege, *Lynceſtae pepercit.* Alexander enim ille, qui ex Lynceſtia, regione vicina Macedoniae, erat, *Lynceſtus* dicebatur. Vnde apud Ouid. XV, 329 *Lynceſtius omnes.* Gronovius. Nihili eſt haec lectio *Lynciſtarum.* Scribe cum Iuntis et aliis antiquis libris et hic et inferius: *Lynceſtae.* Graeuius.

ctus, citato gradu in Graeciam contendit, vbi, exemplo patris Corinthum euocatis ciuitatibus, dux in locum eius substituitur. [6] Inchoatum deinde a patre Persicum bellum aggreditur. [7] in cuius apparatu occupato nuntiatur, Athenienses et Lacedaemonios ab eo ad Persas defeciſſe, auctoremque eius defectionis, magno auri pondere a Persis corruptum, Demosthenem oratorem extitiſſe: [8] qui Macedonum deletas omnes cum rege copias a Triballis affirmauerit, producto in concionem auctore, qui in eo praelio, in quo rex ceciderit, se quoque vulneratum diceret. [9] Qua opinione mutatos omnium ferme ciuitatium animos esse: praesidia Macedonum obsideri. [10] Quibus motibus occursurus, tanta celeritate instructo paratoque exercitu Graeciam oppreſſit, vt, quem venire non senserant, videre se vix crederent.

III

[1] In transitu hortatus Thessalos fuerat; beneficiorumque Philippi patris, maternaeque suae cum his sub Aeacidarum gente necessitudinis admonuerat. [2] Cupide haec Thessalis audientibus, exemplo patris dux vniuersae gentis creatus erat, et vectigalia omnia redituſque suos ei tradiderant. [3] Sed Athenienses, sicuti primi defecerant, ita primi poenitere coeperunt, [4] contemtum hostis in admirationem vertentes, pueritiamque Alexandri spretam antea, supra virtutem veterum ducum extollentes. [5] Missis itaque legatis, bellum deprecantur: quibus auditis et grauiter increpatis, Alexander bellum remisit.

7 Athenienses et Lacedaemonios] Iuntae: *Thebanos.* Nec aliter legendum esse sequentia declarant. *Graeuius.*

1 *maternaeque suae cum his sub Aeacidarum gente*] MS. Iuntae, et veteres editiones aliae: *ab Aeacidarum gente.* Hanc lectionem postulat Latinae linguae genius. Quid enim est, *necessitudo sub Aeacidarum gente?* Inepte quoque interpretatis sub Aeacidarum imperio. Mox Iuntae: *increpitis.* Graeuius.

remisit. [6] Inde Thebas exercitum conuertit, eadem indulgentia vsurus, si parem poenitentiam inueniſſet. [7] Sed Thebani armis, non precibus, nec deprecatione, vſi ſunt. Itaque victi, grauiſſima quaeque ſupplicia miſerrimae captiuitatis experti ſunt. [8] In conſilio cum de excidio vrbis deliberaretur, Phocenſes, et Plataeenſes, et Theſpienſes, et Orchomenii, Alexandri ſocii, victoriaeque participes, excidia vrbium ſuarum, crudelitatemque Thebanorum referebant; [9] ſtudia in Perſas non praeſentia tantum, verum et vetera, aduerſus Graeciae libertatem increpantes; [10] *Quamobrem odium eos omnium populorum eſſe: quod vel ex eo manifeſtari, quod iureiurando ſe omnes obſtrinxerint, vt victis Perſis Thebas diruerent.* [11] Adiiciunt et ſcelerum priorum fabulas, quibus omnes ſcenas repleuerint, vt non praeſenti tantum perfidia, verum et veterę infamia inuiſi forent.

IIII

[1] Tunc Cleadas vnus ex captiuis, data poteſtate dicendi: *non a rege ſe defeciſſe, quem interfectum audierint, ſed a regis heredibus:* [2] *quicquid in eo ſit admiſſum, credulitatis, non perfidiae, culpam eſſe; cuius tamen iam magna ſe ſupplicia pependiſſe, deleta iuuentute:* [3] *nunc ſenum feminarumque, ſicuti infirmum, ita innoxium reſtare vulgus, quod ipſum ſtupris contumeliiſque ita vexatum eſſe, vt nihil amarius vnquam ſint paſſi.* [4] *nec iam*

[1] *non a rege ſe defeciſſe*] Iſtud *ſe* in quatuor codicibus inuenerunt Oxonienſes, meritoque probante Scheffero reposuerunt, adſtipulante Iuntina. *Graeuius.*

[3] *vt nihil amarius vnquam ſint paſſi*] Non poſſum hoc loco probare codicis Anglicani, et qui eam laudant, ſcripturam. Ea vero haec eſt: *vt nihil amarius, quam ſint paſſi, deprecentur.* Plane haec adverſantur ſententiae huius orationis, quae haec eſt, feminas et ſenes ita ſtupris et contumeliis vexatos eſſe, vt nihil vllo tempore acerbius ſint paſſi; nec iam pro ciuibus ſe, tam paucis orare, qui ſuperſint, vt illis

pro ciuibus se, qui tam pauci remanserint, orare; sed pro innoxio patriae solo, et pro vrbe, quae non viros tantum, verum et deos, genuerit. [5] Priuata etiam regem superstitione deprecatur, geniti apud ipsos Herculis; vnde originem gens Aeacidarum trahat; actaque Thebis a patre eius Philippo pueritia. [6] rogat, *Vrbi parcat, quae maiores eius partim apud se genitos, deos adoret; partim educatos, summae maiestatis reges viderit.* [7] Sed potentior fuit ira, quam preces. Itaque vrbs diruitur: agri inter victores diuiduntur: captiui sub corona venduntur: [8] quorum pretium non ex mentium commodo, sed ex inimicorum odio, extenditur. [9] Miseranda res Athenienſibus visa. Itaque portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. [10] Quam rem ita grauiter tulit Alexander, vt secunda legatione denuo bellum deprecantibus, ita demum remiserit, vt oratores et duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur: [11] paratisque Athenienſibus, ne cogantur subire bellum, eo res reducta est, vt, retentis oratoribus, duces in exilium agerentur: [12] qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Persarum viribus accessere.

V

[1] Proficiscens ad Persicum bellum, omnes nouercae suae cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum prouehens, imperiis praefecerat, interfecit. [2] Sed nec suis, qui apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia seditionis, procul

illis parcatur, sed pro patriae solo. Haec liquida sunt; illa non obscura solum, sed aliena tum ab hoc loco, tum ab ipsa latina lingua. Quis enim sic loquitur? *ita vexatus sum, vt nihil amarius, quam sum passus, precer.* Aut si quis ita loqueretur, a quo intelligeretur? *Graeuius.*

11 *ne cogantur*] MS. Bongarſ. *ne haec cogantur.* Optime. Porro sic distingue, *paratisque Athenienſibus, ne haec cogantur, subire bellum, eo res* etc. *Gronouius.*

procul se agente, in Macedonia remaneret: [3] et reges stipendiarios conspectioris ingenii ad commilitium secum trahit: segniores ad tutelam regni relinquit. [4] Adunato deinde exercitu naues onerat: vnde conspecta Asia, incredibili ardore mentis accensus, duodecim aras deorum in belli vota statuit. [5] Patrimonium omne suum, quod in Macedonia, Europaque habebat, amicis diuidit, *sibi Asiam sufficere* praefatus. [6] Priusquam vlla nauis littore excederet, hostias caedit, petens victoriam bello, quo toties a Persis petitae Graeciae vltor electus sit: [7] quibus longa iam satis et matura imperia contigisse, quorumque tempus esse vices excipere melius acturos. [8] Sed nec exercitus eius alia, quam regis animorum praesumtio fuit: [9] quippe obliti omnes coniugum liberorumque, et longinquae domo militiae, Persicum aurum, et totius Orientis opes, iam quasi suam praedam ducebant, nec belli periculorumque, sed diuitiarum, meminerant. [10] Cum delati in continentem essent, primus Alexander iaculum velut in hostilem terram iecit; [11] armatusque de naui tripudianti similis prosiluit, atque ita hostias caedit; precatus, *ne se regem illae terrae inuitae accipiant.* [12] In Ilio quoque ad tumulos heroum, qui Troiano bello ceciderant, parentauit.

VI

[1] Inde hostem petens, milites a populatione Asiae prohibuit, *parcendum suis rebus* praefatus, *nec perdenda ea, quae possessuri venerint.* [2] In exercitu eius fuere peditum XXX duo millia, equitum quatuor millia quingenti, naues centum LXXXII. [3] Hac tam parua manu vniuersum terrarum orbem vtrum admirabilius vicerit, an aggredi ausus fuerit, incer-

6 *littore excederet*] Iuntae: *cederet*. Forte: *littori accederet*. Mox iidem et MS. *longinquae a domo militiae*. Graeuius.

3 *vtrum admirabilius vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est*] Sic rectissime Iuntina, vt iam ante legendum esse

incertum est. [4] Cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuuenes robustos, nec primum florem aetatis, sed veteranos, plerosque etiam emeritae militiae, qui cum patre patruisque militaverant, elegit: [5] vt non tam milites, quam magistros militiae, electos putares. [6] Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit: vt, si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscae reip. videre diceres. [7] Itaque nemo in praelio fugam, sed victoriam, cogitauit: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. [8] Contra rex Persarum Darius, fiducia virium, nil astu agere, affirmans suis, *occulta consilia victoriae furtiuae conuenire;* [9] nec hostem regni finibus arcere, sed in intimum regnum accipere: glorioſius ratus repellere bellum, quam non admittere. [10] Prima igitur congressio in campis Adrastiis fuit. [11] In acie Persarum sexcenta millia militum fuere; quae non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum superata, terga verterunt. Magna itaque caedes Persarum fuit. [12] De exercitu Alexandri nouem pedites, centum viginti equites cecidere; [13] quos rex impense, ad caeterorum exemplum, humatos statuis equestribus donauit, cognatisque eorum immunitates dedit. [14] Post victoriam maior pars Asiae ad eum defecit. [15] Gessit et plura bella cum praefectis Darii, quos iam non tam armis, quam terrore nominis sui, vicit.

VII

[1] Dum haec aguntur, interim indicio captiui ad eum defertur, insidias ei ab Alexandro Lyncista,

esse viderat doctissimus Vorstius. Vulgata est insulsissima. *Graeuius.*

6 *principia castrorum*] *Principia* hoc loco metonymice vsurpauit auctor pro ipsis principibus, qui alias *optimates castrorum* dicuntur. Vid. IIII Obseruat. 10. *Gronouius.*

10 *in campis Adrastiis fuit*] MS. *Adrastiis.* Iuntae: *Adrastiae.* vt Graecis: Ἀδραστείας πεδίον. Graeuius.

ciſta, genero Antipatri, qui praepoſitus Macedoniae erat, parari. [2] Ob quam cauſſam timens, ne quis interfecto eo, in Macedonia motus oriretur, in vinculis eum habuit. [3] Poſt haec Gordium vrbem petit, quae poſita eſt inter Phrygiam maiorem et minorem: [4] cuius vrbis potiundae non tam propter praedam cupido eum cepit, ſed quod audierat, in ea vrbe, in templo Iouis, iugum plauſtri Gordii poſitum; cuius nexum ſi quis ſoluiſſet, eum tota Aſia regnaturum, antiqua oracula ceciniſſe. [5] Huius rei cauſſa et origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bubus conductis araret, aues eum omnis generis circumuolare coeperunt. [6] Profectus ad conſulendos augures vicinae vrbis, obuiam in porta habuit virginem eximiae pulcritudinis; percontatus eam, quem potiſſimum augurem conſuleret: [7] illa audita cauſſa conſulendi, gnara artis ex diſciplina parentum, *regnum ei portendi*, reſpondit: polliceturque ſe et matrimonii et ſpei ſociam. [8] Tam pulcra conditio prima regni felicitas videbatur. [9] Poſt nuptias, inter Phrygas orta ſeditio eſt. [10] Conſulentibus de fine diſcordiarum, oracula reſponderunt, *regem diſcordiis opus eſſe*. [11] Iterato quaerentibus de perſona regis, iubentur eum regem obſeruare, quem reuerſi primum in templum Iouis euntem plauſtro reperiſſent. [12] Obuius illis

3 *Gordien*] Videtur auctor ſcripſiſſe *Gordium*. Vt Liu. XXXVIII, 19 *Poſtero die ad Gordium peruenit*. et Curt. III, 1 *Gordium nomen eſt vrbi*. Gronouius. Iuntae: *Gordicum*. Stephano Γορδίειον, aliis Γόρδιον. Dein: *Iugum plauſtri Gordii* apud eoſdem. *Graeuius*.

8 *tam pulcra conditio*] *Conditio* hic vſurpatur pro matrimonio, vt Plaut. Stych. I, 2. 81 *Quin vos capitis conditionem ex peſſuma primariam?* Id. Trucul. IIII, 3. 75 *Dicam vt aliam conditionem filio inueniat ſuo*. et Trinum I. 2. 122 *Habeo dotem vnde dem, Vt eam in ſe dignam conditionem collocem*. Gronouius.

11 *de perſona regis*] Nunquam *perſona* ſimpliciter ſic vſurpatur bonis ſcriptoribus. Sed *de perſona regis conſulentibus* eſt quaerentibus, cui *perſonam* regis ſint impoſituri. Sicut perſona conſulis eſt conſulis dignitas et munus. *Graeuius*.

Gordius fuit, ſtatimque eum regem conſalutant. [13] Ille plauſtrum, quo vehenti regnum delatum fuerat, in templo Iouis poſitum, maieſtati regiae conſecrauit. [14] Poſt hunc filius Mida regnauit, qui ab Orpheo ſacrorum ſolennibus initiatus, Phrygiam religionibus impleuit: quibus tutior omni vita, quam armis fuit. [15] Igitur Alexander capta vrbe cum in templum Iouis veniſſet, iugum plauſtri requiſiuit: [16] quo exhibito, cum capita loramentorum intra nodos abſcondita reperire non poſſet, violentius oraculo vſus, gladio loramenta caedit: atque ita reſolutis nexibus, latentia in nodis capita inuenit.

VIII

[1] Haec illi agenti nuntiatur, Darium cum ingenti exercitu aduentare. [2] Itaque timens anguſtias, magna celeritate Taurum transſcendit in qua feſtinatione quingenta ſtadia curſu fecit. [3] Cum Tarſum veniſſet, captus Cydni fluminis amoenitate, per mediam vrbem influentis, proiectis armis, plenus pulueris ac ſudoris, in praefrigidam vndam ſe proiecit. [4] Tum repente tantus neruos eius occupauit rigor, vt intercluſa voce non ſpes modo remedii, ſed nec dilatio periculi, inueniretur. [5] Vnus erat ex medicis, nomine Philippus, qui ſolus remedium polliceretur: ſed et ipſum Parmenionis pridie a Cappadocia miſſae epiſtolae ſuſpectum faciebant: [6] qui ignarus infirmitatis Alexandri, ſcripſerat, a Philippo medico caueret. nam corruptum illum a Dario ingenti pecunia eſſe. [7] Tutius tamen eſt ratus, dubiae ſe fidei medici credere, quam indubitato morbo perire. [8] Accepto igitur poculo, epiſtolas medico tradidit; atque ita inter bibendum

8 *epiſtolas*] Caue quicquam mutes. Nam *epiſtolae* Iuſtino ſaepius accipitur, vt literae, pro epiſtola. In Cap. 12 ter occurrit: *Darius cum Babylo-niam profugiſſet per epiſtolas Alexandrum deprecatur.* Loquitur autem de epiſtola prima. Mox: *Interiecto tempore aliae epiſtolae Darii Alexandro*

dum oculos in vultum legentis intendit. [9] Vt securum conspexit, laetior factus est, sanitatemque quarta die recepit.

VIIII

[1] Interea Darius cum quadringentis millibus peditum, ac centum millibus equitum in aciem procedit. [2] Mouebat haec multitudo hostium, respectu paucitatis suae, Alexandrum: sed interdum reputabat, quantas res cum ista paucitate gessisset, quantosque populos fudisset. [3] Itaque cum ipes metum vinceret, periculosius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumuectus suos, singulas gentes diuersa oratione alloquitur. [4] Illyrios et Thracas opum ac diuitiarum ostentatione; Graecos veterum bellorum memoria, interneciuique cum Persis odii, accendebat. [5] Macedones autem nunc Europae victae admonet, nunc Asiae expetitae: nec inuentas illis toto orbe pares vires gloriatur.

I 5 [6] Cae-

dro redduntur. Dein: *Scribit itaque et tertias, et gratias egit*, hoc est, tertiam epistolam. I, 7 *Lectis ille epistolis.* Atqui vnam tantum fuisse epistolam, caput praecedens ostendit. *Graeuius.*

3 *ne desperatio suis cresceret, circumuectus suos*] Num igitur iam in desperationem inciderant? Nam si tum nulla fuit desperatio, quomodo potuit crescere? Praeterea valde ingrata est istiusmodi repetitio *suis, suos*, in tam paucis verbis. Adstipulor igitur praestantissimo Scheffero, coniicienti legendum esse: *ne desperatio succresceret, circumuectus suos.* Graeuius.

5 *nec inuentos* etc.] Optime in antiquis editionibus legitur, *Inuentas illis toto orbe pares vires gloriatur.* At sic non modo auctor infra XXXI, 1 *Ne vno tempore duplici bello vires Romanae detinerentur.* Sed et Liu. I, 30 *Vt omnium ordinum viribus aliquid ex nouo populo adiiceretur.* Sed X, 14 *Ibi integrae vires fluunt in vehentem se iam Samnitem.* et Val. Max. I, 1, 15 *Maiore Romanarum virium parte.* vbi Pighius legi vult, *Romanorum virorum.* Sed contra libros scriptos. et Frontin. IIII Strat. 7. 6 *Naturam Romanarum virium per hoc vobis exemplum ostendi.* et Euseb in Chron. p. 184 *Romanae vires.* Gronouius. Sic ante Modium luntae. Sed probat Gronouius aliarum editionum scriptionem: *Nec inuentas*

[6] Caeterum et laborum finem hunc, et gloriae cumulum fore. [7] Atque inter haec identidem consistere aciem iubet, vt hac mora consuescant, oculis turbam hostium sustinere. [8] Nec Darii segnis opera in ordinanda acie defuit. Quippe omissis ducum officiis ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriae Persarum, imperiique perpetuae a diis immortalibus datae possessionis admonere. [9] Post haec praelium ingentibus animis committitur. in eo vterque rex vulneratur. Tamdiu certamen anceps fuit, quoad fugeret Darius. [10] Exinde caedes Persarum secuta est. Caesa sunt peditum vnum et sexaginta millia, equitum decem millia: capta quadraginta millia. Ex Macedonibus cecidere pedestres CXXX, equites CL. [11] In castris Persarum multum auri, caeterarumque opum inuentum. [12] Inter captiuos castrorum, mater, et vxor eademque soror, et filiae duae, Darii fuere. [13] Ad quas visendas hortandasque cum Alexander veniisset, conspectis armatis, inuicem se amplexae, velut statim morituae, complorationem ediderunt. [14] Prouolutae deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis deprecantur. [15] Motus tanta mulierum pietate Alexander, et Darium viuere dixit, et timentibus mortis metum demsit, easque haberi, vt reginas, praecepit. [16] Filias quoque non sordidius dignitate patris sperare matrimonium iussit.

X

[1] Post haec opes Darii, diuitiarumque apparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur.

inuentas illis toto orbe pares vires. hoc est, exercitum, qui illis par sit. vt superius: *Ne Lacedaemoniis illae vires accederent,* hoc est, *copiae.* Nec infrequenter eadem notione in aliis locis vsus est noster.

Postea, *haberi et salutari vt reginas* MS. Iuntae, et aliae editiones. *Graevius.*

8 *nec Darii segnis opera*] Sic optime Iuntina, cum Bongarsio, Vorstio et Scheffero. *Graevius.*

capitur. [2] Tunc primum luxurioſa conuiuia, et magnificentiam epularum ſectari: tunc Barſenen captiuam diligere propter formae pulcritudinem coepit. [3] A qua poſtea ſuſceptum puerum Herculem vocauit. [4] Memor tamen adhuc Darium viuere, Parmenionem ad occupandam Perſicam claſſem, alioſque amicos ad recipiendas Aſiae ciuitates miſit; [5] quae ſtatim audita fama victoriae, ipſis Darii praefectis cum auri magno pondere tradentibus ſe, in poteſtatem victorum venerunt. [6] Tunc in Syriam proficiſcitur: vbi obuios cum infulis multos Orientis reges habuit. [7] Ex his pro meritis ſingulorum alios in ſocietatem recepit: aliis regnum ademit, ſuffectis in loca eorum nouis regibus. [8] Inſignis praeter caeteros fuit Abdalonimus, rex ab Alexandro Sidoniae conſtitutus. [9] Quem Alexander, cum operam oblocare ad puteos exhauriendos, hortoſque irrigandos, ſolitus eſſet, miſere vitam exhibentem, regem fecerat, ſpretis nobilibus, ne generis id, non dantis, beneficium putarent. [10] Tyriorum ciuitas cum coronam auream magni ponderis per legatos in titulum gratulationis Alexandro miſiſſet, grate munere accepto, Tyrum ſe ire velle ad vota Herculi reddenda, dixit. [11] Cum legati rectius id eum in Tyro vetere et antiquiore templo facturum dicerent, in deprecantes eius introitum ita exarſit, vt vrbi excidium minaretur: [12] confeſtimque exercitu inſulae applicato, non minus animoſis Tyriis fiducia Carthaginienſium, bello excipitur. [13] Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quae Carthagine condita, tertiam partem orbis quaeſiſſet; turpe ducentes, ſi feminis ſuis plus animi fuiſſet in imperio quaerendo, quam ſibi in tuenda libertate. [14] Amota

2 *Barſenen*] Iuntae: *Barſinen* cum Arriano et Plutarcho. Dehinc: *Abdolonymus*. Mox; *applicito*, vt ſupra iidem. *Graeuius.*

3 *a qua*] Forte *e qua*. Gronouius.

13 *ducentes*] Scribe *ducentibus*: vt referatur ad praecedens *Tyriis*, non ad *animos*. Gronouius.

[14] Amota igitur imbelli aetate Carthaginem, et arceſſitis mox auxiliis, non magno poſt tempore per proditionem capiuntur.

XI

[1] Inde Rhodum Alexander, Aegyptum, Ciliciamque, ſine certamine recipit. [2] Ad Iouem deinde Hammonem pergit, conſulturus et de euentu futurorum, et de origine ſua. [3] Namque mater eius Olympias confeſſa viro ſuo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo ſe, ſed ex ſerpente ingentis magnitudinis, concepiſſe. [4] Denique Philippus vltimo prope vitae ſuae tempore, *filium ſuum non eſſe*, palam praedicauerat. [5] Qua ex cauſſa Olympiadem, velut ſtupri compertam, repudio dimiſerat. [6] Igitur Alexander cupiens originem diuinitatis acquirere, ſimul et matrem infamia liberare, per praemiſſos ſubornat antiſtites, quid ſibi reſponderi velit. [7] Ingredientem templum, ſtatim antiſtites vt Hammonis filium ſalutant. [8] Ille laetus dei adoptione, hoc ſe patre cenſeri iubet. [9] Rogat deinde, *An omnes interfectores parentis ſui ſit vltus?* reſpondetur, *Patrem eius nec poſſe interfici, nec mori: regis Philippi peractam plene vltionem eſſe.* [10] Tertiam interrogationem poſcenti, victoriam omnium bellorum, poſſeſſionemque terrarum dari, reſpondetur. [11] Comitibus quoque ſuis reſponſum, vt Alexandrum pro deo, non pro rege, colerent. [12] Hinc illi aucta inſolentia, miruſque animo increvit tumor, exemta comitate, quam et Graecorum litteris, et Macedonum inſtitutis, didicerat. [13] Reverſus ab Hammone, Alexandriam condidit, et coloniam Macedonum caput eſſe Aegypti iubet.

XII

6 *originem diuinitatis*] Forte *originis diuinitatem.* Gronouius.

XII

[1] Darius, cum Babyloniam profugiſſet, per epiſtolas Alexandrum deprecatur, redimendarum ſibi captiuarum poteſtatem faciat, inque eam rem magnam pecuniam pollicetur. [2] Sed Alexander in pretium captiuarum regnum omne, non pecuniam, petit. [3] Interiecto tempore, aliae epiſtolae Darii Alexandro redduntur, quibus filiae matrimonium et regni portio offertur. [4] Sed Alexander *ſua ſibi dari* reſcripſit, iuſſitque ſupplicem venire, et regni arbitria victori permittere. [5] Tum ſpe pacis amiſſa, bellum Darius reparat: cum quadringentis millibus peditum, et centum millibus equitum, obuiam vadit Alexandro. [6] In itinere nuntiatur, vxorem eius ex colliſione abiecti partus deceſſiſſe, eiuſque mortem illacrimatum Alexandrum, exequiaſque benigne proſecutum, idque eum non amoris, ſed humanitatis cauſſa feciſſe. [7] Nam ſemel tantum eam Alexandro viſam eſſe, cum matrem filiaſque eius paruulas frequenter conſolaretur. [8] Tunc

[2] *in pretium*] MS. Bongarſii praepoſitionem ignorat, quam et melius abeſſe opinor. *Gronouius.*

[7] *cum matrem filiaſque eius paruulas frequenter conſolaretur*] Qui *paruulae* potuerant dici, cum *adultas* dicat Curtius, Plutarchus θυγατέρας παρθένους, quarum alterutram, quam nimirum eligeret ipſe, Alexandro Darius obtulit, vt obſeruauit ampliſſimus vir Gisbertus Cuperus Obſeruat. lib. IIII c. 10. Cenſet is, aut Iuſtinum erraſſe, aut librarios oſcitaſſe, et foedam mendam huic loco adſperſiſſe: Iuſtinum vero ſcripſiſſe: *Cum matrem, filias, filiamque eius paruulum frequenter conſolaretur.* Hunc Curtius nondum ſextum aetatis annum, cum caperetur, egreſſum eſſe ſcribit lib. IIII cap. 14, eique Ocho nomen fuiſſe. vide in laudatis illis Obſeruationibus plura, quibus hic locus illuſtratur. Inter alia oſtendit, Curtium ſentire cum Iuſtino, cum Darii vxorem viſam ſemel tantum ab Alexandro tradit, quamuis in alia ſit ſententia Plutarchus et Appion Pliſtonices, qui tradant ex epiſtola Alexandri, nunquam ab Alexandro viſam fuiſſe Darii vxorem. quae epiſtola ſi genuina ſit, merito ei potius credendum eſſe, quam aliis auctoribus, vere ait Cuperus. Sed alii viro ſummo [Vorſtio] non poſſum adſtipulari, qui

frequen-

[8] Tunc Darius se ratus vere victum, cum post tot praelia etiam beneficiis ab hoste superaretur, gratumque sibi esse, si vincere nequeat, quod a tali potissimum vinceretur. [9] Scribit itaque et tertias epistolas, et gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. [10] Offert deinde maiorem partem regni vsque flumen Euphraten, et alteram filiam vxorem; pro reliquis captiuis triginta millia talentum. [11] Ad haec Alexander, *Gratiarum actionem ab hoste supervacaneam esse*, respondit: [12] *nec a se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia, quaereret:* [13] *sed animi magnitudine, qua didicerit aduersus vires hostium, non aduersus calamitates, contendere;* [14] polliceturque, *praestaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi, velit.* [15] *Caeterum neque mundum posse duobus solibus regi: neque orbem summa duo regna saluo statu terrarum habere:* [16] *proinde aut deditionem ea die, aut in posteram, aciem paret: nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus, victoriam.*

XIII

[1] Postera die aciem producunt. Tum repente ante praelium confectum curis Alexandrum somnus arripuit. [2] Cum ad pugnam solus rex deesset, a Parmenione aegre excitatus, quaerentibus somni causas omnibus inter pericula, cuius etiam in otio

frequenter hic positum existimat, pro *multis praesentibus*, cum τῷ *frequenter* hic non opponatur *solus*, sed *semel*. Graevius.

frequenter] Hic *frequenter* est saepe, vt constat ex oppositione τῷ *semel*, *cum matrem filiasque eius paruulas frequenter consolaretur*. Graeuius.

14 *praestaturum se ea Dario*] MSS. *praesentaturum*. Vnde Gronouius, *polliceturque repraesentaturum*. Vid. I de Pecun. Vett. 8. *Graeuius*.

2 *cum etiam in otio semper parcior fuerit*] Rescripsi cum Iuntis, *cuius*, vti legendum coniecerat Bongarsius. Sueton. in Caesar. *vini parcissimus*. Graeuius.

otio semper parcior fuerit: [3] *Magno se aestu liberatum*, ait, *somnumque sibi a repentina securitate datum, quod liceat cum omnibus Darii copiis confligere: veritum se longam belli moram, si Persae exercitum diuisissent.* [4] Ante praelium vtraque acies hostibus spectaculo fuit. [5] Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem, armorumque pulcritudinem mirabantur: Persae, a tam paucis victa suorum tot millia, stupebant. [6] Sed nec duces circumire suos cessabant. [7] Darius vix denis armatis singulos hostes, si diuisio fieret, euenire dicebat. [8] Alexander Macedonas monebat, *Ne multitudine hostium, nec corporis magnitudine, vel coloris nouitate, monerentur: tantum meminisse iubet, cum iisdem se tertio pugnare;* [9] *nec meliores factos putarent fuga, cum in aciem secum tam tristem memoriam caedium suarum, et tantum sanguinis duobus praeliis fusi ferrent:* [10] *et quemadmodum Dario maiorem turbam hominum esse, sic virorum sibi.* [11] Hortatur, *Spernant illam aciem auro et argento fulgentem, in qua plus praedae, quam periculi sit: cum victoria non armorum decore, sed ferri virtute, quaeratur.*

XIIII

[1] Post haec praelium committitur. Macedones in ferrum cum contemtu toties a se victi hostis ruebant: contra Persae mori, quam vinci, praeoptabant. [2] Raro vllo praelio tantum sanguinis fusum est. [3] Darius cum vinci suos videret, mori voluit et ipse; sed a proximis fugere compulsus est. [4] Suadentibus deinde quibusdam, vt pons Cydni fluminis, ad iter hostium impediendum, intercideretur;

9 *caedium suarum*] Forte *caedis suorum*. Gronouius.

11 *armorum*] Lege, *ornamentorum*. Gronouius.

4 *vt pons Cydni fluminis - intercluderetur*] Acidalius pulchre vidit, hanc lectionem ferri non posse, et acute coniecit legendum esse *intercideretur*.

quod

retur; *Non ita se saluti suae velle consultum* ait, *vt tot millia sociorum hosti obiiciat: debere et aliis fugae viam patere, quae patuerit sibi.* [5] Alexander autem periculosissima quaeque aggrediebatur; et vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper ingerebat, periculaque sua esse, non militum, volebat. [6] Hoc praelio Asiae imperium rapuit, quinto post acceptum regnum anno; [7] cuius tanta felicitas fuit, vt post hoc nemo rebellare ausus sit: patienterque Persae post imperium tot annorum iugum seruitutis acceperint. [8] Donatis refectisque militibus XXXIIII diebus praedam recognouit. [9] In vrbe deinde Susa XXXX millia talentum inuenit. [10] Expugnat et Persepolim, caput Persici regni, vrbem multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum spoliis, quae interitu eius primum apparuere. [11] Inter haec DCCC admodum Graeci occurrunt Alexandro, qui poenam captiuitatis truncata corporis parte tulerant, rogantes, vt sicuti Graeciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret. [12] Data potestate redeundi, agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum, reportarent.

XV

[1] Interea Darius in gratiam victoris a cognatis suis, aureis compedibus cateniſque in vico Parthorum Thara vincitur. [2] Credo, ita diis immortalibus iudicantibus, vt in terra eorum, qui successuri imperio

quod cum in Iuntina nunc repererim, nullus dubitaui recipere in ipsum contextum. Pro *Cydno* legendum esse *Lyco*, docti quoque viri praeceperunt. *Graeuius.*

8 *recognouit*] Seneca Ep. 83 *Et quod est vtilissimum, dient meum recognoscam* et Epist. 110 *Et alia, quae res suas recognoscens summi imperii fortuna protulerat.* Gronouius.

9 *in vrbe deinde Susa*] Lege *Susis.* Propert. *Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis.* Gronouius. Iuntae: *Susis.* Optime. Sic enim meliores scriptores Graeci et Latini. *Graeuius.*

2 *credo ita diis immortalibus iudicantibus*] Forte Trogus

imperio erant, Persarum regnum finiretur. [3] Alexander quoque citato cursu postera die superuenit: ibique cognouit, Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. [4] Iusso itaque exercitu subsequi, cum sex millibus equitum fugientem insequitur: in itinere multa et periculosa praelia facit. [5] Emensus deinde multa millia passuum, cum nullum Darii indicium reperisset, respirandi equis data potestate, vnus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc inuenit: [6] qui applicito captiuo, cum ciuem ex voce cognouisset, *Id saltem praesentis fortunae solatium habere se* dixit, *quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus.* [7] Perferri haec Alexandro iubet, *Se nullis in eum meritorum officiis maximorum illi debitorem mori, quod in matre liberisque suis, regium eius, non hostilem, animum expertus, felicius hostem, quam cognatos, sortitus sit:* [8] *quippe matri et liberis suis ab eodem hoste vitam datam: sibi a cognatis ereptam, quibus et vitam, et regna dederit:* [9] *Quamobrem gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet.* [10] *Alexandro referre se, quam solam moriens potest, gratiam: precari superum inferumque numina, et regales deos, vt illi terrarum omnium victori contingat imperium.* [11] *Pro se instam magis, quam grauem, sepulturae veniam*

gus scripsit, *indicantibus, qui successuri imperio essent, cum in terra eorum* etc. Vt Liu. l, 55 *Inter principia condendi huius operis, mouisse numen ad indicandam tanti imperii molem traditur deos.* Gronouius.

Varie hic locus sollicitatur a viris doctis. Nolim tamen MSS. fidem impugnari. Sententia haec est: ita dii immortales iudicauerunt seu decreuerunt, vt finiretur Persicum regnum in terra eorum, qui successuri erant imperio. Fuisse scilicet hoc singulare dei iudicium, et decretum, vt Darius in Parthorum agro interficeretur. *Gracuius.*

veniam orare. [12] *Quod ad vltionem pertineat, iam non ſuam, ſed exempli, communemque omnium regum eſſe cauſſam, quam negligere, illi et indecorum et periculoſum eſſe: quippe cum in altero iuſtitiae eius, in altero etiam vtilitatis, cauſſa verſetur.* [13] *In quam rem vnicum pignus fidei regiae, dextram ſe ferendam Alexandro dare.* Poſt haec porrecta manu exſpirauit. [14] Quae vbi Alexandro nuntiata ſunt, viſo corpore defuncti, tam indignam illo faſtigio mortem lacrimis proſecutus eſt; [15] corpuſque regio more ſepeliri, et reliquias eius maiorum tumulis inferri, iuſſit.

12 *iam non ſuam, ſed exempli* etc.] Scribe, *eam non ſuam, ſed exempli* etc. *Gronouius.*

LIBER XII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Alexandri in retinendo milite sollertia. Graeci bellum, absente Alexandro, reparant.*
II *Alexander, rex Epiri, Italiam turbat, et tandem in pugna cadit. Scythae Alexandri praefectum et exercitum internecione delent.*
III *Alexandri simulatio, ambitio, cum Thalestri concubitus, luxus et profusiones.*
IIII *Qua ratione Macedones tumultuantes in officio continuerit.*
V *In domesticos suos ferum stringit et nova ratione aduersarios vlciscitur, populos maltos subigit, et Bessum, Darii interfectorem, de medio tolli curat.*
VI *In conuiuio mactat Clitum amicum, quem frustra desiderat peccati sera poenitentia ductus.*
VII *Ad ingenium reuersus, in prudentes consiliarios saeuit: ad Orientem statuit imperii limites. Bacchi vestigiis delectatur: Herculisque gesta superare contendit.*
VIII *Porum, praelio superatum, regie excipit et dimittit: multis populis expugnatis quierem exercitui concedere velle videtur.*
VIIII *Bellum instaurat. In Sugambrorum vrbe de vita certat et periclitatur.*
X *Ab amicis periculo ereptus, Oceanum lustrat: terminos imperii statuit: praefectos vita priuat, et ad nuptias applicat animum.*
XI *Liberalitas, munificentia, et seueritas eiusdem.*
XII *Qua ratione Macedones seditiosos ad officium reuocauerit. Hephaestionis obitus et tumulus.*
XIII *Dum occidentales prouinciae manus porrigunt, Alexander in letalem morbum incidit Babylonem pergens.*
XIIII *Alexander Antipatri artibus veneno extinguitur.*
XV *Alexandri moribundi nouissima verba.*
XVI *Eiusdem Alexandri Magni elogium.*

I

[1] Alexander in persequendo Dario amissos milites magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditionis eius sociis tredecim millia talentum diuisit. [2] Equorum maior pars aestu amissa, inutilesque etiam, qui superfuerant, facti. [3] Pecunia omnis centum nonaginta millia talentum Ec-

batana congesta, eique Parmenio praepositus. [4] Dum haec aguntur, epistolae Antipatri e Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis, regis Spartanorum, in Graecia; bellum Alexandri, regis Epiri, in Italia; bellum Zopyrionis, praefecti eius, in Scythia, continebatur. [5] Quibus varie affectus, plus tamen laetitiae cognitis mortibus duorum aemulorum regum, quam doloris, amissi cum Zopyrione exercitus, suscepit. [6] Namque post profectionem Alexandri, Graecia ferme omnis, in occasionem recuperandae libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedaemoniorum secuta, [7] qui Philippi Alexandrique pacem soli spreuerant et leges respuerant. [8] Dux huius belli Agis, rex Lacedaemoniorum, fuit. quem motum Antipater, contractis militibus, in ipso ortu oppressit. [9] Magna tamen vtrinque caedes fuit. [10] Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, vt Alexandro felicitate, non virtute, inferior videretur, tantam stragem hostium edidit, vt agmina interdum fugaret. [11] Ad postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

II

4 *bellum Sopyrionis praefecti eius in Scythia continebatur*] Iuntae: *Zopyrionis praefecti eius in Scythia mors contmebatur.* Graecis Ζωπυρίων appellatur. *Graeuius.*

6 *auctoritatem* etc.] Auctoritas hoc loco notat consilium, vt apud Caesarem I de B. C. 35 *Debere eos Italiae totius auctoritatem sequi potius, quam vnius hominis voluntati obtemperare.* Idem de Bell. Afric. 40 *Animaduertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque, qui partim eius auctoritatem erant ex Gallis secuti.* Liuius XXXVII, 12 *Multis nobilibus secutis inter cetera auctoritatem Pisistrati, quae inter suos merito maxima erat.* Cic. X Fam. Ep. 10 *Legionesque duae de exercitu Antonii ad eius se auctoritatem contulissent.* Idem XIII, 12 *Secutus auctoritatem meam.* M. Seneca Controu. VIIII, f *Ego te genui, ego diuitias docui contemnere, sequere auctoritatem meam.* Curtius VIIII, 7 *Non tam imperii cupidine, quam in patriam reuertendi cum iis, qui auctoritatem ipsius sequebantur.* Caeterum paullo post legendum videtur, *Philippi Alexandrique et pacem* etc. *Gronouius.*

II

[1] Porro Alexander, rex Epiri, in Italiam a Tarentinis, auxilia aduersus Brutios deprecantibus, sollicitatus, ita cupide profectus fuerat, veluti in diuisione orbis terrarum, Alexandro, Olympiadis sororis suae filio, Oriens, sibi Occidens sorte contigisset; [2] non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Asia, et in Persis, habiturus. [3] Huc accedebat, quod, sicut Alexandro Magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonaei Iouis vrbem Pandosiam, amnemque Acherusium praedixerat. [4] Quae vtraque cum in Epiro essent, ignarus eadem et in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula, peregrinam militiam cupidius elegerat. [5] Igitur, cum in Italiam veniisset, primum illi bellum cum Appulis fuit: [6] quorum cognito vrbis fato, breui post tempore pacem et amicitiam cum rege eorum fecit. [7] Erat namque tunc temporis vrbs Appulis Brundusium, quam Aetoli, sequuti tum fama rerum in Troia gestarum clarissimum ac nobilissimum ducem Diomedem, condiderant: [8] sed pulsi ab Appulis, consulentes oracula, responsum acceperant, *locum, quem repetissent, perpetuo possessuros.* [9] Hac igitur ex caussa, per legatos cum belli comminatione, restitui sibi ab Appulis vrbem postulauerant. [10] Sed vbi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatos in vrbe sepelierunt, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso, diu vrbem possederunt. [11] Quod factum cum cognouisset Alexander,

3 *ita huic responsum Dodonaei Iouis vrbem Pandosiam, amnemque Acherusium praedixerat*] Sequor Anglos, qui hic ex codicibus antiquis reposuerunt: *ita huic responsum Dodonaei Iouis circa vrbem Pandosiam, amnemque Acherusium praedixerat.* scilicet *insidias*, quod ἀπὸ κοινοῦ repetendum. In vulgata nullus est sensus, quod et elegantissimus Faber animaduertit, et acute *circa* inserendum esse coniecit, quod postea Angli in suis membranis inuenerunt. *Gronovius.*

der, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abſtinuit. [12] Geſſit et cum Brutiis Lucaniſque bellum; multaſque vrbes cepit: tum et cum Metapontinis, et Pediculis, et Romanis, foedus amicitiamque fecit. [13] Sed Brutii Lucanique, cum auxilia a finitimis contraxiſſent, acrius bellum repetiuere. [14] Ibi rex iuxta vrbem Pandoſiam, et flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine, quam occideret, interficitur; morienſque, non in patria fuiſſe ſibi periculoſam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. [15] Corpus eius Thurii publice redemtum ſepulturae tradiderunt. [16] Dum haec aguntur in Italia, Zopyrion quoque, praefectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, otioſum ſe ratus,

14 *morienſque, non in patria fuiſſe ſibi periculoſam mortem*] *Periculoſa mors* quid ſit nemo dixerit. Mortui omnibus periculis ſumus defuncti. Quod morte nos afficit, aut propius admouet morti, periculoſum eſt, vt iter, expeditio, praelium, luctus, morbus, et quae ſunt mille alia. Sed ipſa mors non poteſt dici periculoſa. Vnius litterae peruerſio hunc locum turbauit, qui reſtitutus erit, ſi legas: *morienſque non in patria fuiſſe ſibi periculoſum ſortem.* hoc eſt, periculoſum oraculum, periculum non in patria ſibi impendere. In principio capitis dixit *fatorum periculi.* *Ad declinanda*, inquit, *fatorum pericula peregrinam militiam cupidius elegerat.* Iam vero in Italia didicit, non in patria ſuiſſe illa fatorum pericula, ſed in Brutiis ſortem illam ſibi fuiſſe periculoſam. *Sors* eſt oraculum: propria tabula in ciſta condita, cui ſitterae erant inſcriptae, quae a conſulentibus extrahebatur, quales erant Praeneſtinae ſortes, de quibus Cic. II de diuin. 41 *Ex illa olea arcam eſſe factam, in eaque conditas ſortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur.* Dein *ſors* pro quouis oraculo, ſeu reſponſo oraculi. Cic. eod. libro: *Sors illa edita eſt Croeſo: Croeſus Halyn penetrans magnam peruertet opum vim.* Suet. Veſpaſ. *Apud Iudaeam Carmeli dei oraculum ita confirmauere ſortes.* Claud. de bello Getico:

O ſemper tacita ſortes ambage maligne.

Tò *ſors* autem in aliis quoque locis in *mors* tranſiſſe, vitio et inſcitia librariorum, docuit ſummus vir et amicus Nicolaus Heinſius ad Faſtos Ouidianos, magno rei litterariae detrimento annos ante aliquot nobis ereptus, quem merito luget orbis eruditus. Et hanc emendationem me probaſſe memini, qui etiam in notis ad Ouidii Faſtos oſtendit, in antiquis membranis confundi *mors* et *ſors.* Graeuius.

ratus, si nihil et ipse gessisset, adunato XXX millium exercitu, Scythis bellum intulit: [17] caesusque cum omnibus copiis, poenas temere illati belli genti innoxiae luit.

III

[1] Haec cum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato moerore, propter Alexandri cognationem, exercitui suo triduum luctum indixit. [2] Omnibus deinde, velut perpetrato bello, reditum in patriam exspectantibus coniugesque ac liberos suos animo iam quodammodo complectentibus, ad concionem exercitum vocat: [3] ibi, *Nihil actum tot egregiis praeliis*, ait, *si incolumis Orientalis barbaria relinquatur: nec se corpus, sed regnum Darii, petisse; persequendosque esse eos, qui a regno defecerint.* [4] Hac oratione velut ex integro incitatis militum animis, Hyrcaniam, Mardosque subegit. [5] Ibi ei occurrit Thalestris siue Minithaea, Amazonum regina, cum CCC mulieribus, XXV dierum inter infestissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quaesitura: [6] cuius conspectus aduentusque admirationi omnibus fuit, et propter insolitum feminis habitum, et propter expetitum concubitum: [7] Ob hoc tredecim diebus otio a rege datis, vt visa est vterum implesse, discessit. [8] Post haec Alexander habitum regum Persarum, et diadema insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum, quos vicerat, transiret, assumit. [9] Quae ne inuidiosius in se vno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam purpureamque sumere iubet. [10] Vt luxum quoque, sicuti cultum, Persa-

1 *exercitui suo triduum luctum*] Iuntae cum MS. aliisque editionibus: *triduo*. Cap. 4 *Ob hanc illi quatriduo perseuerata inedia est*. Sed nec *triduum* improbandum. *Graeuius.*

5 *Thalestris siue Minithea*] Dele cum Iuntis *siue Minithea*. Eodem modo Iuntae lib. XI, 4 *Harum Thalestris regina*. Graeuius.

10 *vt luxum*] Ante *vt*, forte excidit particula *et*. Gronouius.

rum imitaretur, inter pellicum regiarum greges electae pulcritudinis nobilitatisque, noctium vices diuidit. [11] His rebus ingentes epularum apparatus adiicit, ne ieiuna et destructa luxuria videretur, conuiviumque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat: [12] immemor prorsus, tantas opes amitti his moribus, non quaeri, solere.

IIII

[1] Inter haec indignatio omnium totis castris erat, a Philippo illum patre tantum degenerauisse, vt etiam patriae nomen eiuraret, moresque Persarum assume-

11 *ne ieiuna et destructa luxuria videretur*] Interpretes hic silent. Vellem tamen docuissent, quid sit *destructa luxuria*. Magnus is mihi erit Apollo, qui tam abstrusam notionem eruerit. Sed etui non potest, quae non est. Interpolarunt hanc vocem. Iustinus aut Trogus scripsit: *ne ieiuna et restricta luxuria videretur*. *Restricta* est parca, cum nulli sumtus fiunt in voluptates, epulas, delicias. Tacit. XV, 18 *Sed procul grauitas morum, aut voluptatum parsimonia, lenitati ac magnificentiae, et aliquando luxui indulgebat. Idque pluribus probabatur, qui in tanta voluptatum dulcedine fruendum imperium non restrictum, nec perseverum volunt. Imperium restrictum* est voluptatum abstinens, quod nullos sumtus facit in voluptates. Cic. III ad Fam. 8 *Si de tua prolixa beneficaque natura limauit aliquid posterior annus propter quandam tristitiam temporum, non debent mirari homines, cum et natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, et temporibus, quibus alii monentur, iisdem ego monear.* Vbi vides *restrictior* esse parcior. In hoc sensu legitur et *adstrictus* apud Iustinum lib. XXXXIIII, 1 *Dura omnibus et adstricta parcimonia*. Propert. II el. 23

Differet haec numquam, nec poscet garrula, quae te
Adstrictus ploret saepe dedisse pater.

Adstrictus pater est attentus ad rem, nimis diligens. *Graevius.*

1 *patriae nomen eiuraret*] *Eiurare nomen patriae* idem est quod Tacitus dicit IIII Hist. 29 *Eiurare patriam*. sic et *eiurare liberos ac parentem* Seneca dixit Consolat. ad Marciam. *Nomen patriae* est *patria*, vt *nomen agelli* apud Valer. Cat. in Idiris, agellus; et inferius XIII, 6 *Philippi Alexandrique nomina* est Philippus et Alexander; et multa sunt huius generis alia exempla. *Graevius.*

assumeret, quos propter tales mores vicerat. [2] Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur; militibus quoque suis permisit, si quarum captiuarum consuetudine tenerentur, ducere vxores: [3] existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium, ac domesticae sedis: [4] simul et laborem militiae molliorem fore dulcedine vxorum. [5] In supplementa quoque militum, minus exhauriri posse Macedoniam, si veteranis patribus tirones filii succederent: [6] militaturi in vallo, in quo essent nati; constantioresque futuri, si non solum tirocinia, verum et incunabula, in ipsis castris posuissent. [7] Quae consuetudo in successores quoque Alexandri manfit. [8] Igitur et alimenta pueris statuta; et instrumenta armorum equorumque iuvenibus data; et patribus, pro numero filiorum, praemia statuta. [9] Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrum trahebant; quorum pueritia inter varias expeditiones, militia erat. [10] Itaque a paruula aetate periculis laboribusque indurati, inuictus exercitus fuere: neque castra aliter, quam patriam, neque pugnam aliud vnquam, quam victoriam, duxere. [11] Haec soboles nomen habuit Epigoni. [12] Parthis deinde domitis, praefectus his statuitur ex nobilibus Persarum Andragoras: vnde postea originem Parthorum reges habuere.

V

[1] Interea Alexander non regio, sed hostili, odio saeuire in suos coepit. [2] Maxime indignaba-

K 5 tur,

[8] *praemia statuta*] Liu. I, 20 *Stipendium de publico statuit.* et Tacit. XIII Ann. 34 *Annio Cottae, et Haterio Antonino annuam pecuniam statuit princeps.* et Apuleius VII Metam. *Nec mihi misera statuta cibaria pro tantis praestabantur laboribus.* et Matth. Euang. XXVI, 15 Ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια. *Gronouius.*

tur: carpi se sermonibus suorum, Philippi patris, patriaeque mores subuertisse. [3] Propter quae crimina, Parmenion quoque senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de vtroque prius quaestionibus habitis, interficitur. [4] Fremere itaque omnes vniuersis castris coepere, innoxii senis filiique casum miserantes; interdum, se quoque non debere melius sperare, dicentes. [5] Quae cum nuntiata Alexandro essent, verens, ne haec opinio etiam in Macedoniam diuulgaretur, et ne victoriae gloria, saeuitiae macula infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriae nuntios missurum. [6] Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros occasionem, propter militiam remotiorem. [7] Datos fasces epistolarum tacite ad se deferri iubet: [8] ex quibus cognito de se singulorum iudicio, in vnam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumturus eos, aut in vltimis terris in colonias distributurus. [9] Inde Drancas, Euergetas, Parymas, Parapammenos, Adaspios, caeterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit. [10] Interea vnus ex amicis Darii Bessus, vinctus perducitur, qui regem non solum prodiderat, verum et interfecerat. [11] Quem in vltionem perfidiae excruciandum fratri Darii tradidit; reputans, non tam hostem suum fuisse Darium, quam amicum eius, a quo esset occisus. [12] Et vt his terris nomen relinqueret, vrbem Alexandriam

2 *carpi se*] Iuntae aeque vt Vindobonensis omittunt *se*, et rectius abest. *Graeuius.*

10 *perducitur*] Tacit. I Hist. 25 *E libertis Onomastum futuro sceleri praefecit, a quo Barbium Proculum Tesserarium speculatorum, et Veturium Optionem eorundem perductos pretio et promissis onerat.* Caes. VIII de B. G. 38 *Cuturuatus omnium cura quaesitus in castra perducitur.* et Curt. III, 3 *Quod Alexandrum, depesita regia veste in Persico et vulgari habitu perductum esse vidisset.* Idem VIII, 13 *Triginta elephanti simul capti perducuntur.* Liu. Epit. CXXXI *Antonius Artuasdem fide data perductum, in vincula coniici iussit.* Cod. Theod. VIII Tit. V L. 53 *Nisi animalia perducta fuerint.* Gronouius.

driam super amnem Tanaim condidit, intra diem septimum decimum muro VI millium passuum consummato, translatis eo trium ciuitatum populis, quas Cyrus condiderat. [13] In Bactrianis quoque Sogdianisque XII vrbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat.

VI

[1] His ita gestis, solenni die amicos in conuiuium vocat. [2] Vbi orta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione, praeferre se patri ipse, rerumque suarum magnitudinem extollere caelo tenus coepit, assentante maiore conuiuarum parte. [3] Itaque, cum vnus e senibus Clitus, fiducia amicitiae regiae, cuius palmam tenebat, memoriam Philippi tueretur, laudaretque eius res gestas; adeo regem offendit, vt, telo a satellite rapto, eundem in conuiuio trucidauerit. [4] Qua caede exultans, mortuo patrocinium Philippi, laudemque paternae militiae obiectabat. [5] Postquam satiatus caede animus conquieuit, et in irae locum successit aestimatio, modo personam occisi, modo caussam occidendi considerans, pigere eum facti coepit: [6] quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, quam nec conuicia debuisset; amicumque senem et innoxium, a se occisum inter epulas et pocula, dolebat. [7] Eodem igitur furore in poenitentiam, quo pridem in iram, versus, mori voluit. [8] Primum in fletus progressus amplecti mortuum, vulnera tractare, et quasi audienti confiteri dementiam; arreptum telum in se vertit; peregissetque facinus, nisi

[5] *in irae locum successit aestimatio*] Ex veteribus editionibus restituit *existimatio* Gronouius. vid. eum ad Liu. XXXIIII, 2. *Graeuius.*

[7] *in iram versus*] Liu. XXV, 36 *Tot a patiendo exspectandoque euentum in impetum atque iram versi.* et Liu. Epit. L. *Versus in senectam.* et ipse auctor XXVI, 2 *Non in timorem, sed in furorem versi.* et XXVII, 2 *Versi in misericordiam naufragii.* Gronouius.

niſi amici interueniſſent. [9] Manſit haec voluntas moriendi etiam ſequentibus diebus. [10] Acceſſerat enim poenitentiae nutricis ſuae et ſororis Cliti recordatio, cuius abſentis eum maxime pudebat: [11] tam foedam illi alimentorum ſuorum mercedem redditam, vt, in cuius manibus pueritiam egerat, huic iuuenis, et victor, pro beneficiis funera remitteret. [12] Reputabat deinde, quantum in exercitu ſuo, quantum apud deuictas gentes fabularum atque inuidiae, quantum apud caeteros amicos metum et odium ſui fecerit: [13] quam amarum et triſte reddiderit conuiuium ſuum; non armatus in acie, quam in conuiuio terribilior. [14] Tunc Parmenion et Philotas, tunc Amyntas conſobrinus, tunc nouerca fratreſque interfecti: tunc Attalus, Eurylochus, Pauſanias, aliique Macedoniae extincti principes, occurrebant. [15] Ob haec illi quatriduo perſeuerata inedia eſt, donec exercitus vniuerſi precibus exoratus eſt, precantis, *Ne ita mortem vnius doleat, vt vniuerſos perdat:* [16] *quos in vltimam deductas Barbariam, inter infeſtas et irritatas bello gentes, deſtituat.* [17] Multum profuere Calliſthenis philoſophi preces, condiſcipulatu apud Ariſtotelem familiaris illi et tunc ab ipſo rege ad prodenda memoriae acta eius accitus. [18] Reuocato igitur ad bellum animo, Choraſmos et Dahas in deditionem accepit.

VII

[1] Deinde, quod primo ex Perſico ſuperbiae regiae more diſtulerat, ne omnia pariter inuidioſiora

15 *perdat*] Forte *prodat*. Vt XVIIII, 3 *Sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat inter boſtium exercitus relictos morte ſua proderet.* et Muſonius apud Stobaeum Serm. CLVIII Τοῖς μέντοι φίλοις καὶ νῦν συνέμεν ἐν τοῖς γε ἀληθινοῖς καὶ ἐν προσήκει ποιεῖσθαί τινα λόγον· ὁ γὰρ ἐν ὅτοι προδοθεὶν ποτε ἡμᾶς. *Gronouius.*

1 *primo*] Recte MSS. *in primo*. Vid. Not. ad Liu. X, 14. *Gronouius.*

siora essent, non salutari, sed adorari, se iubet. [2] Acerrimus inter recusantes Callisthenes fuit. Quae res et illi, et multis principibus Macedonum exitio fuit; siquidem sub specie insidiarum omnes interfecti. [3] Retentus tamen est a Macedonibus mos salutandi regis, explosa adoratione. [4] Post haec Indiam petit, vt Oceano, vltimoque Oriente, finiret imperium. [5] Cui gloriae vt etiam exercitus ornamenta conuenirent, phaleras equorum, et arma militum, argento inducit; exercitumque suum, ab argenteis clypeis, Argyraspidas appellauit. [6] Cum ad Nysam vrbem venisset, oppidanis non repugnantibus fiducia religionis Liberi patris, a quo condita vrbs erat, parci iussit: laetus non militiam tantum, verum et vestigia se dei sequutum. [7] Tunc ad spectaculum sacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis, vite, hederaque non aliter vestiti, quam si manu cultus, colentiumque industria exornatus esset. [8] Sed exercitus eius, vbi ad montem accessit, repentino impetu mentis, in sacros dei vlulatus instinctus, cum stupore regis, sine noxa discurrit: vt intelligeret, non tam oppido se parcendo, quam exercitui suo consuluisse. [9] Inde montes Daedalos, regnaque Cleotidis reginae, petit. Quae cum se dedisset ei, concubitu redemtum regnum ab Alexandro recepit; illecebris consecuta, quod virtute non potuerat: [10] filiumque ab eo genitum, Alexandrum nominauit. qui postea regnum Indorum

7 *vite hederaque non aliter vestiti*] Cic. Orat. pro dom. 38 *Ager vestitus frumento.* et II de Nat. D. 39 *Terra floribus vestita.* Ibid. 53 *Montes vestiti atque syluestres.* Hinc *vestitus montium densissimi.* Ibid. 64 et Sallust. Iugurt. 48 *Collis vestitus oleastro ac myrtetis, aliisque generibus arborum.* et Seneca III de Benef. 29 *Tolle radicem, numera non surgent: nec tanti montes vestientur.* Gronouius.

8 *non tam oppidanis se parcendo*] Recepi hanc lectionem ex MSS. et Iuntarum editione, in qua tamen desideratur *se.* Liquet ex praecedentibus: *Cum ad Nysam vrbem venisset oppidanis non repugnantibus, fiducia religionis Liberi patris, a quo condita vrbs erat, parci iussit.* Graeuius.

Indorum potitus est. [11] Cleofis regina, propter prostratam pudicitiam, scortum regium ab Indis exinde appellata est. [12] Peragrata India, cum ad saxum mirae asperitatis et altitudinis, in quod multi populi confugerant, peruenisset, cognoscit, Herculem ab expugnatione eiusdem saxi terrae motu prohibitum. [13] Captus itaque cupidine, Herculis acta superare, cum summo labore ac periculo potitus saxo, omnes eius loci gentes in deditionem accipit.

VIII

[1] Vnus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine, viribus corporis, et animi magnitudine pariter insignis; [2] qui bellum iam pridem, audita Alexandri opinione, in aduentum eius parabat. [3] Commisso itaque praelio, exercitum suum Macedonas inuadere iubet; sibi regem eorum priuatum hostem deposcit. [4] Nec Alexander pugnae moram fecit: sed prima congressione vulnerato equo, cum praeceps ad terram decidisset, concursu satellitum seruatur. [5] Porus multis vulneribus obrutus capitur. [6] Qui victum se adeo doluit, vt, cum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit: aegreque sit ab eo obtentum, vt vellet viuere. [7] Quem Alexander ob honorem virtutis incolumem in regnum remisit. [8] Duas ibi vrbes condidit: vnam Nicaeam, alteram

6 cum veniam ab hoste inuenisset] Admisi hoc ex luntis et editionibus pristinis, pro vulgato *accepisset*. *Inuenire* enim eleganter saepe sic vsurpatur. Superius III, 7 *Atque vnde periculum quaesitum fuerat, ibi maximam gloriam inuenit*. Terent. Andria: *Ita facillime sine inuidia laudem inuenias*. Heauton. *Labore inuenta mea cui dem bona*. Similiter apud Graecos, cum sacros, tum τὰς ἱερὰς scriptoras ἐυρίσκειν. *Gracilius*.

8 Nicaeam] luntae *Niceam*. et statim pro *Bucephalen* iidem, vt Plutarchus, *Bucephaliam*. Mox in illa editione tribuitur: *Andrasteas, Assacenos, Prasios, Gandarias*. *Assaceni* populus Indiae inter Cophem et Indum fluuios, teste Strabone et Arriano: Τὰ μὲν Ἰνδῶν ποταμῶ, inquit hic, τὰ πρὸς ἑσπέραν ἐπὶ τὸν ποταμὸν Κωφῆνα Ἀσσακηνοὶ κα)

ram ex nomine equi Bucephalen vocauit. [9] Inde Adreſtas, Geſteanos, Praeſidas, Gangaridas, caeſis eorum exercitibus, expugnat. [10] Cum ad Cuphites veniſſet, vbi eum ducentis millibus equitum hoſtes operiebantur, exercitus omnis, non minus victoriarum numero, quam laboribus feſſus, lacrimis eum deprecatur; [11] *Finem tandem belli faceret; aliquando patriae, reditusque meminiſſet; reſpiceret militum annos, quibus vix aetas ad reditum ſufficeret.* [12] oſtendere alius canitiem, alius vulnera, alius aetate conſumta corpora, alius cicatricibus exhauſta: [13] *Solos ſe eſſe, qui duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam pertulerint.* [14] Tandem orare, *Vt reliquias ſaltem ſuas paternis ſepulcris reddat, quorum non ſtudiis deficiatur, quam annis.* [15] *Ac ſi non militibus, vel ipſe ſibi parcat, ne*

καὶ Ἀσσακανοὺς ἔθνεα ἰνδικὰ ἐπολιόρκησεν. Aſſacenorum caput erat Maſſaga. Pro *Praſios* ſcribendum *Praeſios*. Sic a Plutarcho appellantur. Pro *Gandarias* vero *Gandaritas*. Graecis Γανδαρίτης. *Graeuius.*

9 *Gangaridas*] Iuntae: *Gandaridas*. Graeuius.

10 *vbi eum hoſtium ducenta millia equitum operiebantur*] Odoratus et Schefferus vitium huius loci inueteratum. Id vero Iuntinae ſubſidio tolles, ſi cum illa legeris: *Vbi eum cum CC millibus equitum hoſtes operiebantur.* Sane *hoſtium* et *equitum* non poſſunt hic in eodem loco morari recte. In fine capitis blanditur quidem coniectura Schefferi, *quorum munitionibus* legentis, pro vulgato *quorum molitionibus*; id tamen reſcribendum non eſt, verum exponendum, quorum caſtrorum ſtructura, vel, vt Latinius dicam, operibus. *Meliri caſtra*, pro ponere, metari, non inſolens veteribus, ſicut *moliri vrbem* apud Virg. pro condere. *Graeuius.*

12 *alius canitiem*] *Alius* hic intelligendum perinde ac ſi *alii* ſcriptum eſſet, vt *miles* pro *militibus*, et mille talia. Alii igitur oſtendebant canos, alii vulnera, alii ſenilia, alii vulneribus, quorum ſigna cicatrices erant, exhauſta corpora. Sic hic locus explicandus, ne ab omnium ſcriptorum editorumque librorum lectione recedamus. Poſſet etiam auctoritate firmari aliorum ſcriptorum, ſi res exigeret. *Graeuius.*

15 *ac ſi non militibus*] Melius Iuntae: *At ſi non militibus.* Graeuius.

vel ipſe ſibi parcat] Caue hic viros doctiſſimos audias, *Ipſe ſibi parcat*, minime eſt interpolandum. Sic enim ſemper fere Cicero optimique ſcripto-

ne fortunam ſuam nimis onerando fatiget. [16] Motus his tam iuſtis precibus, velut in finem victoriae, caſtra ſolito magnificentiora fieri iuſſit, quorum molitionibus et hoſtis terreretur, et poſteris admiratio ſui relinqueretur. [17] Nullum opus milites laetius fecere. Itaque caeſis hoſtibus, cum gratulatione in eadem reuerterunt.

VIIII

[1] Inde Alexander ad amnem Aceſinem pergit: per hunc in Oceanum deuehitur. [2] Ibi Hiacenſanas Sileoſque, quos Hercules condidit, in deditionem accepit. [3] Hinc in Ambros et Sugambros nauigat. Quae gentes eum armatis LXXX millibus peditum, et LX millibus equitum excipiunt. [4] Cum praelio victor eſſet, exercitum ad vrbem eorum ducit. [5] Quam deſertam a defenſoribus, cum de muro, quem primus ceperat, animaduertiſſet, in vrbis planitiem ſine vllo ſatellite deſiliit. [6] Itaque cum eum hoſtes ſolum conſpexiſſent, clamore edito, vndique concurrunt, ſi poſſint in vno capite orbis bella finire, et vltionem tot gentibus dare. [7] Nec minus Alexander conſtanter reſtitit, et vnus aduerſus tot

ſcriptores' loquuntur, vt 'ad ipſum Tullium pluribus oſtendi', et ante me alii quoque, pro quo vulgus dicit, *ipſi ſibi parcat.* Graeuius.

ne fortunam etc.] Eadem ratione Lactant. ad Stat. II Theb. 689 *Parce deis. Nam qui immoderate ſua felicitate vtitur, fauentes ſibi deos fatigat.* et M. Seneca Controu. I, 8 *Quid fatigatae felicitati moleſtius eſt?* et Quintil. Decl. CCLXI *Fortuna ſolet fatigari.* et Curt. V, 3 *Ne victoriae indulgentiam fatigaret.* et Euripid. Rheſ. 584 Ἡμῖν δ' ὁ βιαστὴς τέχνη. *Gronouius.*

17 *in eadem reuerterunt*] In molitione caſtrorum nulli erant hoſtes, ſed cum iam moliti eſſent caſtra, ex illis in hoſtem prodierunt, et poſt victoriam hoſtibus caeſis, cum magna gratulatione in illa reuerterunt. Qui poterant dici, *in caſtra reuertiſſe*, niſi ex iis in hoſtem mouentes prodiiſſent? Acuti Sebiſii coniectura, quae multos in ſuſpicionem corruptionis adduxit, non eſt admittenda. *Graeuius.*

2 *Hiacenſanas Sileoſque*] Iuntae cum MS. *Geſonas Sibiſque.* Graeuius.

ut millia praeliatur. [8] Incredibile dictu est, vt eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit; solus tot millia ceciderit ac fugauerit. [9] Vbi vero obrui multitudine se vidit, truncо se, qui tum propter murum stabat, applicuit. [10] cuius auxilio tutus, cum diu agmen sustinuisset, tandem cognito periculo eius, amici ad eum desiliunt: ex quibus multi caesi: [11] praeliumque tamdiu anceps fuit, quoad omnis exercitus, muris deiectis, in auxilium veniret. [12] In eo praelio sagitta sub mamma traiectus, cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tam diu praeliatus est, donec eum, a quo vulneratus fuerat, occideret. [13] Curatio vulneris grauior ipso vulnere fuit.

X

[1] Itaque ex magna desperatione tandem saluti redditus, Polyperchonta cum exercitu Babyloniam mittit. Ipse cum lectissima manu nauibus conscensis, Oceani littora peragrat. [2] Cum venisset ad vrbem Ambigeri regis, oppidani inuictum ferro audientes, sagittas veneno armant: atque ita gemino mortis vulnere, hostem a muris summouentes, plurimos interficiunt. [3] Cum inter multos vulneratus etiam Ptolemaeus esset, morituruſque iamiam videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in potu accepta, statim periculo liberatus est; maiorque pars exercitus hoc remedio seruata. [4] Expugnata deinde vrbe, reuersus in naves, Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus; [5] ac veluti curru circa metam acto, positis imperii terminis, quatenus aut terrarum solitudines prodire passae sunt, aut mare nauigabile fuit, secundo aestu ostio fluminis Indi inuehitur.

[11] *muris deiectis*] Iuntae: fuisse perfractos dolabris. *Graeuius.* Quod mihi arridet, quamuis alii codices muros

vehitur. [6] Ibi in monumenta rerum a se gestarum, vrbem Barcen condidit; arasque statuit, relicto ex numero amicorum, littoralibus Indis praefecto. [7] Inde iter terrestre facturus, cum arida loca medii itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri praecipit, quibus ingenti dulci aqua inuenta, Babyloniam redit. [8] Ibi multae deuictae gentes praefectos suos accusauerunt: quos sine respectu amicitiae, Alexander in conspectu legatorum necari iussit. [9] Filiam post haec Darii regis, Statiram, in matrimonium recepit: [10] sed et optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, vt communi facto crimen regis leuaretur.

XI

[1] Hinc ad concionem exercitum vocat; et promittit, se aes alienum omnium propria impensa soluturum, vt praedam praemiaque integra domos ferant. [2] Insignis haec munificentia non summa tantum, verum etiam titulo muneris fuit, nec a debitoribus magis, quam a creditoribus gratius excepta: quoniam vtrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat. [3] XX millia talentum in hos sumtus expensa. [4] Dimissis veteranis, exercitum iunioribus supplet. [5] Sed retenti veteranorum discessum aegre ferentes, militionem et ipsi flagitabant: nec annos, sed stipendia sua numerari iubebant: pariter in militiam lectos, pariter sacramento solui aequum censentes: [6] nec iam precibus, sed conuicio agebant, iubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quatenus milites suos fastidiat. [7] Contra ille nunc castigare milites, nunc lenibus

6 in monumenta] Scribe *monumenta*, omissa praepositione. Plaut. Curcul. III, 69 - *Ibi nunc statuam vult dare auream Solidam faciundam ex auro Philippaeo, quae sit Stempedalis, factis monumentum suis.* et Liu. I, 55 *Vt Iouis templum in monte Tarpeio, monumentum regni sui nominisque relinqueret.* Gronouius.

lenibus verbis monere, ne glorioſam militiam ſeditionibus infuſcarent. [8] Ad poſtremum, cum verbis nihil proficeret; ad corripiendos ſeditionis auctores, e tribunali in concionem armatam inermis ipſe deſiliit, et nemine prohibente, tredecim correptos, manu ſua ipſe ad ſupplicia duxit. [9] Tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi ſupplicii conſtantiam diſciplina militaris dabat.

XII

[1] Inde ſeparatim auxilia Perſarum in concione alloquitur. [2] Laudat perpetuam illorum, tum in ſe, tum in priſtinos reges fidem; ſua in illos beneficia commemorat; *Vt nunquam quaſi victos, ſed veluti victoriae ſocios habuerit: denique ſe in illorum, non illos in gentis ſuae morem tranſiſſe: affinitatibus connubiorum victos victoribus miſcuiſſe.* [3] *Nunc quoque*, ait, *cuſtodiam corporis ſui non Macedonibus tantum ſe, verum et illis crediturum.* [4] Atque ita mille ex his iuuenes in numerum ſatellitum legit. auxiliorum quoque portionem, formatam in diſciplinam Macedonum, exercitui ſuo miſcet. [5] Quam rem aegre Macedones tulerunt, iactantes, hoſtes ſuos in officium ſuum a rege ſubiectos. [6] Tunc vniuerſi flentes, regem adeunt: orant, *ſuppliciis ſuis potius ſaturet ſe, quam contumeliis.* [7] Qua modeſtia obtinuerunt, vt vndecim millia militum veteranorum exauctoraret. [8] Sed ex amicis dimiſſi ſenes, Polyperchon, Clitus, Gorgias, Polydamas, Amadas, Antigenes. [9] Dimiſſis his Craterus praeponitur, iuſſus praeeſſe Macedonibus in Antipatri locum, Antipatrumque cum ſupplemento tironum in locum eius euocat: [10] ſtipendia reuertentibus, veluti militantibus, data. [11] Dum haec aguntur, vnus ex amicis eius Ephaeſtion decedit, dotibus primo formae pueritiaeque, mox obſequiis, regi percarus: [12] quem contra decus regium Alexander diu luxit: tumulumque ei XII mil-

lium talentorum fecit; eumque post mortem coli vt deum iussit.

XIII

[1] Ab vltimis littoribus Oceani Babyloniam reuertenti nuntiatur, legationes Carthaginiensium, caeterarumque Africae ciuitatium, sed et Hispaniarum, Siciliae, Galliae, Sardiniae, nonnullas quoque ex Italia, eius aduentum Babyloniae operiri. [2] Adeo vniuersum terrarum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctae gentes, veluti destinato sibi regi adularentur. [3] Hac igitur ex caussa Babyloniam festinanti, veluti conuentum terrarum orbis acturo, quidam ex magis praedixit, ne vrbem introiret, testatus hunc locum ei fatalem fore. [4] Ob hoc omissa Babylonia, in Borsippam vrbem trans Euphratem, desertam olim, concessit. [5] Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum magorum praedicta contemnere, vt falsa et incerta; et si fatis constent, ignota mortalibus: at si naturae debeantur, immutabilia. [6] Reuersus igitur Babyloniam, multis diebus otio datis, intermissum olim conuiuium solenniter instituit: [7] totusque in laetitiam effusus, cum diei noctem peruigilem iunxisset, recedentem iam e conuiuio Medius Thessalus, instaurata comessatione, et ipsum et sodales eius inuitat. [8] Accepto poculo, media potione repente veluti telo confixus, ingemuit: [9] elatusque e conuiuio

4 *in Borsiam vrbem trans Euphratem*] Isaacus Vossius ὁ πάνυ coniecit ὑπερῴκως corrigendum, *Borsippam*. Sic sane legitur apud Iuntas. *Graeuius.*

7 *Medius Thessalus*] Ita Athen. X Deipnos. p. 434 Ὅτι παρὰ Μήδειῳ τῷ Θετταλῷ δειπνῶν Ἀλέξανδρος, εἴκοσιν ὅσιν ἐν τῷ συμποσίῳ, πᾶσιν προὔπιεν. et Plutarch. Demet. p. 896 Μήδιος Ἀντιγόνῳ φίλος. Idem de discr. Adul. et Amici p. 65 ὁ Μήδιος τῷ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον χορῷ τῶν κολάκων οἷον ἡγεμὼν ἦν. Vid. ibid. de animi tranq. p. 472. *Gronouius.* Pridem Leopardus [Emend. XVII, 10] et Bongarsius hunc locum emendarunt, approbantibus Iuntis, qui scribunt: *Medius.* Sic enim Arriano, Plutarcho, et Diodoro, discitur. *Graeuius.*

conuiuio ſemianimis, tanto dolore cruciatus eſt, vt ferrum in remedia poſceret, tactumque hominum velut vulnera indoleſceret. [10] Amici cauſſam morbi intemperiem ebrietatis diſſeminauerunt: re autem vera inſidiae fuerunt, quarum infamiam ſucceſſorum potentia oppreſſit.

XIIII

[1] Auctor inſidiarum Antipater fuit; qui cum cariſſimos amicos eius interfectos videret: Alexandrum Lynciſtam, generum ſuum, occiſum: [2] ſe magnis rebus in Graecia geſtis, non tam gratum apud regem, quam inuidioſum eſſe; [3] a matre quoque eius Olympiade variis ſe criminationibus vexatum. [4] Huc accedebant ante paucos dies ſupplicia in praefectos deuictarum nationum crudeliter habita. [5] Ex quibus rebus ſe quoque a Macedonia non ad ſocietatem militiae, ſed ad poenam, euocatum arbitrabatur. [6] Igitur ad occupandum regem, Caſſandrum filium dato veneno ſubornat, qui cum fratribus, Philippo et Iolla, miniſtrare regi ſolebat: [7] cuius veneni tanta vis fuit, vt non aere, non ferro, non teſta, contineretur, nec aliter ferri, niſi in vngula equi, potuerit: praemonito filio, ne alii, quam Theſſalo, et fratribus, crederet. [8] Hac igitur ex cauſſa apud Theſſalum paratum repetitumque conuiuium eſt. [9] Philippus et Iollas praeguſtare ac temperare potum regis ſoliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam praeguſtatae iam potioni ſupermiſerunt.

XV

[1] Quarta die Alexander indubitatam mortem ſentiens, *Agneſcere ſe fatum domus maiorum*

10 *oppreſſit*] Forte *ſuppreſſit*. Gronouius

1 *Alexandrum Lynciſtarum*] Reſcripſi ex luntis: *Alexandrum Lynciſtam*. Apud quos tamen *Lynciſten* hic conſpicitur formatione Graeca. *Graeuius*.

quaerunt. [12] Sexto die praecluſa voce, exemtum digito anulum Perdiccae tradidit: quae res gliſcentem amicorum diſſenſionem ſedauit. [13] Nam etſi non voce nuncupatus heres, iudicio tamen electus, eſſe videbatur.

XVI

[1] Deceſſit Alexander, menſem vnum, annos tres et triginta natus; vir ſupra humanam potentiam magnitudine animi praeditus. [2] Qua nocte eum mater Olympias concepit, viſa per quietem eſt cum ingenti ſerpente volutari: nec decepta ſomnio

ſimis temporibus bonos ad regiam dignitatem non euexiſſe populares ambitionem, ſed ſpectatam moderationem. Quid autem hic ſit *tacitus fauor*, non intelligo. Forte ſcripſit Iuſtinus, *tacite*. Adulabantur vulgo principes, nec tamen prae ſe ferebant verbis, regiam dignitatem, ac ſucceſſionem ſe ambire, ſed et blandis verbis, ac donis quoque tacite vel taciti fauorem militum quaerebant, qui deſiderabatur ad id conſequendum, quod poſtea palam eſſent oſtenſuri. Idem eſt, ac ſi ſcripſiſſet Iuſtinus, omni ſtudio nituntur militum fauorem ſibi comparare clam et tacite, hoc eſt, ſine profeſſione illius cauſſae, cur tantopere illorum animos ſibi velint conciliari. *Graeuius.*

13 *iudicio tamen*] Sebiſii coniecturam hic minime poſſum laudare. Nam *iudicium* hic eſt extremum iudicium, extrema voluntas. Sententia haec eſt: etſi voce non eſſet heres declaratus, videbatur tamen haec eſſe voluntas extrema Alexandri, Perdiccam ſuum debere heredem eſſe, cui anulum regium tradiderat. Sic ſuperius lib. V, 3 *Cyro iudicium patris iniuria videbatur*, hoc eſt, extrema patris voluntas, ſiue tabulis ſcriptis, ſiue voce, ſiue ſigno data. Hunc locum iam dudum attulit Berneccerus, et alia ad eum notauit, vt mirer poſtea quoque viros doctos hic haeſitaſſe. *Graeuius.*

2 *cum ingenti ſerpente volutari*] MSS. aeque vt luntae, *voluptari*. Sic et Quintil. declam 3, quae inſcribitur Miles Marianus: *tribunus inter ſcorta voluptabitur*. Sic MS. Lipſii, vulgo *volutabitur*. Et Apul. VIIII Metamorph. *Cum ſuis adulteris voluptatur*. ſic MSS. et primae editiones, vt notarunt viri eruditi, vbi quoque in vulgatis, *volutabitur*. Probo tamen vbique lectionem editorum librorum. Nam *volutari* ſaepe de rebus Venereis dicitur, vt exempla docent apud ampliſſi-

suorum ait: *nam plerosque Aeacidarum intra trigesimum annum defunctos.* [2] Tumultuantes deinde milites, insidiis periisse regem suspicantes, ipse sedauit, eosque omnes, cum prolatus in editissimum vrbis locum esset, ad conspectum suum admisit, osculandamque dextram suam flentibus porrexit. [3] Cum lacrimarent omnes, ipse non sine lacrimis tantum, verum etiam sine vllo tristioris mentis argumento, fuit, vt quosdam impatientius dolentes consolatus sit: quibusdam mandata ad parentes eorum dederit: [4] adeo, sicuti in hostem, ita et in mortem inuictus animus fuit. [5] Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur, *Videanturne similem sibi reperturi regem?* [6] Tacentibus cunctis, tum ipse, *Vt hoc nesciat, ita illud scire, vaticinarique se, ac paene oculis videre* dixit, *quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis caedibus, quo cruore mortuo sibi parentatura* [7] Ad postremum, corpus suum in Hammonis templo condi iubet. [8] Cum deficere eum amici viderent, quaerunt, *Quem imperii faciat heredem:* respondit, *Dignissimum.* Tanta illi magnitudo animi fuit, vt, cum Herculem filium, cum fratrem Aridaeum, cum Roxanen vxorem praegnantem, relinqueret; oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet heredem. [10] Prorsus quasi nefas esset viro forti alium quam virum fortem succedere; aut tanti regni opes aliis, quam probatis, relinqui. [11] Hac voce veluti bellicum inter amicos cecinisset, aut malum discordiae misisset, ita omnes in aemulationem consurgunt, et ambitione vulgi tacitum fauorem militum quaerunt.

8 *dignissimum*] Eodem quoque modo apud Stobaeum Serm. CXXXXVIIII Κότυς ὁ τῶν Θρακῶν βασιλεὺς ἐρωτηθεὶς, τίνι καταλιμπάνεις τὸ βασίλειον; ἔφη, τῷ δυναμένῳ. *Gronouius.*

11 *et ambitione vulgi tacitum* etc.] Non capiunt, quid sit *ambitio vulgi.* In libro sequente Cap. 3 vocatur *adulatio vulgi*, qua scil. vulgi fauorem, seu popularem auram captant proceres, qui prensant et ambiunt dignitates. cuius et meminit I, 1, cum ait, antiquissimis

est. nam profecto maius humana mortalitate opus vtero tulit: [3] quam cum Aeacidarum gens ab vltima saeculorum memoria, et regna patris, fratris, mariti, ac deinceps maiorum omnium, illustrauerint: nullius tamen nomine, quam filii, clarior fuit. [4] Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu nonnulla apparuere. [5] Nam ea die, qua natus est, duae aquilae tota die praepetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii, Europae Asiaeque praeferentes. [6] Eadem quoque die nuntium pater eius duarum victoriarum accepit; alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat: quod omen vniuersarum terrarum victoriam infanti portendebat. [7] Puer acerrimis litterarum studiis eruditus fuit. [8] Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotele, doctore inclyto omnium philosophorum, creuit. [9] Accepto deinde imperio

amplissimum Cuperum Obseru. III, 10. *Graeuius.*

maius humana mortalitate opus vtero tulit] Scribe: *maius humana mortalitate onus vtero tulit. Onus* enim dicitur saepissime onus vteri, foetus. Ouidius: *Tendit onus matrem.* Exempla sunt obuia, et vel sexcenta apud solum Ouidium reperias. *Graeuius.*

5 *praepetes*] Optime membranae Fuldenses: *perpetes.* superius lib. V *perpeti nocte.* Cum tamen viri docti tuentur vulgatam, velim mihi explicent, quid sibi velint hic *praepetes.* Sed *tota die perpetes*, est tota die perpetuo sederunt in illo culmine, vt nusquam se hinc mouerent. Plaut. Amph. I, 1

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item vnam, verberatus quam pependi perpetem.

Graeuius.

6 *alterius, belli Illyrici*] Forte legendum: *eadem quoque die nuntios pater eius d. vict. accepit: alterum belli Illyrici, alterum* etc. *Gronouius.*

7 *puer acerrimis*] Iuntae: *puer acerrimus.* Optime. Florus IIII, 4 *Antonius praelatum sibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis susceperat bellum.* hoc est, *sollertissimi.* Graeuius.

perio, *Regem se terrarum omnium ac mundi* appellari iussit: [10] tantamque fiduciam sui militibus fecit, vt, illo praesente, nullius hostis arma nec inermes timuerint. [11] Itaque cum nullo hostium vnquam congressus est, quem non vicerit; nullam vrbem obsedit, quam non expugnaverit: nullam gentem adiit, quam non calcaverit. [12] Victus denique ad postremum est, non virtute hostili, sed insidiis suorum, et fraude ciuili.

LIBER XIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Luctus post Alexandri Magni excessum: Macedonum ingratitudo: ducum ambitio, militumque auaritia.*
II *De Alexandri successore, ducum exercitus sententiae pugnantes.*
III *Perdiccae sententiae reclamant pedites: vnde tumultus et seditio; cui Perdicca prudenter medetur.*
IIII *Aridaeo rege designato, Perdicca et alii duces seu principes prouincias diuidunt.*
V *Bellum pro Graeciae libertate ab Athenienſibus et Aetolis reparatum. Demoſthenis pro patria labores: Antipatri obſidio et liberatio.*
VI *Perdicca Cappadoces praelio fatigat. Bellum inter Antigonum et Perdiccam. Ptolemaei ſolers induſtria.*
VII *De origine vrbis Cyrenes digreſſio.*
VIII *Ptolemaeus bellum parat in Perdiccam. Eumenis res fortiter et feliciter geſtae.*

I

[1] Extincto in ipso aetatis ac victoriarum flore Alexandro Magno, triste apud omnes tota Babylone silentium fuit. [2] Sed nec deuictae gentes fidem nuntio habuerunt, quod vt inuictum regem, ita immortalem esse crediderant: [3] recordantes, quoties praesenti morte ereptus esset; quam saepe pro amisso, repente se non sospitem tantum suis, verum etiam victorem, obtulisset. [4] Vt vero mortis eius

2 *quod vt inuictum regem, ita immortalem esse crediderant*] Nihil poterat dici rotundius, nil venustius. Illae deuictae gentes, cum Alexandrum ex omnibus praeliis et periculis victorem ac sospitem euasisse audirent, crediderant vtique inuictum esse regem et nulla humana vi posse superari; et quia illum inuictum esse persuasum habebant, putabant quoque immortalem esse, et ne a morte quidem subigi posse. Non hoc credebant gentes, cum illis bellum inferret Alexander, alioquin manus cum eo non conseruissent; sed postquam ab illo deuictae audierant eum vbique inuictum esse, nusquam offendisse. Nihil in hoc acumine quod reprehendant, vel χριτικώτατοι Rhetores reperient. *Gracuius.*

eius fides adfuit, omnes barbarae gentes, paullo ante ab eo deuictae, non vt hostem, sed vt parentem, luxerunt. [5] Mater quoque Darii regis, quam, amisso filio, a fastigio tantae maiestatis in captiuitatem redactam, indulgentia victoris, in eam diem vitae non poenituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa consciuit; [6] non quod hostem filio praeferret, sed quod pietatem filii in eo, quem vt hostem timuerat, experta esset. [7] Contra Macedones versa vice, non vt ciuem, ac tantae maiestatis regem, verum vt hostem amissum, gaudebant: seueritatem nimiam, et assidua belli pericula execrantes. [8] Huc accedebat, quod principes regnum et imperia, vulgus militum thesauros et grande pondus auri, velut inopinatam praedam, spectabant: illi successionem regni, hi opum ac diuitiarum hereditatem, cogitantes. [9] Erant enim in thesauris quinquaginta millia talentum, et in annuo vectigali tributo tricena millia. [10] Sed nec amici Alexandri frustra regnum spectabant. nam eius virtutis ac venerationis erant, vt singulos reges putares. [11] Quippe ea formae pulcritudo, et proceritas corporis, et virium ac sapientiae magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, sed ex toto terrarum

5 *sibi ipsa consciuit*] Vulgus diceret, *sibi ipsi*. Sed vt Trogus, ita et optimi quique locuti fuerunt. Cic. in Bruto 12 *Cum se ipse defenderet*. et de opt. gen. Orat. 3 *Quoniam se ipse consulto ad minutarum generum cauillarum limauerit*. Caesar. VII de B. G. 70 *Se ipsi multitudine impediunt*. et Liu. VI, 2 *Vt vallo se ipsi, vallum congestis arboribus sepirent*. Id. XXX, 15 *Sibi ipsa consuleret*. Gronouius.

8 *velut inopinatam praedam spectabant*] Non inepte Iuntae: *sperabant*. Graeuius.

9 *in annuo vectigali tributo tricena millia*] Iuntae, vt placebat Budaeo, *triginta millia*. Graeuius.

10 *nec amici*] In altero Voss. MS. etiam *nè nec* apparebat. *Graeuius*.

11 *eos ignoraret*] Verbum *ignorare* hic respicit qualitates animi et virtutes. Terent. Fun. V, 8. 39 *Isti te ignorabant*. et Cic. IIII Acad. Quaest. 2 *Maiore enim studio Lucullus, cum omni litterarum genere, tum philosophiae, deditus fuit, quam qui illum ignorabant*. et Liu. XXVI, 12

Productus

terrarum orbe, electos iudicaret. [13] Neque enim vnquam ante Macedonia, vel vlla gens alia, tam clarorum virorum prouentu floruit: [13] quos primo Philippus, mox Alexander, tanta cura legerat, vt non tam ad societatem belli, quam in successionem regni, electi viderentur. [14] Quis igitur miretur, talibus ministris orbem terrarum victum: cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed regibus, regeretur? [15] qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent: multosque Macedonia pro vno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos aemulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

II

[1] Caeterum, occiso Alexandro, non vt laeti, ita et securi fuere, omnibus vnum locum competentibus: nec minus milites inuicem se timebant, quorum et libertas solutior, et fauor incertus erat. [3] Inter ipsos vero aequalitas discordiam augebat, nemine tantum caeteros excedente, vt ei aliquis se summitteret. [4] Armati itaque in regiam coëunt, ad formandum rerum praesentium statum. [5] Perdicca censet, *Roxanes exspectari partum*,

Productus primo satis constanter ignorare se mulierem simulabat. Hinc et Illustris noster Grotius in Proleg. ad Lib. de Iure B. et P. eandem loquendi formulam respiciens ait: *In carcerem coniectus sum ab iis, qui me ignorabant.* Gronouius.

12 *clarorum virorum proventu*] Plinius I Ep. 13 *Magnum prouentum poëtarum annus hic attulit.* et Quintil. XII Instit. Orat. 10 *Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium temporum ingens oratorum prouentus.* Gronouius.

2 *nec minus milites quam inuicem se timebant*] Miror, qui potuerit tam insulsa lectio tam diu ferri. Quid enim est, duces non erant securi, nec minus milites *quam* inuicem se timebant? Illud *quam* quid ad rem facit? Merito itaque et cum Iuntina, veteribusque editionibus aliis, nec non MS., quem vidit Bongarsius, illud *quam* expunxi. Digitum autem non verterim, cum antiquioribus editis legas *inter se*, an cum MSS. *inuicem se timebant.* Gracuius.

tum, quae exacto menſe octauo matura iam ex Alexandro erat; et ſi puerum peperiſſet, hunc dari ſucceſſorem patri. [6] Meleager negat *differenda in partus dubios conſilia: nec exſpectandum, dum reges naſcerentur, cum iam genitis vti liceret.* [7] *Seu puer illis placeat, eſſe Pergami filium Alexandri, natum ex Barſine, nomine Herculem:* [8] *ſeu mallent iuuenem, eſſe in caſtris fratrem Alexandri Aridaeum, comem et cunctis non ſuo tantum, verum et patris Philippi, nomine acceptiſſimum.* [9] *Caeterum, Roxanen eſſe originis Perſicae: nec eſſe fas, vt Macedonibus ex ſanguine eorum, quorum regna delecuerint, reges conſtituantur: quod nec ipſum Alexandrum voluiſſe* dicit. [10] *Denique morientem nullam de eo mentionem habuiſſe.* [11] Ptolemaeus recuſabat regem Aridaeum, *non propter maternas modo ſordes, quod ex Lariſſaeo ſcorto naſceretur: ſed etiam propter valetudinem maiorem, quam patiebatur; ne ille nomen regis, alius imperium, teneret:* [12] *melius eſſe ex his legi, qui pro virtute regi ſuo proximi fuerint, qui prouincias regant, quibus bella mandentur, quam ſub perſona regis indignorum ſubiiciantur imperio.* [13] Vicit Perdiccae ſententia, conſenſu vniuerſorum. [14] Placuit itaque Roxanis exſpectari partum, et ſi puer natus fuiſſet, tutores Leonatum, Perdiccam, Crateron, et Antipatrum conſtituunt, conſeſtimque in tutorum obſequia iurant.

III

[1] Cum equites quoque idem feciſſent, pedites indignati, nullas ſibi conſiliorum partes relictas, Aridaeum, Alexandri fratrem, regem appellant, ſatelliteſque illi ex turba ſua legunt, et nomine Philippi patris vocari iubent. [2] Quae cum nuntiata equitibus eſſent, legatos ad mitigandum eorum animos, duos ex proceribus, Attalum et Melea-

[8] *ad mitigandum animos*] Male mutarunt qui hanc ſyntaxin, de qua vide Sanctium in Minerua

Sic luntae cum aliis editis.

Meleagrum, mittunt, qui potentiam ex vulgi adulatione quaerentes, omissa legatione, militibus consentiunt. [3] Statim et seditio creuit, vbi caput et consilium habere coepit. [4] Tunc ad delendum equitatum cuncti armati regiam irrumpunt: [5] quo cognito, equites trepidi ab vrbe discedunt, castrisque positis, et ipsi pedites terrere coeperunt. [6] Sed nec procerum inter se odia cessabant. [7] Attalus ad interficiendum Perdiccam, ducem partis alterius, mittit: [8] ad quem armatum, et vltro vocantem, cum accedere percussores ausi non fuissent, tanta constantia Perdiccae fuit, vt vltro ad pedites veniret, et in concionem vocatos edoceret, quod facinus molirentur: [9] *Respicerent, contra quos arma sumsissent: non illos Persas, sed Macedonas; non hostes, sed ciues esse; pleroſque etiam cognatos eorum, certe commilitones, eorundem castrorum ac periculorum socios:* [10] *edituros deinde egregium hostibus suis spectaculum, vt quorum armis victos se doleant, eorum mutuis caedibus gaudeant, parentaturosque sanguine suo manibus hostium a se interfectorum.*

IIII

[1] Haec cum pro singulari facundia sua Perdicca peroraſſet, adeo mouit pedites, vt probato con-

Minerua, et Vossium in Aristarcho, ignorarunt. lib. XXII c. 8 *Ad persequendam belli reliquias.* Graeuius.

omissa legatione militibus consentiunt] Gaue hic ausculres viro politissimo [Fabro], qui pro *militibus* substituendum contendit *peditibus*. *Miles* saepius accipitur pro pedite, et opponitur equiti. Caesar: *Tripartito milites equitesque in expeditionem misit.* vide Gronou. ad Liu. XXVIII, 1, et Hermannum Rhabodum Schelium ad Hyginum de Castrametatione Romanorum p. 88, qui annotauit pulchre *militem* poni pro *pedite*, quia in pedite praecipuum robur fuerit exercituum Romanorum; sicut contra posterioribus saeculis sub Constantino, et sequentibus imperatoribus, cum omnis vis exercitus in equitatu, *equites, milites* appellatos fuisse. *Graeuius.*

8 *vltro vocantem*] Iuntae: *prouocantem.* Graeuius.

consilio eius, dux ab omnibus legeretur. [2] Tum equites etiam in concordiam reuocati, in Aridaeum regem consentiunt. [3] Seruata est portio regni Alexandri filio, si natus esset. [4] Haec agebant, posito in medio corpore Alexandri, vt maiestas eius testis decretorum esset. [5] His ita compositis, Macedoniae et Graeciae Antipater praeponitur: regiae pecuniae custodia Cratero traditur: castrorum, exercitus, et rerum cura Meleagro et Perdiccae assignatur: [6] iubeturque Aridaeus rex corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. [7] Tunc Perdicca infensus seditionis auctoribus, repente, ignaro collega, lustrationem castrorum, propter mortem regis, in posterum edicit. [8] Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus vniuersis, euocatos, dum transit, de singulis manipulis seditiosos, supplicio tradi occulte iubet. [9] Reuersus inde, inter principes prouincias diuidit, simul vt et remoueret aemulos, et munus imperii, beneficii sui faceret. [10] Prima Ptolemaeo Aegyptus, et Africae

5 *castrorum, exercitus, et rerum cura*] *Rerum cura* est praefectura militiae in bello. *Res* enim κατ' ἐξοχὴν notat *bellum*. vnde *Dictator rei gerendae*. *Cura* quoque vocabulum imperii est. Suet. Tib. 16 *Sed nuntiata Illyrici defectione, transiit ad curam noui belli*. Idem Vit. 2 *Curam quoque imperii sustinuit, absente eo expeditione Britannica*. Hinc *curare* pro imperare, praeesse in bello apud Sallust. *Marius ibi curabat*. Gronouius. Mallet et hic vir doctus ille [Faber] *Castrensium rerum et exercitus cura*. inuitis sane Musis. *Res* apud nostrum aliosque nostro meliores non infrequenter est *bellum*. Superius XII, 2 *Non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Asia et in Persis habiturus*. Sic *res gerere*. Horat. *Res gerere et victos ostendere ciuibus hostes*. Noster XVIIII, 2 *Per hos res Carthaginienses ea tempestate gerebantur*, hoc est, bella. hinc mox Imperatores vocantur. Hoc igitur vult Iustinus, castrorum, exercitus, et rerum, hoc est, bellorum, eorumque rerum quae ad bellum gerendum desiderantur, curam Meleagro et Perdiccae fuisse assignatam. *Graevius*.

10 *primo Ptolemaeo Aegyptus*] Gronouius ex MSS. *Prima Ptolemaeo Aegyptus*. Graeuius.

gae Arabiaeque pars, forte venit, quem ex gregario milite Alexander virtutis cauſſa prouexerat: [11] cui ad tradendam prouinciam Cleomenes, qui Alexandriam aedificauerat, datur. [12] Confinem huic prouinciae Syriam Laomedon Mitylenaeus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios, accipiunt. [13] Mediae maiori Atropatus, minori ſocer Perdiccae, praeponitur. [14] Suſiana gens Scyno, Phrygia maior Antigono, Philippi filio, aſſignatur. [15] Lyciam et Pamphyliam Nearchus, Cariam Caſſander, Lydiam Menander, ſortiuntur. [16] Leonato minor Phrygia euenit: Thracia et regiones Pontici maris Lyſimacho: Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. [17] Summus caſtrorum tribunatus Seleuco, Antiochi filio, ceſſit. [18] Stipatoribus regis ſatellitibuſque Caſſander, filius Antipatri, praeficitur. [19] In Bactriana vlteriore, et Indiae regionibus, priores praefecti retenti. [20] Terras inter amnes Hydaſpem et Indum

pars ſorte venit] Bernecerus, Vorſtius, Scheſſerus, nobis volunt perſuadere, libris omnibus aduerſantibus ſcribendum eſſe *ſorte euenit*, quia alibi ſic Iuſtinus loquatur. Sed nihil inde efficies. Nam et aliter potuit loqui ſecutus praeſtantiſſimorum ſcriptorum auctoritatem, quibus *venire* eleganter dicuntur bona, quae aut heredes cernimus, aut ſorte accipimus. Cic. pro Cluent. *Res mihi venit hereditate.* Idem III Verrin. *Hereditas mihi venit a patre.* Mart. *Hereditas tibi trecenta venit.* Flor. II. 20 *Reliquae regiis hereditatibus opes, et tota infimal regna veniebant.* Graeuius.

13 *Mediae maiori Acropatos*] Iuntae: *Atropatus*, quod propius accedit ad veram ſcriptionem. legendum enim *Atropates* ex Arriano, vt bene monuit Bongarſius. *Graeuius.*

14 *Scyno*] Iuntae: *Cyno.* Quod propius abeſt ab emendatione Scaligeri, qui reſtituendum cenſet *Coeno.* Sed *Cyno* tuetur Cl. Perizonius animaduerſ. Hiſtoricis cap. 10, vbi oſtendit, ſcriptoribus poſterioribus *oe* ſaepe mutari in *y*. ſic pro *Moeſia* ſcribi *Myſia*, pro *Roemetalces* inueniri *Rymetalces*, pro *Poeticus*, quod eſt Sulpitiae gentis cognomen, *Pyticus.* Graeuius.

20 *terras inter amnes*] Iuntae quoque cum MS. *Seres.* alii: *ſed res.* forte ſcripſerit Iuſtinus: *ſedes.* Vt ſuperius: *ad nouas ſedes quaerendas*, et ſic frequenter in aliis locis. *Graeuius.*

dum, Taxiles habebat. [21] In colonias in Indis conditas Pithon, Agenoris filius, mittitur. Paropamisios, et fines Caucasi montis, Extarches accepit. [22] Aracosii Gedrosique Sibyrtio traduntur: Drancae et Arei Stasanori. [23] Bactrianos Amyntas sortitur; Sogdianos Scythaeus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataſernes Armenios, Tleptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archos Pelasgos, Arcesilaus Mesopotamiam. [24] Cum haec divisio, veluti fatale munus, singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit. [32] Siquidem non magno post tempore, quasi regna, non praefecturas, diuisissent, sic reges ex praefectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, verum etiam posteris reliquerunt.

V

[1] Dum haec in Oriente aguntur, in Graecia Athenienses et Aetoli bellum, quod iam viuo Alexan-

21 *Parapamenos fines Caucasi*] Iuntae: *Parapamisadas et fines.* Vnde Vossius: *Paropamisios.* Gronouius probat, quod in MS. reperit Bongarsius, *et finem.* hoc est, qui in vltimo Caucasi fine degebant. *Graeuius.*

22 *Aracossi*] Iuntae: *Arachosii*, vti legendum olim Ortelius statuit ex Diodoro. Quod firmatur et a Polyaeno. *Graeuius.*

23 *Sogdianos Scythaeus* etc.] MS. Voss. 1 *Sordianus fulceos flagnos parcos.* Alter, *Sodianos fulceo-flaganos, parthos.* Lege, *Sogdianos, Sols Stasanor, Parthos* etc. Hanc lectionem confirmat Diodor. Sic. p. 648 Τὴν Βακτριανὴν καὶ Σογδιανὴν Στασάνορι τῷ Σολίῳ etc. et Photius Bibl. LXXXII ex Dexippo, Στασάνωρ ὁ Σόλιος. Caeterum paullo post Palmerius in Exercit. p. 139 ex Ariano et Diodoro legit, *Phrataphernos Armenios, Tlepolemus Carmanos, Persas Peucestes, Babylonios Archon Pellaeus.* Gronouius.

Tleptolemus Persas] Iuntae: *Neoptolemus Persas.* Cap. 6 huius libri: *Adiutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccae Alcetas, et Neoptolemus.* Graeuius.

Archos] MS. *Archous.* Iuntae: *Arthous.* et pro *Arcesilaus* iidem, *Arcelaus*, vt Fabricius ad Orosium. *Graevius.*

24 *cum haec diuisio*] Forte legendum, *cum hac diuisione.* Gronouius.

A'exandro mouerant, summis viribus instruebant. [2] Causſae belli erant, quod reuersus ab India Alexander, epistolas in Graeciam scripserat; quibus omnium ciuitatium exules, praeter caedis damnati, restituebantur. [3] Quae recitatae praesente vniuersa Graecia, in mercatu Olympiaco, magnos motus fecerunt; [4] quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant; verentibus iisdem principibus, ne reuocati potentiores in republica fierent. [5] Palam igitur iam tunc multae ciuitates libertatem bello vindicandam fremebant. [6] Principes tamen omnium Athenienses et Aetoli fuere. [7] Quod cum nuntiatum Alexandro esset, mille naues longas sociis imperari praeceperat, quibus in Occidente bellum gereret; excursuruſque cum valida manu fuerat ad Athenas delendas. [8] Igitur Athenienses, contracto XXX millium exercitu, et CC nauibus, bellum cum Antipatro, cui Graecia sorte euenerat, gerunt, eumque detrectantem praelium, et Heracleae vrbis moenibus tuentem se, obsidione cingunt. [9] Eodem tempore, Demosthenes Athenienſis orator, pulsus patria, ob crimen accepti ab Harpalo auri, qui crudelitatem Alexandri fugerat, quod ciuitatem in eiusdem Alexandri bellum impelleret, sorte Megaris exulabat: [10] qui vt missum ab Athenienſibus Hyperidem legatum cognouit, qui Peloponnenſes in societatem armorum sollicitaret, sequutus eum, Sicyona, Argos et Corinthum, caeteraſque ciuitates, eloquentia sua Athenienſibus iunxit. [11] Ob quod factum, missa ab Athenienſibus obuiam naue, ab exilio reuocatur.

2 *praeter caedis damnati*] Nullum plane discrimen inter Salluſtii et Iustini locutionem. Nam *condemnatis* ibi neque pendet a *praeter*, vt hic *damnati*. Si licet dicere, *nulli licet hoc facere praeter condemnato*: licet vtique et dicere, *omnes restituuntur praeter damnati*. Eadem est ratio. Nimirum *praeter* ponitur nonnunquam pro praeterquam, vt cap. seq. *vt nihil hostis victor suarum rerum, praeter incendii spectaculo frueretur*. Graeuius.

tur. [12] Interim in obsidione Antipatri, Leosthenes, dux Athenienſium, telo e muris in tranſeuntem iacto, occiditur. [13] Quae res tantum animorum Antipatro dedit, vt etiam vallum reſcindere auderet. [14] Auxilium deinde a Leonato per legatos petit: qui cum venire cum exercitu nuntiatus eſſet, obuii ei Athenienſes cum inſtructis copiis ſuere, ibique equeſtri praelio, graui vulnere ictus extinguitur. [15] Antipater, tametſi auxilia ſua videret victa, morte tamen Leonati laetatus eſt: quippe et aemulum ſublatum, et vires eius acceſſiſſe ſibi gratulabatur. [16] Statim igitur exercitu eius recepto, cum par hoſtibus etiam praelio videretur, ſolutus obſidione, in Macedoniam conceſſit. [17] Graecorum quoque copiae, finibus Graeciae hoſte pulſo, in vrbes dilapſae.

VI

[1] Interea Perdicca, bello Ariarathi, regi Cappadocum, illato, praelioque victo nihil praemii praeter vulnera et pericula retulit. [2] Quippe hoſtes ab acie in vrbem recepti, occiſis coniugibus et liberis, domos quiſque ſuas cum omnibus copiis incenderunt. [3] Eodem congeſtis etiam ſeruitiis, et ſemetipſos praecipitant, vt nihil hoſtis victor ſuarum rerum, praeter incendii ſpectaculo frueretur. [4] Inde, vt viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatrae, ſororis Alexandri Magni, et alterius Alexandri quondam vxoris, non aſpernante Olympiade, matre eius, intendit: [5] ſed prius

1 *Ariarathi*] Iuſtinus confundit hic bellum Cappadocium cum Iſaurico. Hoc enim Iſauricum fuit, vt conſtat ex Diod. Sic. XVIII, 22. *Innoxio* Iuſtino quoque legitur. *Graevius.*

3 *eodem congeſtis etiam ſeruitiis et ſemetipſos praecipitant*] Elegantius et rotundius Iuntae: *Eodem congeſtis etiam ſeruitiis ſemetipſi praecipitant.* Sic malunt veteres loqui, quam quod vulgo nunc placet, *ſemet ipſos.* Bene quoque Iuntae lib. XVI, 4 *Proinde conſulant ſibi ipſi.* Vbi vulgati libri, *ſibi ipſis.* Graeuius.

Antipatrum, sub affinitatis obtentu, capere cupiebat. [6] Itaque fingit, se in matrimonium filiam eius petere, quo facilius ab eo supplementum tironum ex Macedonia obtineret. [7] Quem dolum praesentiente Antipatro, dum duas eodem tempore vxores quaerit, neutram obtinuit. [8] Post haec bellum inter Antigonum et Perdiccam oritur. [9] Antigono Craterus et Antipater auxilium ferebant; qui facta cum Atheniensibus pace, Polyperchonta Graeciae et Macedoniae praeponunt. [10] Perdicca, alienatis rebus, Aridaeum, et Alexandri Magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. [11] Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem et caput regni; vbi Olympias esset, mater Alexandri, [12] non mediocre momentum partium, et ciuium fauor, propter Alexandri Philippique nomina: [13] sed in rem visum est, ab Aegypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia a Ptolemaeo occuparetur. [14] Eumeni, praeter prouincias, quas acceperat, Paphlagonia, et Caria, et Lycia, et Phrygia adiiciuntur. [15] Ibi Craterum et Antipatrum operiri iubetur; adiutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccae Alcetas, et Neoptolemus: Clito cura classis traditur; [16] Cilicia Philotae ademta, Philoxeno datur: ipse Perdicca Aegyptum cum ingenti exercitu petit. [17] Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur: ferrumque ab hostili bello in ciuilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua ipsa caesura. [18] Sed Ptolemaeus in Aegypto, sollerti industria, magnas opes parabat: [19] quippe et Aegyptios insigni moderatione in fauorem sui sollicitauerat: et reges finitimos

10 *alienatis rebus*] *Alienatis rebus* est remotis omnibus aliis curis et negotiis, pro quo Terentius dixit, *relictis rebus*. Andr. *Herus operam rebus relictis dari iussit*. Sic Iustinus XVIII, 3 *Cum velut occisos alienasset*, h. e. remouisset e medio. *Graeuius*.

mos beneficiis obsequiisque deuinxerat : [20] terminos quoque imperii, acquisita Cyrene vrbe, ampliauerat ; factusque iam tantus erat, vt non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset.

VII

[1] Cyrene autem condita fuit ab Aristaeo, cui nomen Batto propter linguae obligationem fuit. [2] Huius pater Grinus, rex Therae insulae, cum ad oraculum Delphos, propter dedecus adolescentis filii nondum loquentis, deum deprecaturus venisset, responsum accepit, quo iubebatur filius eius Battus *Africam petere, et vrbem Cyrenen condere, vsum linguae ibi accepturus.* [3] Cum responsum ludibrio simile videretur, propter solitudinem Therae insulae, ex qua coloni ad vrbem condendam in Africam tam vastae regionis proficisci iubebantur, res omissa est. [4] Interiecto deinde tempore, velut contumaces, pestilentia deo parere compelluntur : quorum tam insignis paucitas fuit, vt vix vnam nauem complerent. [5] Cum venissent in Africam, pulsis accolis, montem Cyram, et propter amoenitatem loci, et propter fontis vbertatem, occupauere. [6] Ibi Battus, dux eorum, linguae no-

1 *cui nomen Battos propter linguae obligationem fuit*] Non video cur Graecam terminationem retineat, cum paullo post recte *Battus* scribatur. Vera est lectio Iuntinae, in qua habetur : *cui nomen Batto fuit.* vide quae notaui inferius ad lib. XXVIIII cap. 1. *Graevius.*

3 *rex Theramenis insulae*] Vidit Bongarsius et Ortelius legendum *Therae insulae.* Quod ipsum extat in editione Iuntarum, vt nullus in posterum scrupulus sit vlli relictus. Pro *Cirnus* vero legendum esse *Grinus*, qui tamen non eius pater, sed cognatus fuit, et pro *Aristaeo*, *Aristotele*, ostenderunt viri doctissimi, Bongarsius in notis ad hunc locum, Bochartus in Geographia sacra, et Ionsius de scriptoribus historiae Philosophicae. *Graeuius.*

5 *montem Cyran*] Non ignoro, nonnullos casus accusandi huius inflexionis sic formari, vt ostendi ad Suetonium. Sed hic sequor iure Iuntinam, quae *Cyram* scribit. vt et statim *fontium vbertatem.* Graeuius.

dis solutis, loqui primum coepit.; quae res animos eorum, ex promissis dei iam parte percepta, in reliquam spem condendae vrbis accendit. [7] Positis igitur castris, opinionem veteris fabulae accipiunt, Cyrenen, eximiae pulcritudinis virginem, a Thessaliae monte Pelio ab Apolline raptam, perlatamque in eiusdem montis iuga, cuius collem occupaverant, a deo repletam, quatuor pueros peperisse, Nomium, Aristaeum, Authocum, Argaeum. [8] Missos a patre Hypseo, rege Thessaliae, qui perquirerent virginem, loci amoenitate captos, in iisdem terris cum virgine resedisse. [9] Ex his pueris tres adultos in Thessaliam reuersos auita regna recepisse. [10] Aristaeum in Arcadia late regnasse, eumque primum, et apium et mellis vsum, et lactis ad coagula, hominibus tradidisse, solstitialesque ortus sideris primum inuenisse. [11] Quibus auditis Battus, virginis nomine ex responsis agnito, vrbem Cyrenen condidit.

VIII

8 *missos a patre Speo*] Iuntae: *Hypseo*. Et sic legendum esse ex Diodoro Siculo et Apollonii Scholiaste pridem obseruauit Isaacus Vossius. *Graeuius.*

10 *et apium et mellis vsum et lactis ad coagula*] Olei quoque vsum reperisse Aristaeum, auctor est Aristoteles apud Scholiasten Theocriti ad Idyllium V, 53: vbi narrat Nymphas nutriisse Aristaeum et docuisse olei et mellis colligendi vsum, Aristotele teste. Caeterum pro *lactis ad coagula* scribitur in Iuntina *lactis coagulandi*. quod longius recedit a vestigiis caeterorum librorum, quos sequuntur merito editores. *Lactis vsus ad coagula*, est ratio lactis coagulandi, et ex coagulo caseos premendi. Nam butyrum veteribus Graecis et Romanis fuit ignotum, vt constat ex scriptoribus rei rusticae, qui illius conficiendi nullam faciunt mentionem, et vetustissimis Graecorum scriptoribus, qui Scythas lac hac ratione coagulare tradunt, et quod eius nomen ignorabant, butyrum vocant *ἔλαιον γάλακτος*, *oleum lactis*, de quo alibi plura. *Graeuius.*

11 *Battus vrbem Cyrenen condidit*] Cuius posteri per ducentos annos ibi regnum tenuerunt, quod semper a patre descendit ad filium, sic tamen vt Batti et Arcesilai alternis dicerentur. vide Valesium ad excerpta Peiresciana Diodori Siculi p. 40. *Graeuius.*

VIII

[1] Igitur Ptolemaeus huius vrbis auctus viribus, bellum in aduentum Perdiccae parabat. [2] Sed Perdiccae plus odium arrogantiae, quam vires hostium nocebant: quam exosi etiam socii ad Antipatrum gregatim profugiebant. [3] Neoptolemus quoque in auxilium Eumeni relictus, non solum transfugere, verum etiam prodere partium exercitum, voluit. [4] Quam rem cum praesensisset Eumenes, cum proditore decernere praelio necesse habuit. [5] Victus Neoptolemus ad Antipatrum et Polyperchonta profugit, hisque persuadet, vt continuatis mansionibus, laeto ex victoria et securo fuga Eumeni superueniant. [6] Sed res Eumenem non latuit. Itaque insidiae in insidiatores versae: et qui securum aggressuros se putabant, securis in itinere, et perui gilio noctis fatigatis, occursum est. [7] In eo praelio Polyperchon occiditur. [8] Neoptolemus quoque cum Eumene congressus, diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est; in summa victus, occumbit. [9] Victor igitur duobus praeliis continuis Eumenes, afflictas partes transitione sociorum paullulum sustentauit. [10] Ad postremum tamen Perdicca occiso, ab exercitu hostis cum Pithone, et Illyrio, et Alceta, fratre Perdiccae, appellatur: bellumque aduersus eos Antigono decernitur.

LIBER XIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Eumenis in bello aduersus Antigonum prudentia et fortitudo.*
II *Praelio victus obsidetur, liberatur, ad Argyraspidas confugit, eosque ad suas partes pertrahit.*
III *Dum Argyraspidae Eumenis imperia contemnunt, hostium virtute superantur. vnde in Eumenem coniuratio.*
IIII *Eumenis captiui ad Argyraspidas oratio, qua petit, vt sibi inter eos mori liceat. Petitione frustratus proditorum capita deuouet, et Antigono vinctus traditur.*
V *Cassander Aridaei vices gerens Graeciae ciuitates opprimit, et in Macedoniam aduersus Olympiadem proficiscitur.*
VI *Olympias fugit: obsidetur, victori Cassandro se tradit; cuius iussu interficitur.*

I

[1] Eumenes, vt Perdiccam occisum, se hostem a Macedonibus iudicatum, bellumque Antigono decretum, cognouit; [2] vltro ea militibus suis indicauit, ne fama aut rem in maius extolleret, aut militum animos rerum nouitate terreret; [3] simul, vt, quomodo circa se animati essent, cognosceret, sumturus consilium ex motu vniuersorum. [4] Constanter tamen praefatus est, *Si cui haec terrori essent, habere eum discedendi potestatem.* [5] Qua voce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, vt vltro illum omnes hortarentur, *resciissuroque se ferro decreta Macedonum* affirmarent. [6] Tunc exercitu in Aetoliam promoto, pecunias ciuitatibus imperat; recusantes dare, hostiliter diripit. [7] Inde Sardis profectus est ad Cleopatram, sororem Alexandri Magni, vt eius voce centuriones principesque confirmaret, existimaturos, ibi maiestatem regiam verti, vnde

5 vt vltro bellum omnes hortarentur] Assentior Gronovio, qui ad epistolam Senecae 12 hanc MSS. lectionem probat, quam vide. Ouidius: *Cupio non persuadere quod hortor.* Graeuius.

7 centuriones principesque confirmarentur, existimaturos] Depre-

vnde soror Alexandri staret. [8] Tanta veneratio magnitudinis Alexandri erat, vt etiam per vestigia mulierum fauor sacrati eius nominis quaereretur. [9] Cum reuersus in castra esset, epistolae totis castris abiectae inueniuntur: quibus iis, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna praemia definiebantur. [10] His cognitis, Eumenes vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, *quod nemo inuentus esset, qui spem cruenti praemii fidei sacramenti anteponeret:* [11] deinde callide subnectit, *conflictas has a se epistolas ad experiendos suorum animos esse.* [12] *Caeterum salutem suam in omnium potestate esse; nec Antigonum, nec quenquam ducum sic velle vincere, vt ipse in se exemplum pessimum statuat.* [13] Hoc facto, et in praesenti labantium animos retinuit; et in futurum prouidit, vt,

M 5

Deprehendit hic turpem mendam ab editoribus praetermissam T. Faber, et verissime vidit legendum esse *confirmaret.* et sic plane olim luntina. Graeuius.

vnde soror Alexandri staret] Hoc est, quibuscum sentiebat Alexandri soror Cleopatra. Liu. XXI, 10 *Euentus belli, velut aequus iudex, vnde ius stabat, et victoriam dedit.* Id. XXIIII, 45 *Qui aliunde stet semper, aliunde sentiat, infidus socius.* et XXV, 15 *Nec satis fido animo vnde pugnabat stantem: extemplo in fugam verterunt.* et Auctor V, 4 *Vnde stetisset Alcibiades, eo se victoria transferebat.* Gronouius.

10 *qui spem cruenti praemii fidei sacramento anteponeret*] MSS. omnes Modii et Bongarsii: *Qui spem cruenti praemii fidei sacramenti anteponeret.* Quod merito Gronouius IIII Obseru. 17 amplectitur hoc sensu: qui propter spem praemiorum mallet sanguine ducis se cruentare, quam fidem sacramenti seruare. *Fides sacramenti* dicitur, vt *religio sacramenti, religio iurisiurandi* Graeuius.

13 *labantium animos deterruit*] luntae: *retinuit.* Quod sane vulgato praetulerim. Suet. Iul. 4 *Nutantes et dubias ciuitates retinuit in fide.* et cap. 17 *Ad retinendam Pompeii necessitudinem ac voluntatem.* Cic. I ad Fam. ep. 7 *Virum excellentem, et tibi tua praestanti in eum liberalitate deuinctum, non nihil suspicantem propter aliquorum opinionem cupiditatis suae te abs se alienatum, illa epistola retinuisti.* in ead. epist. *Quos saeuendo in eadem caussa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerunt.* Terent. Adelphis: *Liberalitate retinere liberos.* Potest tamen et *deterruit* ferri, vt sit, in aliam sententiam

vt, si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. [14] Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis eius offerunt.

II

[1] Cum interim Antigonus cum exercitu superuenit, castrisque positis, postera die in aciem procedit. [2] Nec Eumenes moram praelio fecit, qui victus in munitum quoddam castellum confugit; [3] vbi cum videret se fortunam obsidionis subiturum, maiorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsidio ipsa multitudine grauaretur. [4] Legatos deinde ad Antipatrum, quod solus par Antigoni viribus videbatur, supplices mittit: a quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. [5] Erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna spes erat. [6] Omnia igitur circumspicienti, optimum visum est, ad Alexandri Magni Argyraspidas, inuictum exercitum, et tot victoriarum praefulgentem gloria, decurrere. [7] Sed Argyraspides post Alexandrum omnes

sententiam perduxit, fidos sibi reddidit. *Deterrere* enim saepe est sine vllius terroris et minarum respectu dehortari, dissuadere, rationibus compellere et perducere, ne quid facias. Plaut. Mil. II, 3 *Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in aedibus.* hoc est, mihi nemo hoc persuaserit. Cic. II de Orat. *Nam neque is, qui optime potest, deferendus est vllo modo a cohortatione nostra, neque, qui aliquid potest, deterrendus.* Plura exempla sunt in promtu, sed iam modum excessimus harum notularum. Id tamen quod apud Iuntas extat, hic est efficacius et aptius. Est enim proprium in hac re verbum, cum scilicet amicum a me alieniorem, et iam amicitiae renuntiaturum, aliquo officii genere mihi reconcilio. Praeterea qui poterat haec vox in mentem venire editoribus Italis, nisi eam in optimis suis membranis inuenissent. Sane si iis lectum fuisset *deterruit*, nunquam repudiassent. *Graevius.*

6 *optimum visum est*] Pricaeus ad Apulei. I Metam. p. 37 legit, *optimum factum visum est.* Gronouius.

omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis, post tanti regis memoriam, existimantes. [8] Itaque Eumenes blandimentis agere; supplicitter singulos alloqui, nunc *commilitones suos*, nunc *patronos* appellans, nunc *periculorum et operum Orientalium socios*: nunc *refugia salutis suae, et unica praesidia* commemorans: [9] *solos esse, quorum virtute Oriens sit domitus; solos, qui militiam Liberi patris, qui Herculis monumenta, superarint*: [10] *per hos Alexandrum Magnum factum; per hos diuinos honores, et immortalem gloriam consequutum*: [11] orat, *vt non tam ducem se, quam commilitonem, recipiant, vnumque ex corpore suo esse velint*. [12] Receptus hac lege, paullatim imperium, primum monendo singulos, mox, quae perperam facta erant, blande corrigendo, vsurpat; nihil in castris sine illo agi, nihil administrari sine sollertia illius, poterat.

III

[1] Ad postremum, cum Antigonum venire cum exercitu nuntiatum esset, compellit eos in aciem descendere. [2] Ibi dum ducis imperia contemnunt, hostium virtute superantur. [3] In eo praelio non gloriam tantum tot bellorum, cum coniugibus et liberis; sed et praemia longa militia parta perdiderunt. [4] Sed Eumenes, qui auctor cladis erat, nec aliam spem salutis reliquam habebat, victos hortabatur. [5] Nam *et virtute eos superiores fuisse* affirmabat: *quippe ab his quinque millia hostium caesa: et si in bello perstent, vltro hostes pacem petituros*. [6] *Damna, quibus se victos putent, duo millia mulierum, et paucos infantes, et seruitia esse, quae*

8 *nunc patronos, periculorum Orientalium socios, nunc effugia salutis suae*] Cur cum saepius *nunc* et ante et post repetatur, omissum hoc est ante *periculorum Orientalium socios*. Reposui id ex Iuntina, addito ex eadem vocabulo *operum*, quod in nonnullis quoque MSS. habetur, vt Schefferus quoque vidit et probauit. *Gracuius*.

quae melius vincendo possint reparare, quam deserendo victoriam. 7 Porro Argyraspides *neque fugam se tentaturos* dicunt, *post damna matrimoniorum, et post coniuges amissas, neque bellum gesturos contra liberos suos;* 8 vltroque eum conuiciis agitant, *quod se post tot annos emeritorum stipendiorum, reduentes domum cum praemiis tot bellorum, ab ipsa missione rursus in nouam militiam immensaque bella reuocauerit,* 9 *et a laribus iam quodam modo suis, et ab ipso limine patriae abductos, inanibus promissis deceperit:* 10 *nunc quoque amissis omnibus felicis militiae quaestibus, ne victos quidem in misera et inopi senecta quiescere sinat.* 11 Iguaris deinde ducibus, confestim ad Antigonum legatos mittunt, petentes, *vt sua reddi inbeat. Is redditurum se* pollicetur, *si Eumenem sibi tradant.* 12 Quibus cognitis, Eumenes cum paucis fugere tentauit: sed retractus, desperatis rebus, cum concursus multitudinis factus esset, petit, vt postremum sibi alloqui exercitum liceret.

IIII

1 Iussus ab vniuersis dicere, facto silentio, laxatisque vinculis, prolatam, sicut erat catenatus, manum ostendit: 2 *Cernitis, milites,* inquit, *habitum atque ornamenta ducis vestri, quae mihi non hostium*

7 post damna matrimoniorum, et post coniuges amissas] Haec inepta est ταυτολογία Itaque *et post coniuges amissas* tanquam interpretationem praecedentium exscindendam censet *Bernecceras.* Sed legendum cum Iuntis: *post damna patrimoniorum.* Haec sunt, quae paullo ante dixit: *praemia longa militia parta.* et paullo post: *praemia tot bellorum.* et: *felicis militiae quaestus.* Quod enim aliud militibus patrimonium? *Gracuius.* Ita [*patrimoniorum*] omnino legendum. Vellei. II, 120 *Sunt tamen, qui, vt vinos ab eo vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia.* et Quintil. Declam. CCCVIII *Alioquin potest graue videri etiam ipsum patrimonium, si non integram legem habet.* Gronouius.

hostium quisquam imposuit : nam hoc etiam solatio foret. [3] *Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captiuum feciſtis. quater intra hunc annum in mea verba iureiurando obſtricti eſtis.* [4] *Sed iſta omitto. neque enim miſeros conuicia decent.* [5] *Vnum oro, ſi propoſitorum Antigoni in meo capite ſumma conſiſtit, inter vos me velitis mori.* [6] *Nam neque illius intereſt, quemadmodum aut vbi cadam; et ego fuero ignominia mortis liberatus.* [7] *Hoc ſi impetro, ſoluo vos iureiurando, quo toties vos ſacramento mihi deuouiſtis.* [8] *Aut ſi ipſos pudet roganti vim adhibere, ferrum huc date, et permittite, quod vos facturos pro imperatore iuraſtis, imperatorem pro vobis ſine religione iurisiurandi facere.* [9] Cum non obtineret, preces in iram vertit. [10] *At vos,* ait, *deuota capita, reſpiciant dii periuriarum vindices; taleſque vobis exitus dent, quales vos ducibus veſtris dediſtis.* [11] *Nempe vos iidem paullo ante et Perdiccae ſanguine eſtis adſperſi, et in Antipatrum eadem moliti.* [12] *Ipſum denique Alexandrum, ſi fas fuiſſet eum mortali manu cadere, interemturi: quod maximum erat, ſeditionibus agitaſtis.* [13] *Vltima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico;* [14] *vt inopes extorreſque omne aeuum in hoc caſtrenſi exilio agatis, deuorentque vos arma veſtra, quibus plures veſtros, quam hoſtium duces, abſum-*

7 *quo toties vos ſacramento mihi deuouiſtis*] Gronouius legit; *qui toties vos ſ. m. d.* Graeuius.

10 *at vos*] Particulam *at* veteres vſurpare ſolent, ſi irati inchoent orationem, idque praeſertim amant Poëtae. vt Virgil. II Aen. 535 *At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis Dii, ſi qua eſt caeli pietas, quae talia curet, Perſoluant grates dignas.* et Ouid. Ep. Heroid. XII *At tibi Colchorum, memini, regina vacaui.* et Idem III Amor. VI, 105 *At tibi pro meritis opto* etc. et Idem VIII Metam. 279 *At non impune feremus.* Et Horat. Ep. 5 *At o deorum quisquid in caelo regit Terras et humanum genus.* Gronouius.

12 *quod maximum erat, ſeditionibus agitaſtis*] Freinshemius ad Florum emendat i *quod proximum erat.* Graeuius.

absumsistis. [15] Plenus deinde irae, custodes suos praecedere ad Antigoni castra coepit. [16] Sequitur exercitus, prodito imperatore suo, et ipse captiuus, triumphumque de se ipso ad victoris sui castra ducit; [17] omnia auspicia regis Alexandri, et tot bellorum palmas laureasque vna secum victori tradens: [18] et ne quid deesset pompae, elephanti quoque, et auxilia Orientalia subsequuntur. [19] Tanto pulcrior haec Antigono, quam Alexandro tot victoriae fuerunt; vt cum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, a quibus Oriens victus fuerat, superauerit. [20] Igitur Antigonus domitores illos orbis exercitui suo diuidit, redditis, quae in victoria ceperat. [21] Eumenem vero, verecundia prioris amicitiae, in conspectum suum venire prohibitum, assignari custodibus praecepit.

V

[1] Interea Eurydice, vxor Aridaei regis, vt Polyperchonta a Graecia redire in Macedoniam cognouit, et ab eo arcessitam Olympiadem; [2] muliebri aemulatione perculsa, abutens valetudine viri, cuius officia sibi vindicabat, Scribit regis nomine Polyperchonti, [3] *Cassandro exercitum tradat, in quem regni administrationem rex transtulerit;* eadem et in Asiam Antigono per epistolas nuntiat. [4] Quo beneficio deuinctus Cassander, nihil non ex arbitrio muliebris audaciae gerit. [5] deinde profectus in Graeciam, multis ciuitatibus bellum infert: [6] qua-

19 *tanto pulcrior hinc*] Nescio quid hic viro doctissimo [Scheffero] mentem obnubilarit. Quid enim clarius vulgata? *Tanto pulcrior haec Antigono*, sc. victoria fuit, *quam tot Alexandro victoriae fuerunt.* Rationem addit, cur haec vnica victoria Antigono fuerit pulcrior et glorioſior, quam tot victoriae Alexandro. Quia nimirum illos vicit, quibus illas victorias consecutus erat Alexander. *Graeuius.*

20 *redditis eorum, quae in victoria ceperat*] Optime luntae cum aliis editionibus: *redditis quae in v. c.* Graeuius.

6 quarum excidio, veluti vicino incendio, territi Spartani vrbem, quam semper armis, non muris, defenderant, tum contra responsa fatorum et veterem maiorum gloriam, armis diffisi, murorum praesidio includunt. 7 Tantum eos degenerauisse a maioribus, vt, cum multis saeculis murus vrbi civium virtus fuerit, tunc ciues saluos se fore non existimauerint, nisi intra muros laterent. 8 Dum haec aguntur, Cassandrum a Graecia turbatus Macedoniae status domum reuocauit. 9 Namque Olympias, mater Alexandri Magni regis, cum Epiro in Macedoniam, prosequente Aeacide, rege Molossorum, veniret, prohiberique finibus ab Eurydice et Aridaeo rege coepisset; 10 seu memoria mariti, seu magnitudine filii, et indignitate rei, moti Macedones, ad Olympiadem transiere: cuius iussu et Eurydice, et rex occiditur, sex annis post Alexandrum potitus regno.

VI

1 Sed nec Olympias diu regnauit. Nam cum principum passim caedes, muliebri magis, quam regio, more fecisset, fauorem sui in odium vertit. 2 Itaque audito Cassandri aduentu, diffisa Macedonibus, cum nuru Roxane, et nepote Hercule, in Pydnam vrbem concedit. 3 Proficiscenti Deidamia, Aeacidae regis filia, et Thessalonice priuigna, et ipsa clara Philippi patris nomine, multaeque aliae principum matronae, speciosus magis quam vtilis grex, comites fuere. 4 Haec cum nuntiata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam venit, et vrbem obsidione cingit. 5 Cum fame ferroque vrgeretur Olympias, longae obsidionis taedio, pacta salute, victori se tradidit. 6 Sed Cassander ad concionem

10 *ad Olympiadem*] Iuntae: *Olympiada*. Mox iidem: *Cuius iussu et Eurydice occiditur, et rex Aridaeus sex annis post Alexandrum potitur regno.*

3 *Thessalonice*] MSS. et Iuntinae: *Thessalonica*. Graeuius.

cionem vocato populo, sciscitaturus, *quid de Olympiade fieri velint*, subornat parentes interfectorum, qui sumta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusarent. [7] A quibus accensi Macedones, sine respectu pristinae maiestatis, occidendam decernunt: [8] immemores prorsus, quod per filium eius, virumque, non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent: verum etiam tantas opes imperiumque orbis quaesissent. [9] Sed Olympias vbi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa, vltro obuiam procedit. [10] Qua visa, percussores attoniti fortuna maiestatis prioris, et tot in ea memoriae occurrentibus regum suorum nominibus, substiterunt; [11] donec a Cassandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera, aut muliebriter vociferantem: sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiae, morti succumbentem; vt Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere. [12] Insuper exspirans, capillis et veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore eius indecorum videri. [13] Post haec Cassander Thessalonicen, regis Aridaei filiam, vxorem ducit: filium Alexandri cum matre, in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

11 *nec vulnera, aut muliebriter vociferantem*] Iuntae: *nec ante vulnera muliebriter vociferantem.* Graeuius.

vt Alexandrum posses etc.] Ouid. Ep. VIIII, 151 *Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.* et XII Met. 620 *Ipse etiam vt cuius fuerit cognoscere posses, Bella mouet clypeus.* Gronouius.

12 *exspirans capillis et veste crura contexisse fertur*] Quomodo capillis crura tegantur? MSS. *capillos.* vnde Scheffer us: *exspirans capillis os, et veste crura contexisse fertur.* Nescio cur os texerit. Forte scripsit Iustinus: *Exspirans papillas veste et crura contexisse fertur.* Graevius.



LIBER

LIBER XV

BREVIARIVM CAPITVM

I *Antigoni bellum aduersus socios, in quo Demetrius F. superatus praelio.*
II *Cassandri in familiam Alexandri M. saeuitia, Antigoni prosperi successus in bello.*
III *Lysimachi, Antigono oppositi, virtutes et praeclare gesta.*
IIII *Nouus hostis Antigono accedit, nempe Seleucus, cuius origo, et res gestae subiiciuntur. Antigonus in praelio occumbit.*

I

[1] Perdicca, et fratre eius Eumene, ac Polyperchonte, caeterisque ducibus diuersae partis occisis, finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur; cum repente inter ipsos victores nata discordia est: [2] quippe postulantibus Ptolemaeo, et Cassandro, et Lysimacho, *vt pecunia in praeda capta, prouinciaeque diuiderentur;* Antigonus negauit, *se in eius belli praemia socios admissurum, in cuius periculum solus descenderit.* [3] Et vt honestum aduersus socios bellum suscipere videretur, diuulgat, *se Olympiadis mortem, a Cassandro interfectae, vlcisci velle, et Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare.* [4] His cognitis, Ptolemaeus et Cassander, inita cum Lysimacho et Seleuco societate, bellum terra marique enixe instruunt. [5] Tenebat Ptolemaeus Aegyptum cum Africae parte maiore, et Cypro, et Phoenice. Cassandro parebat Macedonia cum Graecia. [6] Asiam, et partes Orientis occupauerat Antigonus, cuius filius Demetrius, prima belli congressione, a Ptolemaeo apud Gamalam vincitur. [7] In quo

6 *apud Galaman*] Praeclare Isaacus Vossius, *apud Gamalan*, emendauit. Quod stabilitur a Iuntis, in quibus plane: *apud Gamalam.* Grauius.

quo praelio maior Ptolemaei moderationis gloria, quam ipsius victoriae, fuit. [8] Siquidem et amicos Demetrii non solum cum suis rebus, verum etiam additis insuper muneribus, dimisit; et ipsius Demetrii priuatum omne instrumentum, ac familiam reddidit, adiecto honore verborum, [9] *Non se propter praedam, sed propter dignitatem, iniisse bellum; indignatum, quod Antigonus, deuictis diuersae factionis ducibus, solus communis victoriae praemia corripuisset.*

II

[1] Dum haec aguntur, Cassander ab Apollonia rediens, incidit in Abderitas, qui propter ranarum muriumque multitudinem relicto patriae solo, sedes quaerebant: [2] veritus, ne Macedoniam occuparent, facta pactione, in societatem eos recepit; agrosque iis vltimos Macedoniae assignat. [3] Deinde, ne Hercules, Alexandri filius, qui fere annos quatuordecim excesserat, fauore paterni nominis

8 *dimisit*] *Dimisit* non est in Iuntina, sed *honorauit*. Verum cum nec in suis membranis Bongarsius, nec Angli id vocabulum inuenerint, vereor, ne sit pannus male adsutus. *Graeuius.*

9 *praemia corripuisset*] *Corripere* hoc loco notat, malis artibus interuertere. Cic. pro Balbo 25 *Pecuniam L. Cornelii, quae neque inuidiosa est, et quantacunque est, eiusmodi est, vt conseruata magis, quam correpta, esse videatur.* et Suet. Ner. 6 *Correptis per coheredem Caium vniuersis bonis.* et Domit. 12 *Bona virorum et mortuorum vsquequaque, quolibet et accusatore, et crimine corripiebantur.* Gronouius.

1 *incidit in Abderitas*] Sic quidem et Orosius corruptis Iustini codicibus deceptus. Sed legendum cum Freinshemio *Autariatas*. De iis enim hoc refert non solum Diodorus Siculus, sed et Phaenias, Aristotelis discipulus, amicus Theophrasti, apud Eustath. ad Iliad. I, et Heraclides Lembus apud Athen. VIII c. 2. Autariatarum sedes fuit in finibus Dardaniae et Paeoniae. vid. Strab. lib. XVII. Abderitas vero coactos fuisse ranarum vi migrare, patriamque relinquere, nemo veterum tradidit. Quin Abdera diu post floruit veteribus incolis, in primis Democrito illustris. *Graeuius.*

minis in regnum Macedoniae vocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine iubet, corporaque eorum terra obrui, ne caedes sepultura proderetur; [4] et quasi parum facinoris in ipso primum rege, mox in matre eius Olympiade, ac filio admisisset; [5] alterum quoque filium cum matre Roxane, pari fraude interficit. Scilicet, quasi regnum Macedoniae, quod affectabat, aliter consequi, quam scelere, non posset. [6] Interea Ptolemaeus cum Demetrio, nauali praelio, iterato congreditur, et amissa classe, hostique concessa victoria, in Aegyptum refugit. [7] Demetrius filium Ptolemaei Leontiscum, et fratrem Menelaum, amicosque eius cum priuati instrumenti ministerio, pari prouocatus antea munere, Aegyptum remittit: [8] et vt appareret, eos non odio, sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella contendebant. [9] Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiae coluntur. [10] Hac victoria elatus Antigonus, regem se cum Demetrio filio appellari a populo iubet. [11] Ptolemaeus quoque, ne minoris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. [12] Quibus auditis, Cassander et Lysimachus, et ipsi regiam sibi maiestatem vindicauerunt. [13] Huius honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filii regis sui superesse potuerunt. [14] Tanta in illis verecundia fuit, vt, cum opes regias haberent, regum tamen nominibus aequo animo caruerint, quoad Alexandro iustus heres fuit. [15] Sed Ptolemaeus et Cassander, caeterique factionis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono viderent; dum priuatum singulorum, non commune vniuersorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria vnius, non omnium foret; [16] per epistolas se inuicem confirmantes, tempus et locum coëundi condicunt, bellumque communibus viribus instruunt. [17] Cui cum Cassander intersesse propter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum ingentibus copiis in auxilium sociis mittit.

III

[1] Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniae loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior: [2] quae tanta in illo fuit, vt animi magnitudine, philosophia ipsa, viriumque gloria omnes, per quos Oriens domitus est, vicerit. [3] Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem philosophum, propter salutationis Persicae interpellatum morem, insidiarum, quae sibi paratae fuerant, conscium fuisse iratus finxisset; [4] eumque truncatis crudeliter omnibus membris, abscisisque auribus, ac naso, labiisque, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset; [5] insuper cum cane in cauea clausum, ad metum caeterorum, circumferret: [6] tunc Lysimachus audire Callisthenem, et praecepta ab eo virtutis accipere solitus, misertus tanti viri, non culpae, sed libertatis poenas pendentis, venenum ei in remedia calamitatum dedit. [7] Quod adeo aegre Alexander tulit, vt eum obiici ferocissimo leoni iuberet. [8] Sed cum ad conspectum eius concitatus leo impetum fecisset, manum amiculo inuolutam Lysimachus in os leonis immersit, arreptaque lingua, feram exanimauit. [9] Quod cum nuntiatum regi esset, admiratio in satisfactionem cessit, carioremque eum propter constantiam tantae virtutis habuit. [10] Lysimachus quoque magno animo regis, veluti parentis, contumeliam tulit. [11] Denique omni ex animo huius facti memoria exturbata, postea in India infectanti regi quosdam palantes hostes, cum a satellitum turba, equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas arenarum moles cursus comes fuit. [12] Quod idem antea Philippus, frater eius, cum facere voluisset, inter manus regis exspirauerat.

8 *arreptaque*] Codex vterque Voss. *abreptaque*. Gronouius.

11 *exturbata*] Placet lectio vulgata. Liu. VI, 21 *Haec noua iniuria exturbauit omnem spem pacis.* et Seneca in Hippol. 129 *Nefanda casto pectore exturba oeyus.* Gronouius.

rauerat. [13] Sed Lysimachum desiliens equo Alexander hastae cuspide ita in fronte vulnerauit, vt sanguis aliter cludi non posset, quam diadema sibi demtum rex, alligandi vulneris caussa, capiti eius imponeret. [14] Quod auspicium primum regalis maiestatis Lysimacho fuit. [15] Sed et post mortem Alexandri, cum inter successores eius prouinciae diuiderentur, ferocissimae gentes, quasi omnium fortissimo, assignatae sunt: [16] adeo etiam consensu vniuersorum palmam virtutis inter caeteros tulit.

IIII

[1] Priusquam bellum inter Ptolemaeum, socioque eius, aduersus Antigonum committeretur, repente ex Asia maiore digressus Seleucus, nouus Antigono hostis accesserat. [2] Huius quoque et virtus clara, et origo admirabilis fuit. [3] Siquidem mater eius Laudice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse; [4] grauidamque factam, munus concubitus, anulum a deo accepisse, in cuius gemma ancora sculpta esset: iussiaque donum filio, quem peperisset, dare. [5] Admirabilem fecit hunc visum et anulus, qui postera die, eiusdem sculpturae, in lecto inuentus est: et figura ancorae, quae in femore Seleuci nata cum ipso paruulo fuit. [6] Quamobrem Laudice anulum Seleuco, eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua, dedit. [7] Vbi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, vrbem condidit, ibique geminae originis memoriam consecrauit. [8] Nam et vrbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocauit; et campos vicinos vrbi Apollini dicauit. [9] Originis eius argumentum etiam in posteris mansit: siquidem filii, nepotesque

13 *aliter cludi*] Videtur *te cludi non posset*. Gronouius.
auctor scripsisse, *vt sanguis an-*

que eius, ancoram in semore, veluti notam generis naturalem, habuere. [10] Multa in Oriente, post diuisionem inter socios regni Macedonici, bella gessit. [11] Principio Babyloniam cepit: inde auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnauit. [12] Transitum deinde in Indiam fecit, quae post mortem Alexandri, veluti ceruicibus iugo seruitutis excusso, praefectos eius occiderat. [13] Auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed titulum libertatis post victoriam in seruitutem verterat. [14] Siquidem occupato regno, populum, quem ab externa dominatione vindicauerat, ipse seruitio premebat. [15] Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus. [16] Quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici a rege iussus, salutem pedum celeritate quaesierat. [17] Ex qua fatigatione, cum somno captus iaceret, leo ingentis formae ad dormientem accessit, sudoremque profluentem lingua ei deterlit, expergefactumque blande reliquit. [18] Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus, Indos ad nouitatem regni sollicitauit. [19] Molienti deinde bellum aduersus praefectos Alexandri, elephantus ferus infinitae magnitudinis vltro se obtulit, et veluti domita manſuetudine, eum tergo excepit, duxque belli, et praeliator insignis fuit. [20] Sic acquisito regno, Sandrocottus ea tempestate, qua Seleucus futurae magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat: [21] cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. [22] Adunatis igitur omnium sociorum copiis, praelium committitur: in eo Antigonus occiditur; Demetrius, filius eius, in fugam vertitur. [23] Sed socii, profligato hostili bello, denuo in semet ipsos arma verterunt: et, cum de praeda non conuenirent, iterum in duas factiones diducuntur. [24] Seleucus Demetrio, Ptolemaeus

23 *in duas factiones deducuntur*] Ita [*diducuntur*] omnino scribendum. Petron. 67 *Totiusque nauigii turbam diducis*

maeus Lysimacho, iunguntur. Cassandro defuncto Philippus, filius, succedit. 25 Sic quasi ex integro noua Macedoniae bella nascuntur.

cit in partes. et Tacit. II Hist. 68 *Iis, qui ad spectandum conuenerant, in studia diductis.* et Plin. II Ep. 19 *Diductum in partes audientium studium.* et Noster XXXXI, 4 *Diductis Macedonibus in bellum ciuile.* Gronouius. MS. et Iuntae: *diducuntur.* hoc est, diuiduntur, scinduntur. Hoc est *diducere*, non *deducere.* Tacitus IIII Annal. 2 *Instabat quippe Seianus, incusabatque, diductam ciuitatem, vt ciuili bello.* hoc est, in duas partes seu factiones diuisam. In eod. libro: *diductus miles.* Probavit hanc lectionem Gronouius. *Graeuius.*

LIBER XVI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Antipater, Cassandri filius, fit parricida. Demetrius Alexandrum, Cassandri F., interficit, et Macedoniam vsurpat.*

II *Demetrius praelio fusus fugatur. Antipater parricida foede perit. In Cassandri familiam numinis vindicta. Ptolemaei placidum fatum.*

III *Bellum Pyrrhi et Lysimachi. De Heracleae origine, et statu digressio.*

IIII *Clearchi, tyranni Heraclienſis, artes luculenter describuntur.*

V *Quibus rationibus Clearchus tyrannidem firmauerit. Clearchus tandem a Chione et Leonide, iuuenibus nobiliſſimis, obtruncatur. Poſt Clearchi ſupplicium Heracleae conditio.*

I

[1] Poſt Caſſandri regis, filiique eius, Philippi, continuas mortes, Theſſalonice regina, vxor Caſſandri, non magno poſt tempore, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. [2] Cauſſa parricidii fuit, quod poſt mortem mariti, in diuiſione inter fratres regni, propenſior fuiſſe Alexandro videbatur. [3] Quod facinus in eo grauius omnibus viſum eſt, quod nullum maternae fraudis veſtigium fuit. [4] Quanquam in parricidio nulla ſatis iuſta cauſſa ad ſceleris patrocinia praetexi poteſt. [5] Ob haec igitur Alexander, in vltionem maternae necis, geſturus cum fratre bellum, auxilium a Demetrio petit: [6] nec Demetrius, ſpe inuadendi Macedonici regni, moram fecit. [7] Cuius aduentum verens Lyſimachus, perſuadet genero ſuo Antipatro, vt malit cum fratre in gratiam

4 *quanquam in parricidio nulla ſatis iuſta cauſſa ad ſceleris patrocinia praetexi poteſt*] Sic Iuntina, et ex MS. Britanni rectius quam vulgatae, quae *ſatis* praetermittunt. *Graeuius.*

gratiam reuerti, quam paternum hoſtem in Macedoniam admitti. [8] Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem cum praeſenſiſſet Demetrius, per inſidias Alexandrum interfecit; [9] occupatoque Macedoniae regno, caedem apud exercitum excuſaturus, in concionem vocat. [10] Ibi *priorem ſe petitum ab Alexandro* allegat; *nec feciſſe ſe, ſed occupaſſe inſidias.* [11] *Regem autem ſe Macedoniae vel aetatis experimentis, vel cauſſis iuſtiorem eſſe.* [12] *Patrem enim ſuum et Philippo regi et Alexandro Magno ſocium in omni militia fuiſſe:* [13] *liberorum deinde Alexandri miniſtrum, et ad perſequendos defectores ducem extitiſſe.* [14] *Contra, Antipatrum, auum horum adoleſcentium, amariorem ſemper miniſtrum regni, quam ipſos reges fuiſſe.* [15] *Caſſandrum vero patrem, extinctorem regiae domus, non feminis, non pueris pepercisſe: nec ceſſaſſe, quoad omnem ſtirpem regiae ſobolis deleret.* [16] *Horum ſcelerum vltionem, quia nequiſſet ab ipſo Caſſandro exigere, ad liberos eius translatam.* [17] *Quamobrem etiam Philippum, Alexandrumque, ſi quis manium ſenſus eſt, non interfectores ſuos, ac ſtirpis ſuae, ſed vltores eorum, Macedoniae regnum tenere malle.* [18] Per haec mitigato populo, rex Macedoniae appellatur. [19] Lyſimachus quoque, cum bello Doricetis regis Thracum premeretur, ne eodem tempore et aduerſus eum dimicare neceſſe haberet, tradita ei altera parte Macedoniae, quae Antipatro, eius genero, obuenerat, pacem cum eo fecit.

II

[1] Igitur Demetrius, totis Macedoniae regni viribus inſtructus, cum Aſiam occupare ſtatuiſſet, iterato Ptolemaeus, Seleucus, et Lyſimachus, experti priore certamine, quantae vires eſſent concordiae, pacta ſocietate adunatiſque exercitibus, bellum aduerſus Demetrium transferunt in Europam. [2] His comitem ſe, et belli ſocium, iungit Pyrrhus,

rex Epiri, sperans non difficilius Demetrium amittere Macedoniam posse, quam acquisierat. [3] Nec spes frustra fuit; quippe exercitu eius corrupto, ipsoque in fugam acto, regnum Macedoniae occupauit. [4] Dum haec aguntur, Lysimachus generum suum, Antipatrum, regnum Macedoniae ademtum sibi, soceri fraude querentem, interfecit; filiamque suam Eurydicen, querelarum sociam, in custodiam tradit: [5] atque ita vniuersa Cassandri domus Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis extinctae poenas, partim caede, partim supplicio, partim parricidio luit. [6] Demetrius quoque a tot exercitibus circumuentus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit. [7] Finito bello, Ptolemaeus cum magna rerum gestarum gloria moritur. Is, contra ius gentium, minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat, eiusque rei populo rationem reddiderat: [8] cuius non minor fauor in accipiendo, quam patris in tradendo, regno fuerat. [9] Inter caetera patris et filii mutuae pietatis exempla, etiam ea res amorem populi iuueni conciliauerat, quod pater, regno ei publice tradito, priuatus officium regi inter satellites fecerat, omnique regno pulcrius regis esse patrem duxerat.

III

[1] Sed inter Lysimachum, et Pyrrhum regem, socios paullo ante aduersus Demetrium, assiduum inter pares discordiae malum, bellum mouerat. [2] Victor Lysimachus, pulso Pyrrho, Macedoniam occupa-

9 *officium regi inter satellites fecerat*] Ouid. II de Arte Am. 388 *Officium faciat nulla puella mihi.* Horat. I Ep. 17, 21 *Officium facio.* Propert. IIII, 9. 47 *Idem ego Sidonia feci seruitia palla Officia, et Lydo pensa diurna colo.* et M. Senec. Controu. Praef. 4 *Non facis mihi officium.* Haec et emendanda est Historia Apollonii Tyrii. *Nam dulcis iuuenis iste naufragus est, et gymnasio mihi officio gratissime fecit.* lege, *gymnasii mihi officium.* Gronouius.

occupauerat. [3] Inde Thraciae, ac deinceps Heracleae bellum intulerat; cuius vrbis et initia et exitus admirabiles fuere; [4] quippe Boeotiis peſtilentia laborantibus, oraculum Delphis reſponderat, *coloniam in Ponti regione ſacram Herculi conderent.* [5] Cum propter metum longae ac periculoſae nauigationis, mortem in patria omnibus praeoptantibus, res omiſſa eſſet, bellum his Phocenſes intulerunt: [6] quorum cum aduerſa praelia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt: reſponſum, *idem belli quod peſtilentiae remedium fore.* [7] Igitur conſcripta colonorum manu, in Pontum delati, vrbem Heracleam condiderunt. Et quoniam fatorum auſpiciis in ſedes delati erant, breui tempore magnas opes parauere. [8] Multa deinde huius vrbis aduerſus finitimos bella, multae etiam domeſticae diſſenſiones, fuere. Inter caetera magnifica, vel praecipue illud memorabile fuit. [9] Cum rerum potirentur Athenienſes, victiſque Perſis, Graeciae et Aſiae tributum in tutelam claſſis deſcripſiſſent, omnibus cupide ad praeſidium ſalutis ſuae conferentibus; ſoli Heraclienſes, ob amicitiam regum Perſicorum, collationem abnuerunt. [10] Miſſus itaque ab Athenienſibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum, quod negabatur, dum, relictis in littore nauibus, agros Heraclienſium populatur, claſſem cum maiore parte exercitus, naufragio repentinae tempeſtatis amiſit. [11] Itaque cum neque mari poſſet amiſſis nauibus, neque terra auderet, cum parua manu inter tot ferociſſimas gentes, reuerti; Heraclienſes honeſtiorem beneficii, quam vltionis occaſionem rati, inſtructos commeatibus auxiliiſque dimittunt: [12] bene agrorum ſuorum populationem impenſam exiſtimantes, ſi quos hoſtes habuerant, amicos reddidiſſent.

IIII

8 *multae etiam domeſticae diſſenſiones fuere*] Antiquarum editionum, vt et Iuntinae, lectio eſt: *Multa etiam domeſticae diſſenſionis mala fuere.* non damnauerim. Alludit MS. *diſſenſionis multa belli fuere.* Pro *mala* ſcriptum eſt *multa. belli* ex praecedentibus irrepſit. *Graeuius.*

IIII

[1] Passi sunt inter plurima mala etiam tyrannidem: [2] siquidem cum plebs et nouas tabulas, et diuisionem agrorum diuitum, impotenter flagitaret; [3] diu re in senatu tractata, cum exitus rei non inueniretur; postremum aduersus plebem nimio otio lasciuientem, auxilia a Timotheo, Athenienſium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum, petiuere. [4] Vtrisque negantibus, ad Clearchum, quem ipsi in exilium egerant, decurrunt. [5] Tanta calamitatium necessitas fuit, vt, cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriae rauocarent. [6] Sed Clearchus exilio facinorosior redditus, et dissensionem populi occasionem inuadendae tyrannidis existimans, primo tacitus cum Mithridate, ciuium suorum hoste, colloquitur; [7] et inita societate pacisciturr, vt reuocatus in patriam, prodita ei vrbe, praefectus eius constitueretur. [8] Postea autem insidias, quas ciuibus parauerat, in ipsum Mithridatem verterat. [9] Namque cum, velut arbiter ciuilis discordiae, de exilio reuersus esset, statuto tempore, quo vrbem Mithridati traderet, ipsum cum amicis suis cepit; captumque, accepta ingenti pecunia, dimisit. [10] Atque vt in illo subitum se ex socio fecit hostem: sic ex defensore senatoriae cauſſae repente patronus

2 *cum plebs agrorum* etc.] Iuntae: *cum plebs et nouas tabulas, et diuisionem agrorum diuitum.* recte. Non omnium agrorum diuisionem, sed illorum, qui latifundia possidebant, plebs flagitabat. Quasi vero non multi ex plebe agros possederint. *Graeuius.*

diuitum] Forte *diuites.* nam *flagitare*, vtrumque Accusativum tam rei, quam personae adsciscit. Cic pro Plancio 2 *Dicendum est id, quod ille me flagitat.* Gronouius.

3 *diu re in senatu tractata*] Forte, *diuque re in senatu tractata exitus non inueniretur.* Gronouius. Sic optimi libri, et quidem recte. In membranis, quas Modius vidit, vltima syllaba earundem litterarum perierat, vt saepe factum. *Tractare in senatu* est deliberare. Suet. *Cepit amicos, cum quibus de rep. tractaret.* Graeuius.

nus plebis euasit; [11] et aduersus auctores potentiae suae, a quibus reuocatus in patriam, per quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem accendit, verum etiam nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit. [12] Igitur populo ad concionem vocato, *neque se affuturum amplius grassanti in populum senatui*, ait; *interfuturum etiam, si in pristina saeuitia perseueret:* [13] *quod si pares se crudelitati senatorum arbitrarentur, abiturum cum militibus suis, neque ciuilibus discordiis interfuturum.* [14] *Sin vero diffidant viribus propriis, vindictae se ciuium non defuturum.* [15] *Proinde consulant sibi ipsi: iubeant abire se, an malint cauſſae popularis ſocium remanere.* [16] His verbis sollicitata plebs, summum ad eum imperium defert: et dum senatus potentiae irascitur, in seruitutem se tyrannicae dominationis cum coniugibus et liberis tradit. [17] Igitur Clearchus LX senatores comprehensos; nam caeteri in fugam dilapsi erant; in vincula compingit. [18] Laetari plebs, quod a duce potissimum senatorum, senatus deleretur, versaque vice, auxilium eorum in exitium conuersum esse. [19] Quibus dum mortem passim omnibus minatur, cariora eorum pretia facit: [22] siquidem Clearchus magna pecunia, quasi minis populi occulte eos subtracturus, acceptа, spoliatos fortunis, vita quoque spoliauit.

V

[1] Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis, qui profugerant, misericordia in auxilium sollicitatis

15 *proinde consulant sibi ipsi, iubeant abire se, si malint, vel cauſſae populari ſocium remanere*] Hic locus est contaminatus. Quid hic, *si malint?* Codex manu exaratus Bongarsii: *an sibi malint.* Rescribe cum Iuntis: *proinde consulant sibi ipsi, Iubeant abire se, an malint ſocium cauſſae popularis remanere. Si* natum est ex praecedente *se.* Cum et *an* in aliis libris reperiretur, mutatum est in *sibi*; sed cum hiaret oratio, additum *vel.* Graeuius.

tatis ciuitatibus, pararetur, seruos eorum manumittit. [2] Et, ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, vxores eorum, filiasque, nubere seruis suis, proposita recusantibus morte, compellit; vt eos sibi fidiores, et dominis infestiores, redderet. [3] Sed matronis tam lugubres nuptiae grauiores repentinis funeribus fuere. [4] Itaque multae se ante nuptias, multae in ipsis nuptiis, occisis prius nouis maritis, interficiunt, et se tam funestis calamitatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. [5] Praelium deinde committitur: quo victor tyrannus captiuos senatores in triumphi modum per ora ciuium trahit. [6] Reuersus in vrbem alios vincit, torquet alios, alios occidit; nullus locus vrbis a crudelitate tyranni vacat. [7] Accedit saeuitiae insolentia, crudelitati arrogantia. [8] Interdum enim ex successu continuae felicitatis obliuiscitur se hominem: interdum Iouis se filium dicit. [9] Eunti per publicum, aurea aquila velut argumentum generis praeferebatur: [10] veste purpurea, et cothurnis regum tragicorum, et aurea corona vtebatur: [11] filium quoque suum Ceraunon vocat, vt deos non mendacio tantum, verum etiam nominibus, illudat. [12] Haec illum facere duo nobilissimi iuuenes, Chion et Leonides, indignantes, patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. [13] Erant hi discipuli Platonis philosophi; qui virtutem, ad quam quotidie praeceptis magistri erudiebantur, patriae exhibere cupientes, quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. [14] Ipsi, more iurgantium, ad tyrannum, veluti ad regem, in arcem contendunt: [15] qui iure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur.

8 *interdum enim*] Angli et Iuntae recte omittunt *enim*. Aliud est sane nimia felicitate obliuisci fragilitatis humanae, aliud iactare se deorum filium. *Graeuius*.

15 *qui iure familiaritatis admissi*] Forte, *quibus iure familiaritatis admissis*. Gronouius.

catur. [16] Sed et ipſi, ſociis tardius auxilium ferentibus, a ſatellitibus obruuntur. [17] Quare factum eſt, vt tyrannus quidem occideretur, ſed patria non liberaretur. [18] Nam frater Clearchi, Satyrus, eadem via tyrannidem inuadit; multiſque annis, per gradus ſucceſſionis, Heraclienſes ſub regno tyrannorum fuere.

18 *Heraclienſes ſub regno tyrannorum fuere*] Recte MSS. *Heraclienſes regnum tyrannorum fuere.* Virgil. I Aen. *Hoc regnum dea gentibus eſſe ſi qua fata.* Liu. I 1. *Gabios regnum Tarquinii vocat.* Id. XXVIIII, 32 *Maſaeſylorum fines, id Syphacis regnum erat.* et XXX, 11 *Maſaeſyli regnum paternum Maſiniſſae.* Gronovius. Iſ. Voſſius legit: *Heraclienſes regnum tyrannorum fuere.* Angli vero in ſuis libris inuenerunt: *Heraclienſes ſub regnum tyrannorum fuere.*] Sic et in Iuntina legitur. Sed aut Voſſii emendatio amplectenda, aut a vulgata non diſcedendum. *Graeuius.*

LIBER XVII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Lysimachi regis tragoedia.*

II *Amissis XV liberis in praelio occumbit. Seleucus per insidias occiditur a Ptolemaeo. Ptolemaeus principum amicitias, Pyrrhi praesertim, sibi conciliat.*

III *De Epirotarum regno, eiusdemque origine ac regibus, digressio. Pyrrhi varia fortuna.*

I

[1] Per idem ferme tempus in Hellesponti et Chersonesi regionibus terrae motus fuit: [2] maxime tamen Lysimachia vrbs, ante duos et viginti annos a Lysimacho rege condita, euersa est. [3] Quod portentum dira Lysimacho, stirpique eius, ac regni ruinam, cum clade vexatarum regionum, portendebat. [4] Nec ostentis fides defuit. nam breui post tempore, Agathoclem filium suum, quem in successionem regni ordinauerat, per quem multa bella prospere gesserat, non solum patrium, verum etiam humanum vltra morem, perosus, ministra Arsinoë nouerca, veneno interfecit. [5] Haec illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit. [6] Nam parricidium principum sequutae caedes sunt, luentium supplicia, quod occisum iuuenem dolebant. [7] Itaque et hi, qui caedibus superfuerant, et hi, qui exercitibus praeerant, certatim ad Seleucum deficiunt; [8] eumque pronum iam ex aemulatione gloriae, bellum Lysimacho inferre compellunt. [9] Vltimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, et, velut ad exemplum fortunae, par reservatum.

3 *quod portentum - portendebat*] Vix dubium, quin Auctor scripserit, *prodigium* etc., eodem plane modo, vt XXXX, 2 *Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices responderunt.* Gronouius.

vatum. [10] Lysimachus quatuor et LXX annos natus erat, Seleucus septem et LXX. [11] Sed in hac aetate vtrique animi iuueniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. [12] Quippe cum orbem terrarum duo soli tenerent, angustiis sibimet inclusi videbantur, vitaeque finem non annorum spatio, sed imperii terminis, metiebantur.

II

[1] In eo bello Lysimachus, amissis ante variis casibus XV liberis, non instrenue moriens, postremus domus suae ruinae cumulus accessit. [2] Laetus tanta victoria Seleucus, et quod maius victoria putabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse; victoremque victorum extitisse, non humanum esse opus, sed diuinum munus, gloriatur: [3] ignarus prorsus, non multo post fragilitatis humanae se ipsum exemplum futurum. [4] Quippe post menses admodum septem a Ptolemaeo, cuius sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circumuentus occiditur; [5] regnumque Macedoniae, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amittit. [6] Igitur Ptolemaeus cum et in gratiam memoriae magni Ptolemaei patris, et in fauorem vltionis Lysimachi

12 *angustiis sibimet inclusi videbantur*] Iuntae: *angustiis sibi metis inclusi videbantur*. Graeuius.

1 *non instrenue moriens*] MSS. omnes, vt et Iuntae: *non strenue moriens*. Ab omnibus tamen dicitur in praelio occubuisse in campis Cori. Sic paullo post rursus Iuntae cum omnibus MSS. *ambitiosus ad populares esset*. Quod mirum cur spreuerint. *ad* enim pro *apud* infinitis locis apud priscos scriptores ponitur. Liu. XXXIIII, 48 *Q. Statorio nomen fuit, qui ad regem remansit*. Cicer. V ad Fam. ep. 10 *Ad Caesarem meam caussam agas*. Id. X ad Att. *Ad me bene mane Dionysius fuit*. Et sic Terentius, Caesar, aliique maxime idonei Latinae linguae auctores. *Graeuius*.

6 *cum et in gratiam* etc.] Mallem legere, *Cum et gratia memoriae magni Ptolemaei patris, tum fauore vltionis* etc. *Gronouius*.

Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primo Lysimachi filios conciliare sibi statuit; [7] nuptiasque Arsinoës sororis suae, matris eorum petit; [8] puerorum adoptione promissa; vt, cum in locum patris eorum succedissent, nihil illi moliri, vel verecundia matris, vel appellatione patris auderent. [9] Fratris quoque regis Aegypti concordiam per epistolas deprecatur, professus *deponere se offensam erepti paterni regni, neque amplius a fratre quaesiturum, quod honestius a paterno hoste perceperit.* [10] Omnique arte adulatur Eumeni, et Antigono, Demetrii filiis, Antiocho, filio Seleuci, cum quibus bellum

10 *adulatur Eumeni* etc.] Locus vehementer corruptus, cuius haud scio an verba ipsa, sententiam forte, repraesentavero. Scribendum est: *Omnique arte adulatur Nicomedi, ne cum Antigono Demetrii, Antiocho Seleuci filiis bellum habituro, tertius sibi hostis accederet.* Nullum circa haec tempora inuenio Eumenem, quem vereri poterat Ptolemaeus. Sed Nicomedem Bithynum, Antigoni amicum, hostem Antiochi, inuenio apud Memnonem in Excerptis Photianis: cuius illi haud dubie potuit vtilis esse gratia; si nihil aliud, ad morandum Antiochum. Nam cum duobus istis simultates erant inexpiabiles, quorum alter Macedoniam, velut paternum regnum, vindicabat, alterius patrem ipse interfecerat. Et *Eumenes*, pro *Nicomede* bis etiam habetur in vulgatis exemplaribus XXVIII, 3. Sic et XXXIII, 1 *Et Eumeni regi Bithyniae denuntiatum.* Immo, vel *Eumeni regi Pergami*, vel *Prusiae regi Bithyniae.* Nec melius XXXII, 4 Eumenis Pergameni, qui cum Prusia Bithyno bellum gessit, milites *Pontici* vocantur. *Id ridiculum Ponticis visum*, immo *Pergamenis.* Gronouius. Locum hunc conclamatum mihi ἰατρόχυς pro sollertia sui ingenii restituisse videtur Gronovius, cui tot alia loca restituta debet omnis antiquitas: *Omnique arte adulatur Nicomedi, ne cum Antigono Demetrii, et Antiocho Seleuci filiis bellum habituro tertius sibi hostis accederet.* Huius emendationis hanc reddit rationem, quod nullus circa haec tempora Eumenes fuerit, quem vereri potuerit Ptolemaeus. Sed Memnonem in excerptis Photianis narrare Nicomedem Bithynum fuisse Antigoni amicum, hostem Antiochi: cuius illi haud dubie potuerit vtilis esse gratia, si nihil aliud, ad morandum Antiochum. Nam cum duobus istis simultates fuisse inexpiabiles, quorum alter paternum regnum vindicaverit, alterius patrem ipse interfecerit. *Gracuius.*

bellum habiturus erat, ne tertius sibi hostis accederet. [11] Sed nec Pyrrhus, rex Epiri, omissus, ingens momentum futurus, vtri parti socius accessisset; [12] qui et ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat. [13] Itaque Tarentinis aduersus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naues, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit; ab Antiocho pecuniam, qui opibus, quam militibus, instructior erat; a Ptolemaeo Macedonum militum auxilia. [14] Sed Ptolemaeus, cui nulla dilationis ex infirmitate virium venia esset, quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta, non amplius quam in biennii vsum dedit. [15] Ob haec Pyrrhus, filia Ptolemaei in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit: ne, abducta in Italiam iuuentute, praedam hostibus regnum relinqueret.

III

[1] Sed quoniam ad Epiri mentionem ventum est; de origine regni eius pauca narranda sunt. [2] Molossorum primum in ea regione regnum fuit. [3] Post Pyrrhus, Achillis filius, amisso per absentiam Troianis temporibus paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidae primo, postea Epirotae, dicti sunt. [4] Sed Pyrrhus cum in templum Dodonaei Iouis ad consulendum venisset, ibi Lanassam, neptem Herculis, rapuit: ex cuius matrimonio

13 *ab Antigono naues ad exercitum in Italiam deportandum mutuo petit*] Melioris temporis scriptores dicerent *naues mutuas petit*. et id postulat Latinae linguae genius. Posterioris tamen aetatis scriptores hic recesserunt a via maiorum et priscae eloquentiae vtris trita. *Graeuius.*

15 *vindicem regni reliquit, ne abducta in Italiam iuuentute*] Iuntarum editio non secus, ac Francisci Modii membranae, vocibus aliquot auctius legunt: *Vindicem eum regni reliquit, pacificatus cum omnibus finitimis, ne abducta.* Inferius XXIII, 1 *Agathocles, rex Siciliae, pacificatus cum Carthaginiensibus.* Et VI, 2 *pacificari cum altero statuit.* Graeuius.

trimonio octo liberos sustulit. [5] Ex his nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, [*] opesque affinitatium auxilio magnas parauit: [6] atque ita Heleno, filio Priami regis, ob industriam singularem, regnum Chaonum, et Andromachen Hectoris, quam et ipse matrimonio suo in diuisione Troianae praedae acceperat, vxorem tradidit: [7] breuique post tempore, Delphis insidiis Orestae, filii Agamemnonis, inter altaria dei interiit. [8] Successor huic Pialis filius fuit. [9] Per ordinem deinde regnum ad Arrybam descendit: [10] cui, quoniam pupillus et vnicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura seruandi eius educandique, publice tutores constituuntur: [11] Athenas quoque, erudiendi gratia, missus: quanto doctior maioribus suis, tanto et gratior populo fuit. [12] Primus itaque et leges, et senatum, annuosque magistratus et reip. formam composuit: [13] et vt a Pyrrho sedes, sic vita cultior populo ab Arryba, statuta. [14] Huius filius Neoptolemus fuit: ex quo nata est Olympias, mater Alexandri Magni, et Alexander, [15] qui post eum regnum Epiri tenuit: et in Italia bello gesto, in Bruttiis interiit. [16] Post eius mortem frater Aeacides regno successit, qui, assiduis aduersus Macedonas bellorum

6 *Andromachem Hectoris, quam et ipse matrimonio suo in diuisione Troianae praedae acceperat*] Hunc locum sic restituas oportet: *Andromachen Hectoris e matrimonio suo, quos* (Helenum scilicet et Andromachen) *in diuisione Troianae praedae acceperat, vxorem tradidit.* Sensus est, Pyrrhum Heleno, filio Priami, regnum Chaonum, ac Andromachen, Hectoris filiam, quam ipse in matrimonium receperat, in vxorem dedisse. Helenus enim et Andromache in Troianae praedae diuisione Pyrrho obtigerant. Vide Senec. Troad. *Gronouius.* Quid est *matrimonio accipere?* Quis sic loquitur? MSS. *Andromachen Hectoris et matrimonio suo, quos in diuisionem.* In vno pro *quos* legitur *quam.* Et sic plane luntae, vti omnino legendum est: *Andromachen Hectoris e matrimonio suo, quam ipse in diuisione Troianae praedae acceperat.* Andromachen, quam in matrimonio habuerat, Pyrrhus elocat Heleno, Priami filio. *Graeuius.*

8 *Pialis*] Recte luntae: *Pielus.* Sic Pausaniae dicitur. *Graeuius.*

bellorum certaminibus populum fatigando, offensam ciuium contraxit: [17] ac propterea in exilium actus, Pyrrhum filium bimum, admodum paruulum, in regno reliquit. [18] Qui et ipse cum a populo propter odium patris ad necem quaereretur, furtim subtractus in Illyrios defertur: [19] traditusque est Beroae, Glauciae regis vxori, nutriendus, quae et ipsa generis Aeacidarum erat. [20] Ibi eum seu misericordia fortunae eius, seu infantilibus blandimentis inductus rex, aduersum Cassandrum, Macedoniae regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu protexit, addito in auxilium etiam adoptionis officio. [21] Quibus rebus moti Epirotae, odio in misericordiam verso, annorum XI eum in regnum reuocauerunt, datis tutoribus, qui regnum vsque adultam eius aetatem tuerentur. [22] Adolescens deinde multa bella gessit; tantusque rerum successu haberi coeptus est, vt Tarentinos solus aduersus Romanos tueri posse videretur.

17 *Pyrrhum filium viuum admodum*] Vidit Bongarsius legendum *bimum admodum*. Et recte vidisse virum excellentem luntatum illa praestantissima editio confirmat, in qua sic, vt ille coniecerat, legitur. *Bimum admodum* est circiter, praeter propter bimum. in hac enim notione saepe legitur. cap. praecedente huius libri: *post menses admodum septem*. Et lib. XI *Inter haec octingenti admodum Graeci occurrunt*. Curtius: *Equites mille admodum*. Pro quo et alibi *quasi* ponit; vt Graeci ὡσεί. *Graevius*.

19 *Glauci regis*] Legendum omnino, vt luntarum et G. Maioris editiones habent: *Glauciae*, confirmante Plutarcho. Post luntae: *vsque in adultam aetatem*. Graeuius.

LIBER XVIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Pyrrho, Tarentinis aduersus Romanos suppetias ferenti, Valerius Laeuinus occurrit: vnde praelia et strages.*
II *Carthaginiensium auxilium Romani remittunt. Pax cum Pyrrho componitur. Romanorum continentia. Pyrrhus Siciliam occupat.*
III *De Carthaginiensium origine et veteribus incolis digressio, in qua etiam de Sidonis et Tyri conditoribus.*
IIII *Noui incolae Tyri, inter quos Elissa, quae a Pygmalione fratre recedit, vt rebus suis consuleret.*
V *Elissa, agnomine Dido, Cyprum appellit: deinde in sinum Africae defertur, et Carthaginem condit.*
VI *Elissa propter Iarbae votum sibi vim infert: Carthaginiensium crudelis superstitio.*
VII *Clades Carthaginiensium in Sardinia. Superstites in exilium pulsi, patriam armis recuperare nituntur: vnde Malei patris in Cartalonem filium saeuitas: et paullo post cruentus interitus.*

I

[1] Igitur Pyrrhus, rex Epiri, cum iterata Tarentinorum legatione, additis Samnitium et Lucanorum precibus, et ipsis auxilio aduersus Romanos indigentibus, fatigaretur, non tam supplicum precibus, quam spe inuadendi Italiae imperii inductus, venturum se cum exercitu pollicetur. [2] In quam rem inclinatum semel animum, praecipitem agere coeperant exemplа maiorum: ne aut inferior patruo suo Alexandro videretur, quo defensore iidem Tarentini aduersus Bruttios vsi fuerant: aut minores animos Magno Alexandro habuisse, qui tam longa a domo militia Orientem subegit. [3] Igitur relicto custode regni filio Ptolemaeo, annos XV nato, exercitum in portu Tarentino exponit, duobus

1 *et ipsis auxilio aduersus Romanos indigentibus*] Optime MS. Bongarsi. *auxilium aduersus Romanos pollicentibus.* vt Tacit. I Ann. 60 *Chauci cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt.* Gronouius.

bus paruulis filiis, Alexandro et Heleno, in solatia longinquae secum expeditionis adductis. 4 Cuius audito aduentu, Consul Romanus Valerius Laeuinus, festinans, vt prius cum eo congrederetur, quam auxilia sociorum conuenirent, exercitum in aciem educit. 5 Nec rex, tametsi numero militum inferior esset, certamini moram fecit. 6 Sed Romanos vincentes iam, inusitata ante elephantorum forma stupere primo, mox cedere praelio coëgit; victoresque iam noua Macedonum monstra repente vicerunt. 7 Nec hostibus incruenta victoria fuit. Nam et ipse Pyrrhus grauiter vulneratus est; et magna pars militum eius caesa; maioremque gloriam eius victoriae, quam laetitiam, habuit. 8 Huius pugnae euentum multae ciuitates secutae, Pyrrho se tradunt. 9 Inter caeteras etiam Locri, prodito praesidio Romano, ad Pyrrhum deficiunt. 10 Ex ea praeda Pyrrhus CC captiuos milites Romam gratis remisit, vt, cognita virtute eius, Romani cognoscerent etiam liberalitatem. 11 Interiectis deinde diebus, cum sociorum exercitus superuenisset, iterato praelium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit.

II

1 Interea Mago, dux Carthaginiensium, in auxilium Romanorum cum CXX nauibus missus, senatum adiit, *aegre tulisse Carthaginienses* affirmans, quod

O 4

6 *inusitata ante elephantorum*] Scribe, *inusitata ante elephantorum forma*. Liu. IIII, 33 *Quum repente patefactis Fidenarum portis, noua erupit acies, inaudita ante id tempus, inusitataque*. Et XXVII, 39 *Inusitati namque antea alienigenis, nec videre ipsi aduenam in sua terra assueti*. Curt. VIIII, 1 *Magnitudinis inusitatae reperire serpentes*. vbi vulgo editur, *inusitatae*. sed male. *Gronouius*. Scribe cum Gronouio: *inusitata elephantorum forma*. hoc est, bestiae nunquam antehac visae. Hoc enim Latinis est *inusus* et *invisitatus*. Quod saepe corruptum est in *inusitatus*. Graevius.

quod bellum in Italia a peregrino rege paterentur. [2] *Ob quam causſam missum se, vt, quoniam externo hoſte oppugnarentur, externis auxiliis iuuarentur.* [3] Gratiae a ſenatu Carthaginienſibus actae, auxiliaque remiſſa. [4] Sed Mago Punico ingenio, poſt paucos dies tacitus, quaſi pacificator Carthaginienſium, Pyrrhum adit, ſpeculaturus conſilia eius de Sicilia, quo eum arceſſiri fama erat. [5] Nam Romanis eadem cauſſa mittendi auxilii Carthaginienſibus fuerat, vt Romano bello, ne in Siciliam tranſire poſſet Pyrrhus, in Italia detineretur. [6] Dum haec aguntur, legatus a ſenatu Romano Fabricius Lucinus miſſus, pacem cum Pyrrho compoſuit. [7] Ad quam confirmandam, Cyneas Romam cum ingentibus a Pyrrho donis miſſus, neminem, cuius domus muneribus pateret, inuenit. [8] Huic continentiae Romanorum ſimile exemplum iiſdem ferme temporibus fuit. [9] Nam miſſi a ſenatu in Aegyptum legati, cum ingentia ſibi a Ptolemaeo rege miſſa munera ſpreuiſſent, interiectis diebus ad coenam inuitatis, aureae coronae miſſae ſunt: quas illi honoris cauſſa receptas, poſtera die ſtatuis regis impoſuerunt. [10] Igitur Cyneas cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiaſſet, interrogatus a Pyrrho, *Qualis Roma eſſet*, reſpondit, *Regum vrbem ſibi viſam.* [11] Poſt haec legati Siculorum ſuperueniunt, tradentes Pyrrho totius inſulae imperium,

4 *quo eum arceſſiri*] Vulg. *arceſſiri.* Scribe *arceſſi.* Gronouius. MSS. *arceſſi.* Graeuius.

7 *Cyneas*] Scribendum *Cineas*, cum melioribus libris. *Graeuius.*

9 *ad coenam inuitatis, aureae coronae miſſae ſunt, quas illi honoris cauſſa. receptas*] MSS. *hominis cauſſa.* vnde bene Freinshemius coniecit legendum eſſe, *ominis cauſſa.* Sed male interpretatur, tanquam mali ominis fuiſſet hoſpitalia munera non admittere. imo quia victoriae indicium erat corona. Triumphantes enim coronabantur. Sic apud Liuium lib. XXII, 37 de aurea victoria ab Hierone ſenatui miſſa *victoriam omenque ſe accipere*, dixit ſenatus, cum alia munera reſpuiſſet. *Graeuius.*

rium, quae assiduis Carthaginiensium bellis vexabatur. [12] Itaque relicto Locris Alexandro filio, firmatisque sociorum ciuitatibus valido praesidio, in Siciliam exercitum traiecit.

III

[1] Et quoniam ad Carthaginiensium mentionem ventum est, de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paullo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. [2] Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit: [3] qui terrae motu vexati, relicto patriae solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum littus, incoluerunt, [4] condita ibi vrbe, quam a piscium vbertate Sidona appellauerunt. nam piscem Phoenices Sidon vocant. [5] Post multos deinde annos a rege Ascaloniorum expugnati, nauibus appulsi, Tyron vrbem ante annum Troianae cladis condiderunt. [6] Ibi Persarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere: sed attritis viribus, a seruis suis multitudine abundantibus, indigna supplicia perpessi sunt: [7] qui conspiratione facta, omnem liberum populum cum dominis interficiunt: atque ita potiti vrbe, lares dominorum occupant, remp. inuadunt, coniuges ducunt, et, quod ipsi non erant, liberos procreant. [8] Vnus ex tot millibus seruorum fuit, qui miti ingenio, senis domini, paruulique filii eius, fortuna moveretur: dominosque non truci feritate, sed piae

5 *nauibus appulsi, Tyron vrbem*] Forte, *nauibus appulsis*. Liu. XXX, 19 *Ibi eum* (Magonem) *legati ab Carthagine paucis ante diebus in sinum Gallicum appulsis nauibus adiecerunt*. Suet. Oct. 98 *Vectores nautaeque de naui Alexandrina, quae tantum quod appulerat* etc. *Gronouius.*

8 *qui miti ingenio senis domini* etc.] Quaedam editiones post τὸ *ingenio* habent distinctionem, quae omnino delenda est. Sensus est, qui misereretur domini sui ob clementiam eius pristinam, et sub quo ei mitis ac liberalis fuerat servitus. *Gronouius.*

misericordiae humanitate respiceret. [9] Itaque cum velut occisos alienasset, seruisque de statu reip. deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creari, eumque potissimum quasi acceptissimum diis, qui solem orientem primus vidisset: rem ad Stratonem, hoc enim ei nomen erat, dominum occulte latentem detulit. [10] Ab eo formatus, cum medio noctis omnes in vnum campum processissent, caeteris in Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur. [11] Id primum aliis videri furor, in Occidente solis ortum quaerere: vbi vero dies aduentare coepit, editissimisque culminibus vrbis oriens splendere; exspectantibus aliis, vt ipsum solem aspicerent; hic primus omnibus fulgorem solis in summo fastigio ciuitatis ostendit. [13] Non seruilis ingenii ratio visa; requirentibusque auctorem, de domino confitetur. [14] Tunc intellectum est, quantum ingenua seruilibus ingenia praestarent; malitiaque seruos, non sapientia, vincere. [15] Igitur venia seni filioque data est: et velut numine quodam reseruatos arbitrantes, regem Stratonem creauerunt. [16] Post cuius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes transiit. [17] Celebre hoc seruorum facinus, metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. [18] Itaque Alexander Magnus, cum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, velut vltor publicae securitatis, expugnata eorum vrbe, omnes, qui praelio superfuerant, ob memoriam veteris caedis crucibus affixit; [19] genus tantum Stratonis inuiolatum seruauit, regnumque stirpi eius restituit, ingenuis et innoxiis incolis insulae attributis, vt, exstirpato seruili germine, genus vrbis ex integro conderetur.

IIII

9 *quasi acceptissimum diis*] MSS. *placitissimum*. Quod merito probat Gronouius. Valer. Flacc. *placitosque diis ne deserat actus*. Graeuius.

11 *id primum*] Forte, *Is primum*. Gronouius.

IIII

[1] Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auſpiciis conditi, parſimonia et labore quaerendi cito conualuere. [2] Ante cladem dominorum cum et opibus, et multitudine abundarent, miſſa in Africam iuuentute, Vticam condidere: [3] cum interim rex Tyro decedit, filio Pygmalione, et Eliſſa filia, inſignis formae virgine, heredibus inſtitutis. [4] Sed populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit. [5] Eliſſa quoque Acerbae auunculo ſuo, ſacerdoti Herculis, qui honos ſecundus a rege erat, nubit. [6] Huic magnae, ſed diſſimulatae opes erant: aurumque, metu regis, non tectis, ſed terrae crediderat; [7] quam rem etſi homines ignorabant, fama tamen loquebatur. [8] Qua incenſus Pygmalion, oblitus iuris humani, auunculum ſuum, eundemque generum, ſine reſpectu pietatis occidit. [9] Eliſſa diu fratrem propter ſcelus auerſata, ad poſtremum diſſimulato odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacito molitur, aſſumtis quibuſdam principibus in ſocietatem, quibus par odium in regem eſſe, eandemque fugiendi cupiditatem, arbitrabatur. [10] Tunc fratrem dolo aggreditur, fingit, *Se ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidae obliuionis, grauem luctus imaginem renouaret, nec vltra amara admonitio oculis eius occurrat.* [11] Non inuitus Pygmalion verba ſororis audiuit, exiſtimans cum ea et aurum Acerbae ad ſe venturum. [12] Sed Eliſſa miniſtros migrationis a rege miſſos, nauibus cum omnibus opibus ſuis prima veſpera imponit, pro-

3 *rex Mutgo Tyro*] Ioſeph. contra Apion. I p. 927 eſt Μύττωνος: et *Mutines* Liu. XXVI, 21. *Gronouius.* Hic fuit *Mettinus*, filius Badezori. Vide inſigne fragmentum Menandri Epheſii de regibus Tyriis, qui ab Hiramo vſque ad Pygmalionem et Didonem apud Ioſephum II contra Apionem. *Graeuius.*

10 *grauem luctus imaginem renouaret*] Iuntae: *renouet*, vt reſpondeat, quod ſequitur, *nec occurrat.* Graeuius.

prouectaque in altum, compellit eos onera arenae, pro pecunia inuolucris inuoluta, in mare deiicere. [13] Tunc deflens ipsa, lugubrique voce Acerbam ciet: orat, *Vt libens opes suas recipiat, quas reliquerat; habeatque inferias, quas habuerat caussam mortis.* [14] Tunc ipsos ministros aggreditur: *Sibi quidem* ait *optatam olim mortem: sed illis acerbos cruciatus, et dira supplicia imminere, qui Acerbae opes, quarum spe parricidium rex fecerit, auaritiae tyranni subtraxerint.* [15] Hoc metu omnibus iniecto, comites fugae accepit. Iunguntur et senatorum in eam noctem praeparata agmina; atque ita sacris Herculis, cuius sacerdos Acerbas fuerat, repetitis, exilio sedes quaerunt.

V

[1] Primus illis appulsus terrae, Cyprus insula fuit: [2] vbi sacerdos Iouis, cum coniuge et liberis, deorum monitu, comitem se Elissae sociumque fortunae praebuit, pactis sibi posterisque perpetuum honorem sacerdotii. [3] Conditio pro manifesto omine accepta. [4] Mos erat Cypriis, virgines ante nuptias statutis diebus dotalem pecuniam quaesituras, in quaestum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri soluturas. [5] Harum igitur ex numero LXXX admodum virgines raptas nauibus imponi Elissa iubet; vt et iuuentus matrimonia, et vrbs sobolem, habere posset. [6] Dum haec aguntur, Pygmalion cognita sororis fuga, cum impio bello fugientem persequi pararet, aegre precibus matris, et deorum minis victus, quieuit: [7] cui cum inspirati vates canerent, *Non impune laturum, si*

2 *comitem se Elissae sociumque praebuit*] Veteres editiones cum Iuntina: *comitem se Elissae sociumque fortunae offert.* quod et Britanni in duobus codicibus repertum merito receperunt. inferius iidem: *hortatique sunt, vt vrbem ibi conderent.* Graeuius.

4 *statutis*] Forte, *statis.* Gronouius.

si incrementa vrbis toto orbe auspicatissimae interpellasset: hoc modo spatium respirandi fugientibus datum. [8] Itaque Elissa delata in Africae sinum, incolas loci eius, aduentu peregrinorum, mutuarumque rerum commercio, gaudentes, in amicitiam sollicitat: [9] deinde emto loco, qui corio bouis tegi posset, in quo fessos longa nauigatione socios, quoad proficiscerentur, recipere posset; corium in tenuissimas partes secari iubet, atque ita maius loci spatium, quam petierat, occupat: vnde postea ei loco Byrsae nomen fuit. [10] Confluentibus deinde vicinis locorum, qui spe lucri multa hospitibus venalia inferebant; [11] sedesque ibi statuentibus, ex frequentia hominum velut instar ciuitatis effectum est. [12] Vticensium quoque legati dona, vt consanguineis, attulerunt; hortatique sunt, vrbem ibi conderent, vbi sedes sortiti essent. [13] Sed et Afros detinendi aduenas amor cepit. [14] Itaque consentientibus omnibus Carthago conditur, statuto annuo vectigali pro solo vrbis. [15] In primis fundamentis caput bubulum inuentum est, quod auspicium quidem fructuosae terrae, sed laboriosae, perpetuoque seruae vrbis fuit: propter quod in alium locum vrbs translata. [16] Ibi quoque equi caput repertum, bellicosum potentemque populum futurum significans, vrbi auspicatam sedem dedit. [17] Tunc ad opinionem nouae vrbis concurrentibus gentibus, breui et populus, et ciuitas magna facta.

VI

8 *mutuarumque rerum commercio*] Liuio dicitur *mutuus vsus*. Liu. XXXIIII *Commercio Graecorum Hispani gaudebant. Huius mutui vsus desiderium, vt Hispana vrbs Graecis pareret, fecit.* et XXXVIII *Id oppidum multarum gentium fines contingit, quarum commercium in eum maxime locum mutui vsus contraxere.* Graeuius.

15 *seruae vrbis*] Liu. XXXIIII, 81 *Seruae et vectigales vrbes.* et Vlpian. L. 20 § 1 D. de Adquir. R. Dom. *Seruus fundus.* Gronouius.

VI

[1] Cum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, rex Maxitanorum, Hiarbas, decem Poenorum principibus ad se arcessitis, Elissae nuptias, sub belli denuntiatione, petit: [2] quod legati reginae referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt; nuntiantes, *Regem aliquem poscere, qui cultiores victus eum, Afrosque perdoceat:* [3] *sed quem inueniri posse, qui ad Barbaros et ferarum more viuentes transire a consanguineis velit?* [4] Tunc a regina castigati, *Si pro salute patriae asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur:* regis mandata aperuere, dicentes, *Quae praecipiat aliis, ipsi facienda esse, si velit vrbi consultum esse.* [5] Hoc dolo capta, diu Acerbae viri nomine cum multis lacrimis et lamentatione flebili inuocato, ad postremum, *Ituram se, quo suae vrbis fata vocarent*, respondit. [6] In hoc trium mensium sumto spatio, pyra in vltima parte vrbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura, multas hostias caedit, et sumto gladio pyram conscendit; [7] atque ita ad populum respiciens, *Ituram se ad virum, sicut praeceperant*, dixit, vitamque gladio finiuit. [8] Quamdiu Carthago inuicta fuit, pro dea culta est. [9] Condita est vrbs haec LXXII annis ante, quam Roma; [10] cuius virtus sicut bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est. [11] Cum inter caetera mala etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, et scelere pro remedio vsi sunt. [12] Quippe homines, vt victimas immolabant; et impuberes; quae aetas etiam hostium misericordiam prouocat; aris admouebant, pacem deorum sanguine

2 *cultiores victus*] Iuntae etiam cum aliis editionibus *Cultiores mores, victusque*. Deinde in iisdem est: *iturum se quo nam et vrbis fata vocarent.* Quod male repudiarunt receptiores editores. Mox Iuntae: *Cum inter caetera mala peste laborarent.* Graeuius.

sanguine eorum expoſcentes, pro quorum vita dii rogari maxime ſolent.

VII

1 Itaque aduerſis tanto ſcelere numinibus, cum in Sicilia diu feliciter dimicaſſent, translato in Sardiniam bello, amiſſa maiore exercitus parte, gravi praelio victi ſunt. 2 Propter quod ducem ſuum Maleum, cuius auſpiciis et Siciliae partem domuerant, et aduerſus Afros magnas res geſſerant, cum parte exercitus, quae ſuperfuerat, exulare iuſſerunt. 3 Quam rem aegre ferentes milites, legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo, veniamque infelicis militiae, petant; tum denuntient, *quod precibus nequeant, armis ſe conſecuturos.* 4 Cum et preces et minae legatorum ſpretae eſſent, interiectis diebus, conſcenſis nauibus, armati ad vrbem veniunt: 5 ibi deos hominesque teſtati, *non ſe expugnatum, ſed recuperatum, patriam venire; oſtenſuroſque ciuibus ſuis, non virtutem ſibi priore bello, ſed fortunam, defuiſſe:* 6 prohibitis commeatibus, obſeſſaque vrbe, in ſummam deſperationem Carthaginienſes adduxerunt. 7 Interea Cartalo, Malei exulis ducis filius, cum praeter caſtra patris a Tyro, quo decimas Herculis ferre ex praeda Sicilienſi quam pater eius ceperat, a Carthaginienſibus miſſus fuerat, reuerteretur, arceſſituſque a patre eſſet, *prius publicae ſe religionis officia exſecuturum, quam priuatae pietatis*, reſpondit. 8 Quam rem etſi indigne ferret pater, non tamen vim

2 *propter ducem ſuum Maleum*] Puto legendum eſſe *Malchum*. Id enim eſt nomen Phoenicium et Hebraicum, vti non ſolum ex ſacro codice, ſed et aliis conſtat. Nam Porphyrio philoſopho, qui Phoenix fuit, nomen fuit, vt et patri eius, Malcho. מֶלֶךְ *Melech* autem, vnde Malchus, Hebraeis *regem* ſignificat. *Graevius.*

5 *ibi deos hominesque teſtari*] Iuntae cum aliis: *teſtati*. Inferius iidem: *Nec multo poſt affectati regni accuſatus.* Graevius.

vim afferre religioni ausus est. [9] Interiectis deinde diebus, Cartalo, petito commeatu a populo, cum reuersus ad patrem esset; ornatusque purpura, et insulis sacerdotii, omnium se oculis ingereret, tunc in secretum abducto pater ait: [10] *Aususne es, nefandissimum caput, ista purpura et auro ornatus, in conspectum tot miserorum ciuium venire? et moesta ac lugentia castra, circumfluentibus quietae felicitatis insignibus, velut exultabundus intrare? Nusquamne te aliis iactare potuisti?* [11] *Nullus locus aptior, quam sordes patris, et exilii infelicis aerumnae fuerunt?* [12] *Quid, quod paullo ante vocatus, non dico patrem, ducem certe ciuium tuorum, superbe spreuisti?* [13] *Quid porro tu in purpura ista coronisque aliud, quam victoriarum mearum titulos, geris?* [14] *Quoniam igitur tu in patre nihil nisi exulis nomen agnoscis; ego quoque imperatorem me magis, quam patrem, iudicabo; statuamque in te exemplum, ne quis posthac infelicibus miseriis patris illudat.* [15] Atque ita eum cum ornatu suo in altissimam crucem in conspectu vrbis suffigi iussit. [16] Post paucos deinde dies Carthaginem capit: euocatoque populo ad concionem, exilii iniuriam queritur: belli necessitatem excusat: *Contentumque victoria sua, punitis auctoribus miserorum ciuium, iniuriosi exilii omnibus se veniam dare* dicit. [17] Atque ita decem senatoribus interfectis, vrbem legibus suis reddidit. [18] Nec multo post ipse affectati regni accusatus, duplicis, et in filio et in patria, parricidii poenas dedit. [19] Huic Mago imperator successit, cuius industria, et opes Carthaginiensium, et imperii fines, et bellicae gloriae laudes, creuerunt.

LIBER

LIBER XVIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Magoni, Carthaginiensium imperatori, succedunt Hasdrubal et Hamilcar. Hasdrubal in Sardinia perit. Inde Siculum bellum, et Persarum legatio.*
II *Horum filii, et Carthaginiensis clades exercitus in Sicilia.*
III *Imilco, dux huius exercitus, Carthaginem reuersus, spe omni abiecta mortem sibi infert.*

I

[1] Mago, Carthaginiensium imperator, cum primus omnium, ordinata disciplina militari, imperium Poenorum condidisset, viresque ciuitatis, non minus bellandi arte, quam virtute, firmasset, diem fungitur, relictis duobus filiis, Hasdrubale et Hamilcare: [2] qui per vestigia paternae virtutis decurrentes, sicuti generi, ita et magnitudini patris successerunt. [3] His ducibus Sardiniae bellum illatum: aduersus Afros quoque, vectigal pro solo vrbis multorum annorum repetentes, dimicatum: [4] sed Afrorum sicuti caussa iustior, ita et fortuna superior fuit: [5] bellumque cum his solutione pecuniae, non armis, finitum. [6] In Sardinia quoque Hasdrubal grauiter vulneratus, imperio Hamilcari fratri tradito, interiit: [7] cuius mortem, cum luctus ciuitatis, tum et dictaturae vndecim, et triumphi quatuor insignem fecere: [8] hostibus quoque creuere animi, veluti cum duce vires Poenorum cecidissent. [9] Itaque Siciliae populis propter assiduas Carthaginiensium iniurias, ad Leonidam, fratrem regis Spartanorum, concurrentibus, graue bellum natum: in quo et diu, et varia

8 *veluti cum duce* etc.] Iuntae melius: *veluti cum duce vires Poenorum concidissent.* Graeulus.

9 *concurrentibus*] Censeo, Iustinum scripsisse: *Ad Leonidam fratrem regis Spartanorum decurrentibus.* hoc est, eius opem implorantibus. Sicut enim *succurrere* est opem ferre,

varia victoria praeliatum fuit. [10] Dum haec aguntur, legati a Dario, Persarum rege, Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Poeni humanas hostias immolare, et canina vesci prohibebantur; [11] mortuorumque corpora cremare potius, quam terra obruere, a rege iubebantur: [12] petentes simul auxilia aduersus Graeciam, cui illaturus bellum Darius erat. [13] Sed Carthaginienses auxilia negantes, propter assidua finitimorum bella, caeteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

II

[1] Interea Hamilcar bello Sicilienſi interficitur, relictis tribus filiis, Imilcone, Hannone, Giſcone. [2] Haſdrubali quoque par numerus filiorum fuit, Annibal, et Haſdrubal, et Sappho. [3] Per hos res Carthaginienſium ea tempeſtate gerebantur. [4] Itaque et Mauris bellum illatum, et aduerſus Numidas pugnatum, et Afri compulſi ſtipendium vrbis conditae Carthaginienſibus remitterē. [5] Deinde cum familia tanta imperatorum grauis liberae ciuitati eſſet, omniaque ipſi agerent ſimul et iudicarent,

re, ſic *decurrere*, opem implorare, non infrequenter apud noſtrum. Superius XIIII, 2 *Optimum viſum eſt ad Alexandri Magni Argyraſpidas, inuictum exercitum et tot victoriarum praefulgentem gloria, decurrere.* Quin et Cicero pro Quint. 15 *Ad haec extrema et inimiciſſima iura tam cupide decurrebas.* XXVIII, 1 *Ad regem Macedoniae Demetrium decurrit.* Graeuius.

11 *mortuorumque corpora* etc.] Lege, *mortuorumque corpora cremare* (ſubintellige, *prohibebantur*, quod proxime praecedit), *quae potius terra obruere a rege inbebantur.* Et ſic contrarius exiſtit ſenſus. Perſae enim cremare cadauera vetabant Carthaginienſibus, quod ignem, quem pro deo colebant, pollui ſummopere cadaueribus exiſtimarent: pretioſiſſima vero quaeque in ignem immittero non verebantur, additis hiſce verbis ſua lingua κάρτα πῦρ θεός, vt refert Max. Tyr. *Gronouius.*

2 *Sappho*] MS. et Iuntae: *Sapbo.* Bene Voſſius: *Pſapho.* Graeuius.

rent, centum ex numero ſenatorum iudices deliguntur, qui reuerſis a bello ducibus, rationem rerum geſtarum exigerent, [6] vt hoc metu ita in bello imperia cogitarent, vt domi iudicia legeſque reſpicerent. [7] In Sicilia in locum Hamilcaris, imperator Imilco ſuccedit: qui cum nauali terreſtrique bello ſecunda praelia feciſſet, multaſque ciuitates cepiſſet, repente peſtilentis ſideris vi exercitum amiſit. [8] Quae res cum nuntiata Carthagini eſſet, moeſta ciuitas fuit: omnia vlulatibus, non ſecus ac ſi vrbs ipſa capta eſſet, perſonabant: [9] clauſae priuatae domus, clauſa deorum templa, intermiſſa omnia ſacra, omnia priuata officia damnata. [10] Cuncti deinde ad portum congregantur, egredienteſque paucos e nauibus, qui cladi ſuperfuerant, de ſuis percontantur. [11] Vt vero dubia antea ſpe, et ſuſpenſo metu, incerta orbitatis exſpectatione, caſus ſuorum miſeris eluxit, tunc toto littore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum vlulatus, et flebiles querelae audiebantur.

5 centum ex numero ſenatorum iudices deliguntur] Vides hic, quando iudices ſint inſtituti, et quae fuerint eorum partes. Illorum potentia poſtea valde creuit, vt apud Romanos Gracchanis temporibus. Nunquam tamen penes illos fuit ſumma imperii, vt penes iudices Hebraeorum; vt putavit vir magnus, Samuel Bochartus in Geographiae ſacrae Tom. II. Sed ſemper penes Suffetes et Senatum, quamuis *Suffetes* ſignificet iudices. Apud Carthaginienſes tamen ſic proprie dicebantur ſummi magiſtratus, qui Romae conſules erant; ii cum Senatu regebant rempublicam. Ab his diſtinctus erat iudicum ordo hic inſtitutus: licet *Suffetes* etiam dicerentur, vt ex Liuio conſtat. ſed non praeerat reipublicae, non minus ſane quam Romae equeſter ordo; cum in eum translata eſſet iudicandi poteſtas, quamuis et ii *fata fortunaſque principum haberent in manu*, vt Florus loquitur lib. III, 17. Quin et illos cap. 12 eiuſdem libri *regnaſſe* dixit, vt Liu. lib. 33 *Iudicum Carthaginienſium orationem dominatum eſſe*. hoc eſt, magna fuiſſe potentia, qua immoderate ſint vſi. *Graeuius.*

III

[1] Inter haec procedit inops e naui sua imperator, sordida seruilique tunica discinctus: ad cuius conspectum plangentium agmina iunguntur. [2] Ipse quoque manus ad caelum tendens, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet: [3] nunc *deos* accusat, *qui tanta belli decora, et tot ornamenta victoriarum, quae ipsi dederant, abstulerint: qui captis tot vrbibus, totiesque hostibus terrestri nauali*que *praelio victis, exercitum victorem non bello, sed peste, deleuerint.* [4] *Deferre se tamen ciuibus suis non modica solatia, quod malis eorum hostes gaudere, non gloriari, possent.* [5] *Quippe cum neque eos, qui mortui sunt, a se occisos, neque eos, qui reuersi sunt, a se fugatos, possint dicere.* [6] *Praedam, quam relictis a se castris abstulerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis ostentent: sed quam possessione vacua, fortuitis dominorum mortibus, sicuti caduca occuparint.* [7] *Quod ad hostes pertinet, victores se recessisse: quod ad pestem, victos.* [8] *Nihil tamen se grauius ferre, quam quod inter fortissimos viros mori non potuerit, seruatusque sit non ad vitae iucunditatem, sed ad ludibrium calamitatis.* [9] *Quanquam vbi miseras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, se quoque sequuturum commilitones suos:* [10] *ostensurumque patriae, non ideo se in eam diem vixisse, quoniam velit viuere: sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostium exercitus relictos, morte sua proderet.* [11] Tali vociferatione per vrbem ingressus, vt ad limina domus suae venit, prosecutam multitudinem velut postremo alloquio dimisit: [12] obseratisque foribus, ac nemine ad se, ne filiis quidem admissis, mortem sibi consciuit.

6 *quam possessione vacua* etc.] Scribe, *quam possessione vacuam* *i. e. m. sicuti caducam occupa-*

rint, et paullo post, *Pertineat*, pro *pertinet*. Gronovius.

LIBER

LIBER XX

BREVIARIVM CAPITVM

I *Dionysius, Siciliae tyrannus, Graeciae magnae incolas bello aggreditur.*
II *Metapontinorum origo et fata.*
III *Crotonienſium et Locrenſium bella.*
IIII *Pythagoras Philoſophus Crotonienſes ad frugalitatem reuocat.*
V *Dionyſius, victis Locrenſibus, Crotonienſes adoritur, quos relinquit ab Hannone retractus, et tandem ſuorum inſidiis opprimitur.*

I

[1] Dionyſius, e Sicilia Carthaginienſibus pulſis, occupatoque totius inſulae imperio, graue otium regno ſuo, periculoſamque deſidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam traiecit: [2] ſimul vt militum vires continuo labore acuerentur, et regni fines proferrentur. [3] Prima militia aduerſus Graecos, qui proxima Italici maris littora tenebant, fuit: [4] quibus deuictis, finitimos quoſque aggreditur, omneſque Graeci nominis Italiam poſſidentes, hoſtes ſibi deſtinat: [5] quae gentes non partem, ſed vniuerſam ferme Italiam, ea tempeſtate occupauerant. [6] Denique multae vrbes adhuc poſt tantam vetuſtatem veſtigia Graeci moris oſtentant. [7] Namque Tuſcorum populi, qui oram inferi maris poſſident, a Lydia venerunt: [8] et Venetos, quos incolas ſuperi maris videmus, capta et expugnata Troia, Antenore duce, miſit; [9] Adria quoque Illyrico mari proxima, quae et Adriatico mari nomen dedit, Graeca vrbs eſt; [10] et Arpos Diomedes excifo Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. [11] Sed et Piſae in Liguribus Graecos auctores habent; et in Tuſcis Tarquinii a Theſſalis et Spi-

11 *Tarquinii a Theſſalis Spinambris*] Recepi inſignem emendationem Iſaaci Voſſii: *Spina in Vmbris*. Paullo ante ex

na in Vmbris : Perusini quoque originem ab Achaeis ducunt. [12] Quid Ceren vrbem dicam ? Quid Latinos populos, qui ab Aenea conditi videntur ? [13] Iam Falisci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt ? [14] Quid tractus omnis Campaniae ? Quid Bruttii, Sabinique ? Quid Samnites ? [15] Quid Tarentini ? quos Lacedaemone profectos, Spuriosque vocatos accepimus ? [16] Thurinorum vrbem condidisse Philocteten ferunt, ibique adhuc monumentum eius visitur : et Herculis sagittae in Apollinis templo, quae fatum Troiae fuere.

II

[1] Metapontini quoque in templo Mineruae ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, ostentant. [2] Propter quod omnis illa pars Italiae, maior Graecia appellata est. [3] Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis et Crotonienſibus pellere caeteros Graecos Italia statuerunt. [4] Cum primum vrbem Sirim cepissent, in expugnatione eius quinquaginta iuuenes amplexos Mineruae simulacrum, sacerdotemque deae velatum ornamentis, inter ipsa altaria trucidauerunt. [5] Ob haec cum peste et seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt. [6] Responsum his est, *Finem mali fore, si violatum Mineruae numen, et interfectorum manes placassent.* [7] Itaque cum statuas iuuenibus iustae magnitudinis, et in primis Mineruae fabricare coepissent, Metapontini, cognito oraculo deorum, occupandam manium et deae pacem rati, iuuenibus modica et lapidea simulacra ponunt, et deam pani-

ex Iuntis : *Et Arpos.* Mox iidem *Caere* scribunt, et *Phasci.* Graeuius.

4 *cum primum vrbem Sirim cepissent*] Gronouius Obseru. I, 7 legit; *Cum primum vrbem Sirim cepisset.* Graeuius.

panificiis placant. [8] Atque ita peſtis vtrobique ſedata eſt, cum alteri magnificentia, alteri velocitate, certaſſent. [9] Recuperata ſanitate, non diu Crotonienſes quieuere. [10] Itaque indignantes, in oppugnatione Siris, auxilium contra ſe a Locrenſibus latum, bellum his intulerunt. [11] Quo metu territi Locrenſes, ad Spartanos decurrunt: auxilium ſupplices deprecantur. [12] Illi longinqua militia grauati auxilium a Caſtore et Polluce petere eos iubent. [13] Neque legati reſponſum ſociae vrbis ſpreuerunt: profectique in proximum templum, facto ſacrificio, auxilium deorum implorant. [14] Litatis hoſtiis, obtentoque, vt rebantur, quod petebant, haud ſecus laeti, quam ſi deos ipſos ſecum auecturi eſſent: pulvinaria iis in naui componunt, ſuſtiſque profecti ominibus, ſolatia ſuis pro auxiliis deportant.

III

[1] His cognitis, Crotonienſes et ipſi legatos ad oraculum Delphos mittunt, victoriae facultatem, bellique proſperos euentus deprecantes. [2] Reſponſum, *Prius votis hoſtes, quam armis vincendos.* [3] Cum vouiſſent Apollini decimas praedae, Locrenſes et voto hoſtium, et reſponſo dei cognito, nonas vouerunt; tacitamque eam rem habuere, ne votis

P 4

12 *longinqua militia grauati*] Lege, *longinquam militiam grauati*. Vide Diatrib. Stat. 23. *Gronouius*.

14 *quaſi deos ipſos ſecum deuecturi eſſent*] Omnino recipienda veterum Modii membranarum lectio: *auecturi eſſent*. Paullo ante ſcribe cum Gronouio: *longinquam militiam grauati*. Nolebant ſuſcipere expeditionem in tam longe a patria remotam gentem. Aliud eſt *grauari militia*, aliud *grauari militiam*. *Grauatur militia*, cui militia grauis eſt, qui moleſtias ex ea capit; *gravatur militiam*, qui eam recuſat, non vult ſubire. Horat. IIII Od. XI *Pegaſus terrenum equitem grauatus*, non eſt, vt exponit vir doctiſſimus et diſertiſſimus, cui graue moleſtumque erat ferre; tunc enim dicendum fuiſſet: *terreno equite grauatus*: ſed nolebat pati, ſuſcipere ferendum equitem terrenum. *Graeuius*.

tis vincerentur. [4] Itaque cum in aciem processissent, et Crotonienſium centum viginti millia armatorum constitissent, Locrenſes paucitatem ſuam circumſpicientes; nam ſola quindecim millia militum habebant; omissa ſpe victoriae, in destinatam mortem conſpirant: [5] tantusque ardor ex desperatione ſingulos cepit, vt victores se putarent, ſi non inulti morerentur. [6] Sed dum mori honeste quaerunt, feliciter vicerunt. Nec alia cauſſa victoriae fuit, quam quod desperauerunt. [9] Pugnantibus Locris, aquila ab acie nunquam receſſit, eoſque tam diu circumvolauit, quoad vincerent. [8] In cornibus quoque duo iuuenes diuerſo a caeteris armorum habitu, eximia magnitudine, et albis equis, et coccineis paludamentis, pugnare viſi ſunt, nec vltra apparuerunt, quam pugnatum eſt. [9] Hanc admirationem auxit incredibilis famae velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatum eſt, et Corintho, et Athenis, et Lacedaemone nuntiata eſt victoria.

IIII

[1] Poſt haec Crotonienſibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura, fuit. [2] Oderant enim, quae infeliciter ſumſerant, mutaſſentque vitam luxuria, ni Pythagoras philoſophus fuiſſet. [3] Hic Sami Demarato, locuplete negotiatore, natus, magniſque ſapientiae incrementis formatus, Aegyptum

9 *Corintho*] Scribe *Corinthi*. Gronouius.

3 *magniſque ſapientiae incrementis ornatus*] Quid eſt *ſapientiae incrementis ornari?* Abhorrent ab hoc loquendi genere Latinae aures. Lege ex MSS. cum Gronouio: *Magnis ſapientiae incrementis formatus*. hoc eſt, cum ſic eſſet inſtitutus et formatus a magiſtris, vt magnos in ſapientiae ſtudiis feciſſet progreſſus. lib. XVIII, 3 *Ab eo formatus, cum medio noctis omnes in vnum campum proceſſiſſent.* VIII, 2 *Ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus inſtitutiſque formata.* Ouid. III Metam.

Talibus ignaram Iuno Cadmeida dictis
Formarat. - - -

Horat. *Tenerae mentes formandae ſtudiis.* Graeuius.

ptum primo, mox Babyloniam ad perdiſcendos ſiderum motus, originemque mundi ſpectandam, profectus, ſummam ſcientiam conſecutus erat. [4] Inde regreſſus, Cretam et Lacedaemona, ad cognoſcendas Minois et Lycurgi inclytas ea tempeſtate leges, contenderat. [5] Quibus omnibus inſtructus Crotonam venit, populumque in luxuriam lapſum, auctoritate ſua ad vſum frugalitatis reuocauit. [6] Laudabat quotidie virtutem, vitia luxuriae, caſuſque ciuitatium, ea peſte perditarum, enumerabat; [7] tantumque ſtudium ad frugalitatem multitudinis prouocauit, vt aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. [8] Matronarum quoque ſeparatam a viris doctrinam, et puerorum a parentibus frequenter habuit. [9] Docebat nunc has pudicitiam, et obſequia in viros; nunc illos modeſtiam, et litterarum ſtudium. [10] Inter haec velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat; [11] conſecutuſque diſputationum aſſiduitate erat, vt matronae auratas veſtes, caeteraque dignitatis ſuae ornamenta, velut inſtrumenta luxuriae, deponerent; eaque omnia delata in Iunonis aedem ipſi deae conſecrarent, [12] prae ſe ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non veſtes, eſſe. [13] In iuuentute quoque quantum profligatum ſit, victi feminarum contumaces animi manifeſtant. [14] Sed CCC ex iuuenibus, cum ſodalitii iuris ſacramento quodam nexi, ſeparatam a caeteris ciuibus vitam exercerent, quaſi coetum clandeſtinae coniurationis haberent, ciuitatem in ſe conuerterunt, [15] quae eos, cum in vnam domum conueniſſent, cremare voluit. [16] In quo tumultu LX ferme periere: caeteri in exilium profecti. [17] Pythagoras autem cum annos XX Croto-

14 *ſodalitii iuris ſacramento quodam nexi*] MSS. *Sodalitii iuris ſacramento quodam nexi.* Quod exoſculatur merito Gronouius Obſeru. IIII, 17, praefatus ſodalitii iuris ſacramentum eſſe illud vinculum, quo continebatur ſocietas illorum, qui coierant. *Graeuius.*

nae egiſſet, Metapontum migrauit, ibique deceſſit, [18] cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo eius templum facerent, eumque pro deo colerent.

V

[1] Igitur Dionyſius tyrannus, quem ſupra a Sicilia exercitum in Italiam traieciſſe, bellumque Graecis intuliſſe, memorauimus, expugnatis Locris, Crotonienſes, vix vires longo otio ex prioris belli clade reſumentes, aggreditur: [2] qui fortius cum paucis tanto exercitui eius, quam antea cum tot millibus Locrenſium paucitati reſtiterunt. [3] Tantum virtutis paupertas aduerſus inſolentes diuitias habet, tantoque inſperata interdum ſperata victoria certior eſt. [4] Sed Dionyſium gerentem bellum, legati Gallorum, qui ante menſes Romam incenderant, ſocietatem amicitiamque petentes adeunt: [5] *Gentem ſuam inter hoſtes eius poſitam eſſe, magnoque vſui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in praelium hoſtibus*, affirmant. [6] Grata legatio Dionyſio fuit. Ita pacta ſocietate, et auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro reſtaurat. [7] His autem Gallis cauſſa in Italiam veniendi, ſedeſque nouas quaerendi, inteſtina diſcordia, et aſſiduae domi diſſenſiones fuere: [8] quarum taedio, cum in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt: et Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. [9] Tuſci quoque, duce Rhaeto, auitis ſedibus amiſſis, Alpes occupauere: et ex nomine ducis gentes Rhaetorum condiderunt. [10] Sed Dionyſium in Siciliam aduentus Carthaginienſium reuocauit: qui reparato exercitu, bellum, quod

8 *Vergamum*] Haec barbari ſaeculi ſcriptura eſt. Recte Iuntae: *Bergomum*. Sicut et ſuperius *Abellani* pro *Auellani*, Graeuius.

quod lue deseruerant, auctis viribus repetebant. [11] Dux belli Hanno Carthaginiensis erat: [12] cuius inimicus Suniatus, potentissimus ea tempestate Poenorum, cum odio eius, Graecis litteris, Dionysio aduentum exercitus, et segnitiem ducis familiariter praenuntiasset, comprehensis epistolis, proditionis damnatur: facto senatus consulto, [13] *Ne quis posthea Carthaginiensis, aut litteris Graecis, aut sermoni studeret: ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete possit.* [14] Nec multo post Dionysius, quem paullo ante non Sicilia, non Italia, capiebat, assiduis belli certaminibus victus fractusque, insidiis ad postremum suorum interficitur.

LIBER XXI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Dionysii iunioris artes tyrannicae describuntur.*
II *Eiusdem luxuria crudelitas, doli, exilium, tyrannis in Locrenses.*
III *Callido commento Locrenses spoliat, et obtruncat, ac Syracusas per proditionem recipit.*
IIII *Hannonis, tyrannidem Carthagini occupare tentantis, tragoedia.*
V *Dionysius iunior, Sicilia eiectus, Corinthi moratur.*
VI *Hamilcarem, cognomine Rhodanum, Alexandri consilia speculatum, ingrati Carthaginienses interficiunt.*

I

[1] Extincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum eius milites maximum natu ex filiis eius, nomine Dionysium, sufficere; [2] et naturae ius secuti, et quod firmius futurum esse regnum, si penes vnum remansisset, quam si portionibus inter plures filios diuideretur, arbitrabantur. [3] Sed Dionysius inter initia regni, auunculos fratrum suorum, veluti aemulos imperii sui, hortatoresque puerorum ad diuisionem regni, tollere gestiebat. [4] Quare paullisper dissimulatum animum prius ad fauorem popularium conciliandum intendit: excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. [5] Igitur nexorum tria millia e carcere dimittit: tributa populo per triennium remittit; et quibuscunque delinimentis potest, animos omnium sollicitat. [6] Tunc ad destinatum facinus conuersus, non cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos interficit: [7] vt, quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos prius, quam in exteros, auspicatus.

II

4 *quare*] Forte *quem*. Gronouius.

7 *vt, quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consor-*

II

[1] Sublatis deinde aemulis, in segnitiem lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit, adeo vt non solem, non puluerem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset. [2] Propter quae dum contemni se putat, saeuitia grassatur: nec vt pater carcerem nexis, sed caedibus ciuitatem, replet. [3] Ob quae non contemtior omnibus, quam inuisior, fuit. [4] Itaque cum bellum aduersus eum Syracusani decreuissent, diu dubitauit, imperium deponeret, an bello resisteret. [5] Sed a militibus, praedam et vrbis direptionem sperantibus, descendere in praelium cogitur. [6] Victus cum iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens, *se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, quibuscum sibi de pace conueniret.* [7] In quam rem missos primores in carcere retinet, atque ita incautis omnibus, nec quicquam hostile meruentibus, exercitum ad delendam ciuitatem mittit. [8] Fit igitur in ipsa vrbe anceps praelium: in quo oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur: qui

consortium relinqueret] Controuersiam mouent huic lectioni viri docti. Fateor *consortium* posse sine sententiae detrimento semel deleri; sed nec incommode, quin *ἐν δυνάμει* repetitur. Sic XXIII, 2 *Nec inuitam periculo spiritus sui emturam, vt extremos viri spiritus excitaret.* Potuisset scribere: *nec inuitam periculo spiritus sui emturam, vt extremum viri exciperet.* Sed sic maluit. Et haec vocum iteratio cum apud poëtas, tum apud oratores et historicos, saepe vi singulari est. Sed τῷ *consortium* expuncto legendum esse *spiritum*, viris doctis minime possum assentiri. *Consortium* est cohereditas. *Consortes* sunt coheredes. Hoc igitur dixit Iustinus, qui debebant esse cum eo heredes regni, illos nec communis huius vitae vsura secum frui patiebatur: seu qui cum illo debebant regnare, eos ne secum quidem viuere sinebat. Apud Ouidium in epist. Heroid. *consortes generis* dicuntur eiusdem generis participes, siue consanguinei. Quidni ergo et *vitae consortes* dici possint ii, qui eiusdem vitae sunt participes? *Graeuius.*

qui cum obsidionem arcis timeret, cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus. [9] Exul a Locrensibus sociis exceptus, velut iure regnaret, arcem occupat; solitamque sibi saeuitiam exercet. [10] Coniuges principum ad stuprum rapi iubebat: virgines ante nuptias abducebat, stupratasque sponsis reddebat: locupletissimos quosque aut ciuitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaque eorum inuadebat.

III

[1] Dein cum rapinae occasio deesset, vniuersam ciuitatem callido commento circumuenit. [2] Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, vouerant, si victores forent, vt die festo Veneris virgines suas prostituerent. [3] Quo voto intermisso, cum aduersa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius vocat: hortatur, *Vt vxores filiasque suas in templum Veneris quam possint ornatissimas mittant:* [4] *ex quibus sorte ductae centum, voto publico fungantur; religionisque gratia, vno stent in lupanari mense, omnibus ante iuratis viris, ne quis vllam attaminet.* [5] *Quae res ne virginibus, voto ciuitatem soluentibus, fraudi esset, decretum facerent, Ne qua virgo nuberet prius, quam illae maritis traderentur.* [6] Probato consilio, quo et superstitioni et pudicitiae virginum consulebatur, certatim omnes feminae impensius exornatae, in templum Veneris conueniunt: [7] quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat, ornamentaque matronarum in praedam suam vertit. [8] Quarundam viros ditiores interficit, quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet. [9] Cum his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum ciuitate pulsus, in Siciliam redit. [10] Ibi Syracusas securis omnibus post longam intercapedinem pacis, per proditionem recipit.

IIII

[1] Dum haec in Sicilia geruntur, interim in Africa princeps Carthaginienſium Hanno opes ſuas, quibus vires reip. ſuperabat, ad occupandam dominationem intendit, regnumque inuadere, interfecto ſenatu, conatus eſt. [2] Cui ſceleri ſollennem nuptiarum diem filiae ſuae legit, vt religione votorum nefanda commenta facilius tegerentur. [3] Itaque plebi epulas in publicis porticibus, ſenatui in domo ſua parat, vt poculis veneno infectis, ſecretius ſenatum, et ſine arbitris, interficeret, orbamque remp. facilius inuaderet. [4] Qua re magiſtratibus per miniſtros prodita, ſcelus declinatum, non vindicatum eſt, ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita, quam cogitata. [5] Contenti itaque cohibuiſſe, decreto modum nuptiarum ſumtibus ſtatuunt; idque obſeruari non ab vno, ſed ab vniverſis, iubent, ne perſona deſignata, ſed vitia correcta viderentur. [6] Hoc conſilio praeuentus, iterum ſeruitia concitat, ſtatutaque rurſus caedium die, cum denuo ſe proditum videret, timens iudicium, munitum quoddam caſtellum cum viginti millibus ſeruorum armatis occupat. [7] Ibi dum Afros, regemque Maurorum concitat, capitur, virgiſque caeſus, effoſſis oculis, et manibus cruribuſque fractis, velut a ſingulis membris poenae exigerentur, in conſpectu populi occiditur; corpus verberibus lacerum in cruce figitur. [8] Filii quoque cognatique omnes, etiam innoxii, ſupplicio traduntur, ne quiſquam aut ad imitandum ſcelus, aut ad mortem

5 *ne perſona deſignata, non vitia correcta viderentur*] Iuntae, nonnullique alii editi libri: *ne perſona deſignata, ſed vitia correcta vid.* Senſus neceſſario requirit *ſed*. Lege itaque: *ne perſona deſignata, ſed vitia correcta viderentur.* Poſſet et *correpta* ferri, vt *correptus voce magiſtri* apud Horat.: ſed praeferenda veterum codicum ſcriptura. *Gravius.*

mortem vlciſcendam, ex tam nefaria domo ſupereſſet.

V

[1] Interea Dionyſius Syracuſis receptus, cum gratior crudeliorque indies ciuitati eſſet, iterata conſpiratione obſidetur. [2] Tunc depoſito imperio, arcem Syracuſanis cum exercitu tradit; receptoque priuato inſtrumento, Corinthum in exilium proficiſcitur. [3] Ibi humillima quaeque tutiſſima exiſtimans, in ſordidiſſimum vitae genus deſcendit: [4] non contentus in publico vagari, ſed potare: nec conſpici in popinis, lupanaribuſque, ſed totis diebus deſidere: [5] cum perditiſſimo quoque de minimis rebus diſceptare, pannoſus et ſqualidus incedere: [6] riſum libentius praebere, quam captare: in macello perſtare; quod emere non poterat, oculis deuorare: [7] apud aediles aduerſus lenones iurgari; omniaque ita facere, vt contemnendus magis, quam metuendus, videretur. [8] Noviſſime ludimagiſtrum profeſſus, pueros in triuio docebat, vt aut a timentibus ſemper in publico videretur, aut a non timentibus facilius contemneretur. [9] Nam licet tyrannicis vitiis ſemper abundaret: tamen ſimulatio haec vitiorum, non naturae, erat; magiſque haec arte, quam amiſſo regali pudore faciebat, expertus, quam inuiſa tyrannorum forent etiam ſine opibus nomina. [10] Laborabat itaque inuidiam praeteritorum contemtu praeſentium demere, neque honeſta, ſed tuta, conſilia circumſpiciebat. [11] Inter has tamen ſimulationum artes, inſimulatus eſt

2 *recepto priuato inſtrumento*] *Recipere* hic idem eſt, quod excipere, vel retinere, quomodo etiam hoc verbum vſurpatur ab ICtis. Vnde *ſeruus receptitius* apud Gell. XVII, 6. et Cic. Top. 26 *Cum aedes fundumue vendiderint, rutis caeſis receptis.* et II de Orat. 55 *Cum aedes venderes, ne in rutis quidem, et caeſis tibi paternum ſolum recepiſti.* Vid. Not. ad Senec. de Conſol. ad Marc. 10. *Gronouius.*

est affectatae tyrannidis; nec aliter, quam dum contemnitur, liberatus est.

VI

[1] Inter haec Carthaginienses tanto successu rerum Alexandri Magni exterriti, verentes, ne Persico regno et Africam vellet adiungere, mittunt ad speculandos eius animos Hamilcarem, cognomento Rhodanum, virum sollertia facundiaque praeter caeteros insignem. [2] Augebant enim metum et Tyrus vrbs, auctor originis suae, capta: [3] et Alexandria, aemula Carthaginis, in terminis Africae et Aegypti condita: [4] et felicitas regis, apud quem nec cupiditas, nec fortuna vllo modo terminabantur. [5] Igitur Hamilcar per Parmenionem aditu regis obtento, profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemque se expeditionis offert. [6] Atque ita consiliis eius exploratis, in tabellis ligneis, vacua desuper cera inducta ciuibus suis omnia perscribebat. [7] Sed Carthaginienses post mortem regis reuersum in patriam, quasi vrbem regi venditasset, non ingrato tantum, verum etiam inuido et crudeli animo, necauerunt.

7 verum etiam et crudeli animo] Aut *etiam* aut *et* abundare, bene monuit Scheffer us. Excidisse autem vocem hic reponendam Iuntina nobis ostendit, in qua legitur: *Verum etiam inuido et crudeli animo.* Inuidebant Hamilcari hanc laudem, quam ex legatione tam pulchre pro re patriae gesta sibi pepererat. *Graeuius.*

LIBER XXII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Agathoclis, Siciliae tyranni, pueritia, adoleſcentia, miſera conditio, felicitas bellica, noua dignitas, perfidia, crudelitas, tyrannis.*

II *Carthaginienſes in Hamilcarem proditorem tacita ſuffragia ferunt.*

III *Bella Agathoclis.*

IIII *Syracuſis a Carthaginienſibus obſeſſis, Agathocles audaci conſilio bellum in Africam infert.*

V *Expoſito in littore Africae exercitu, graui oratione ſuos ad pugnam accendit.*

VI *Diſcuſſa ſuperſtitionis nebula, et nauibus incenſis, Carthaginienſes praelio ſuperat, et vrbes nobiliſſimas recipit.*

VII *Siciliam Carthaginienſes relinquere coguntur, et infeliciter cum Agathocle pugnant in Africa. Fatum acerbum Aphellae et Bomilcaris.*

VIII *Agathocles totius Siciliae imperium occupat: in Africam reuerſus infeliciter pugnat: caſtra deſerit: vnde militum defectio. Filiorum Agathoclis mors cruenta: et Agathoclis pax inita cum Carthaginienſibus.*

I

[1] Agathocles, Siciliae tyrannus, qui magnitudini prioris Dionyſii ſucceſſit, ad regni maieſtatem ex humili et ſordido genere peruenit. [2] Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honeſtiorem pueritiam, quam principia originis habuit. [3] Siquidem forma et corporis pulcritudine egregius, diu vitam ſtupri patientia exhibuit. [4] Annos deinde pubertatis egreſſus, libidinem a viris ad feminas tranſtulit. [5] Poſt haec apud vtrumque ſexum famoſus, vitam latrociniis mutauit. [6] Interiecto tempore, cum Syracuſas conceſſiſſet, adſcituſque in ciuitatem inter incolas eſſet, diu ſine fide fuit; [7] quo-

6 *acciſuſque in ciuitatem*] Ita [*adſcitus*] leg. pro vulg. *accitus*. Liu. XXIII, 51 *Vetere patria relicta in eam, in quam redierant, nondum adſciti. Adſcitus in ciuitatem* Graecis dicitur ὑμοπολίτης. vel v apud Lucian. Bis Accuſ. p. 31

7 quoniam nec in fortunis, quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret, habere videbatur: 8 in summa, gregariam militiam fortitus, non minus tunc seditiosa, quam antea turpi vita, in omne facinus promtissimus erat. 9 Nam et manu strenuus, et in concionibus persacundus habebatur. 10 Breui itaque centurio, ac deinceps tribunus militum factus est. 11 Primo bello aduersus Aetnaeos magna experimenta sui Syracusanis dedit. 12 Sequenti Campanorum, tantam de se spem omnibus fecit, vt in locum demortui ducis Damasconis sufficeretur. 13 Cuius vxorem adulterio cognitam post mortem viri in matrimonium recepit. 14 Nec contentus, quod ex inope repente diues factus esset, piraticam aduersus patriam exercuit. 15 Saluti ei fuit, quod socii capti, tortique, de illo negauerunt. 16 Bis occupare imperium Syracusanum voluit: bis in exilium actus est.

II

1 A Murgantinis, apud quos exulabat, odio Syracusanorum, primo praetor, mox dux creatur. 2 In eo bello et vrbem Leontinorum capit, et patriam suam Syracusas obsidere coepit: 3 ad cuius auxilium Hamilcar, dux Poenorum, imploratus, depositis hostilibus odiis, praesidia militum mittit. 4 Ita vno eodemque tempore Syracusae, et ab hoste, ciuili amore defensae, et a ciue, hostili odio impugnatae sunt. 5 Sed Agathocles, cum videret fortius defendi vrbem, quam oppugnari, precibus per internuntios Hamilcarem exorat, vt inter se et Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sua repromittens. 6 Qua spe impletus Hamilcar, societatem cum eo, metu potentiae eius,

Q 2 iungit;

huc τὸ μετοικικὸν συντελῶν. *Gronouius.* Quis illum acciuit? Optime luntae: *asciuisque in ciuitatem*, hoc est, cum ciuium numero et albo adscriptus esset. *Gracuius.*

12 *Campanorum*] Scribe *Campano*, nempe *bello*. *Gronouius.*

iungit; vt, quantum virium Agathocli aduersus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticae potentiae reciperaret. [7] Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur: verum etiam praetor Syracusis constituitur. [8] Tunc Hamilcari, expositis ignibus cereis tactisque, in obsequia Paenorum iurat. [9] Deinde acceptis ab eo quinque millibus Aforum, potentissimos quosque ex principibus interficit: [10] atque ita veluti reip. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari iubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quaedam prius ordinaturus. [11] Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet, senatum trucidat: [12] cuius peracta caede, ex plebe quoque locupletissimos et promtissimos interficit.

III

[1] His ita gestis, militem legit, exercitumque conscribit: quo instructus, finitimas ciuitates, nihil hostile metuentes, ex improuiso aggreditur. [2] Poenorum quoque socios, permittente Hamilcare, foede vexat: propter quod querelas Carthaginem socii

8 *expositis ignibus cereis*] Sebisius corrigit *Cereris ignibus*, quod probat et firmat Gronou. IIII Obseruat. 4. Probarunt hanc emendationem postea quoque viri doctissimi Vossius et Tanaq. Faber. Sed Nicolaus Heinsius, vir et amicus summus, putat hic grauius librariorum crimen latere, foedeque interpolatum esse hunc locum, qui sic possit restitui, si scribamus: *Tunc Hamilcari aris rex positis insigni ceremonia tactisque in obsequia Poenorum iurat. Ignes* hic ferri non posse putat. *Aris* hic excidisse vidit et Schefferus. Mihi non videtur nimis longe a libris omnibus esse discedendum. Quod fiet si legeris: *Tunc Hamilcari aris positis, et ignibus Cereris, tactisque in obsequia Poenorum iurat.* Sic arae et ignes iunguntur a Virgilio [Aen. XII, 102] in versu, quem laudat Berneccerus, *Gracuius.*

12 *promtissimos*] Hoc est, maxime excellentes, et omnibus rebus instructos. Cic. III Verr. 17 *C. Cacurius promtissimus homo, et experiens, et in primis gratiosus.* Vid. Not. ad Tacit. III Ann. 17. *Gronouius.*

ſocii non tam de Agathocle, quam de Hamilcare, detulerunt: [3] *Hunc vt dominum et tyrannum, illum vt proditorem* arguentes: *a quo infeſtiſſimo hoſti, fortunae ſociorum, interpoſita pactione, donatae ſint:* [4] *ſicut ab initio Syracuſae in pignus ſocietatis ſint traditae, vrbs ſemper Poenis infeſta, et de imperio Siciliae Carthaginis aemula; nunc inſuper ciuitates ſociorum eidem titulo pacis addictas.* [5] *Denuntiare igitur ſe, haec breui ad ipſos redundatura, ac propediem ſenſuros, quantum malum non Siciliae magis, quam ipſi Africae, attulerint.* [6] His querelis ſenatus in Hamilcarem accenditur. Sed quoniam in imperio eſſet, tacita de eo ſuffragia tulerunt, et ſententias, priuſquam recitarentur, in vrnam coniectas, obſignari iuſſerunt, dum alter Hamilcar, Giſgonis filius, a Sicilia reuerteretur. [7] Sed haec callida commenta Poenorum, et ſententias inauditas mors Hamilcaris praeuenit; liberatuſque eſt fati munere, quem ſui per iniuriam ciues inauditum damnauerant. [8] Quae res Agathocli aduerſus Poenos occaſionem mouendi belli dedit. [9] Prima igitur illi cum Hamilcare, Giſgonis filio, praelii congreſſio fuit: a quo victus, maiore mole reparaturus bellum, Syracuſas conceſſit. [10] Sed ſecundi certaminis eadem fortuna, quae et prioris, fuit.

IIII

[1] Cum igitur victores Poeni Syracuſas obſidione cinxiſſent, Agathocleſque ſe nec viribus parem, neque ad obſidionem ferendam inſtructum videret;

Q 3

4 *Syracuſae in pignus*] Poſſet etiam legi abſque praepoſitione, *Syracuſae pignus ſocietatis* etc. *Gronouius.*

5 *quantum malum*] Scribe, *quantum mali.* Gronouius.

7 *ſententias inaudita mors Hamilcaris praeuenit*] Cum luntis ſcribe: *inauditas ſententias. Inauditae ſententiae* ſunt ſuffragia tacita illa, quorum paullo ante meminit. *Graeuius.*

1 *cum igitur victores Poeni Syracuſas obſidione cinxiſſent, Agathocles cum ſe nec viribus parem*] *Cum* hic repetitur inſcite,

deret; ſuper haec a ſociis, crudelitate eius offenſis, deſertus eſſet: ſtatuit bellum in Africam transferre; [2] mira prorſus audacia, vt quibus in ſolo vrbis ſuae par non erat, eorum vrbi bellum inferret, et qui ſua tueri non poterat, impugnaret aliena, victuſque victoribus inſultaret. [3] Huius conſilii non minus admirabile ſilentium, quam commentum, fuit, populo hoc ſolum profeſſus, *inueniſſe ſe victoriae viam: animos illi tantum in breuem obſidionis patientiam formarent: vel, ſi cui ſtatus praeſentis fortunae diſpliceret, dare ſe ei diſcedendi liberam poteſtatem,* [4] Cum mille ſexcenti diſceſſiſſent, caeteros ad obſidionis neceſſitatem frumento et ſtipendio inſtruit: quinquaginta tantum ſecum talenta ad praeſentem vſum aufert, caetera ex hoſte melius, quam ex ſociis paraturus. [5] Omnes deinde ſeruos militaris aetatis, libertate donatos ſacramento adegit, eoſque, et maiorem partem ferme militum, nauibus imponit; ratus, exaequata vtriuſque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis aemulationem futuram. Caeteros omnes ad tutelam patriae reliquit.

V

[1] Septimo igitur imperii anno, comitibus duobus adultis filiis, Archagatho et Heraclida, nullo militum ſciente, quo veheretur, curſum in Africam dirigit. [2] Cum omnes aut in Italiam praedatum ſe, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, expoſito in Africae littore exercitu, conſilium ſuum omnibus

inſcite, et contra morem caſtae Latinitatis. Nonnulli MSS. *quod*, idque placet Scheffero. Sed rotunda eſt Iuntinae ſcriptura: *Cum igitur victores Poeni Syracuſas obſidione cinxiſſent, Agathocleſque ſe nec viribus parem.* idque monui iam olim in editione mea prima. *Graeuius.*

1 *quo veherentur*] Sic Iuntae. et poſtea: *victique victores inſecuti ſint.* MS. *vtroque.* Hinc bene Iuntae: *vtroque victores inſ. ſint.* Graeuius.

omnibus aperit. [3] Quo in loco Syracusae positae sint, ostendit: *Quibus aliud nullum auxilium supereſſet, quam vt hoſtibus faciant, quae ipſi patiantur.* [4] *Quippe aliter domi, aliter foris, bella tractari. Domi ea ſola auxilia eſſe, quae patriae vires ſubminiſtrent: foris hoſtem etiam ſuis viribus vinci, deficientibus ſociis, et odio diuturni imperii extera auxilia circumſpicientibus.* [5] *Huc accedere, quod vrbes, caſtellaque Africae non muris cinctae, non in montibus poſitae ſint, ſed in planis campis, ſine vllis munimentis iaceant: quas omnes metu excidii facile ad belli ſocietatem perlici poſſe.* [6] *Maius igitur Carthaginienſibus ab ipſa Africa, quam ex Sicilia, exarſurum bellum, coituraque auxilia omnium aduerſus vnam vrbem, nomine quam opibus ampliorem, et quas non attulerit vires, inde ſumturum.* [7] *Nec in repentino Poenorum metu modicum momentum victoriae fore, qui tanta audacia hoſtium perculſi, trepidaturi ſint.* [8] *Acceſſura et villarum incendia, caſtellorum, vrbiumque contumacium direptionem, tum ipſius Carthaginis obſidionem.* [9] *Quibus omnibus non ſibi tantum in alios, ſed et aliis in ſe ſentient patere bella.* [10] *His non ſolum Poenos vinci, ſed et Siciliam liberari poſſe. Nec enim moraturos in eius obſidione hoſtes, cum ſua vrgeantur.* [11] *Nuſquam igitur alibi facilius bellum, ſed nec praedam vberiorem inueniri poſſe. Nam capta Carthagine, omnem Africam Siciliamque praemium victorum fore.* [12] *Gloriam certe tam beneſtae militiae tantam in omne aeuum futuram, vt terminari nullo tempore obliuione poſſit; vt dicatur, eos ſolos mortalium eſſe, qui bella, quae*

3 *ſupereſſet*] Forte, *ſupereſſe*. Gronouius.

9 *ſentient*] Lege, *ſenſuros*. Tota enim haec oratio per infinitiuos procedit. Cap. 3 *prope diem ſenſuros quantum* etc. Et Liu. XXXV, 33 *Nec vllos prius cladem eius belli ſenſuros*. Gronouius.

12 *vt dicatur*] Iuntina retinet *vt*, ſed aliter interpunxit, et rectius, poſita τελείᾳ στιγμῇ poſt τὸ *poſſit*. Graeuius.

domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint, victique victores insecuti sint, et obsessores vrbis suae obsederint. [13] *Omnibus igitur forti ac laeto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit aut praemium victoribus vberius, aut victis monumentum illustrius dare.*

VI

[1] His quidem adhortationibus animi militum erigebantur: sed terrebat eos portenti religio, quod nauigantibus eis sol defecerat. [2] Cuius rei rationem non minore cura rex, quam belli, reddebat, affirmans, *Si prius, quam proficiscerentur, factum esset, crediturum aduersum profecturos prodigium esse: nunc, quia egressis acciderit, illis, ad quos*

victique victores insecuti sunt] MSS. *Vtroque victores.* Liu. XXV, 26 *vt vltro vndique oppugnarentur Romani.* Gronovius.

2 *crediturum - esse*] Scribe, *Crediturum aduersum profecturis prodigium*, vt *aduersum* hoc loco sit nomen, non praepositio. *Gronouius.* Nullum hic in libris praesidium. Vix tamen dubito legendum esse *aduersum profecturis.* Nam *prodigium aduersum profecturos* sapit pessimorum temporum consuetudinem, et illorum hominum, qui meliores scriptores aut non viderant, aut non legerant attente. Hinc et in sequentibus dicit, *nunc quia egressis acciderit, illis ad quos eatur portendere.* scilicet *aduersa.* hoc enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum. Nam *portendere* sine adiecto nomine, quid significet, non potest intelligi, cum tam laeta, quam infausta et tristia, portendi dicantur. Porro in Iuntina paullo ante pro *portenti religio* non bene legitur *portenti visio. Religio* est hic superstitio, vt in lib. XVIII, 6 *cruenta sacrorum religio.* vnde *religiosus* pro superstitioso in illo vetere versu:

Religentem esse oportet, religiosum nefas.

hoc est, superstitiosum. Sic vicissim *superstitio* in bonam partem pro religione. lib. XXXVIIII, 4 *His tot necessitudinibus sanguinis adiicit superstitionem templi, quo abdita profugerit.* pro quo in eodem libro cap. 1 *religionem templi* dixit. *Cum Tyrum religione templi se defensurus petisset.* lib. XXXXI, 3 de Parthis: *In superstitionibus ac cura deorum praecipua omnibus veneratio.* hoc est, in iis, quae religiose colunt, ac pro diis habent et

veneran-

quos eatur, portendere. [3] *Porro defectus naturalium siderum semper praesentem rerum statum mutare: certumque esse florentibus Carthaginiensium opibus, adversisque rebus suis commutationem significari.* [4] Sic consolatis militibus, vniuersas naues, consentiente exercitu, incendi iubet, vt omnes scirent, auxilio fugae ademto, aut vincendum, aut moriendum esse. [5] Deinde cum omnia, quacunque ingrederentur, prosternerent, villas castellaque incenderent, obvius eis fuit cum XXX millibus Poenorum Hanno: [6] sed praelio commisso, duo de Siculis, tria millia de Poenis cum ipso duce cecidere. [7] Hac victoria et Siculorum animi eriguntur, et Poenorum frangūntur. [8] Agathocles, victis hostibus, vrbes castellaque expugnat, praedas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. [9] Castra deinde in quinto lapide a Carthagine statuit, vt damna carissimarum rerum, vastitatemque agrorum, et incendia villarum, de muris ipsius vrbis specularentur. [10] Interea ingens

venerantur, praecipue sunt fluvii. Sed alia quoque huius notionis exempla sunt in promtu. *Graeuius.*

3 *aduersisque rebus suis*] Iuntae vna voce auctius: *laboribus aduersisque rebus suis. Laboribus* est malis, aerumnis. Cic. I ad Fam. ep. 9 *Cuius erga me singularem beneuolentiam vel in labore meo, vel in honore, perspexi.* Idem III, 10 *Multaque mihi veniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore.* Terent. Andr. V, 2 *Nonne te miseret mei tantum laborem capere ob talem filium?* Vide ibi Donatum. Virg. IIII Aen. *Iliaci labores* sunt calamitates Troianorum. Horat. III Carm. 14 *defunctus laboribus.* Graeuius.

5 *prosternerent*] Scribendum videtur, *proterrerent.* XXIIII, 4 *Alii Macedoniam, omnia ferro proterentes, petivere.* Graeuius.

8 *praedas ingentes agit*] Plaut. Aulul. IIII, 2, 3 *Edepol nae illic pulchram praedam agat.* Liu. I, 22 *Forte euenit, vt agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano, praedas inuicem agerent.* et XXIII, 36 *Exercitus tironum spolians vitios, praedasque agens.* Gronouius.

9 *castra deinde quinto lap. a Carth. statuit*] Assentior Gronouio, qui ex MSS. probat *in quinto lapide.* Vid. I de Pec. Vet. 3. Adstipulantur Iuntae. *Graeuius.*

tota Africa deleti Poenorum exercitus fama, occupatarumque vrbium, diuulgatur. [11] Stupor itaque omnes et admiratio inceſſit, vnde tanto imperio tam ſubitum bellum, praeſertim ab hoſte iam victo. Admiratio deinde paullatim in contemtum Poenorum vertitur. [12] Nec multo poſt non Afri tantum, verum etiam vrbes nobiliſſimae nouitatem ſequutae, ad Agathoclem defecere; frumentoque et ſtipendio victorem inſtruxere.

VII

[1] His Poenorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus, velut quidam aerumnarum cumulus, acceſſit. [2] Nam poſt profectionem a Sicilia Agathoclis, in obſidione Syracuſarum Poeni ſegniores redditi, ab Antandro, fratre regis Agathoclis, occidione caeſi nuntiabantur. [3] Itaque cum domi foriſque eadem fortuna Carthaginienſium eſſet, iam non tributariae tantum ab his vrbes, verum etiam ſocii reges, deficiebant; amicitiarum iura non fide, ſed ſucceſſu ponderantes. [4] Erat inter caeteros rex Cyrenarum, Aphellas, qui ſpe improba, regnum totius Africae amplexus, ſocietatem cum Agathocle per legatos iunxerat, pactuſque cum eo fuerat, vt Siciliae illi, ſibi Africae imperium, victis

11 *omnes admiratio inceſſit*] Liu. I, 56 *Inceſſit omnes cupido.* et VII. 39 *Haud dubius timor inceſſit animos.* Tacit. I Ann. 16 *Pannonicas legiones ſeditio inceſſit.* Gronouius.

12 *vrbes nobiliſſimae*] Iuntae: *Verum etiam tributariae vrbes nobiliſſimae.* Veram puto hanc lectionem eſſe, ſequens caput oſtendit: *Cum domi foriſque eadem fortuna Carthaginienſium eſſet, iam non tributariae tantum ab his vrbes, verum etiam ſocii reges deficiebant. Vrbes nobiliſſimae* ſunt celeberrimae et florentiſſimae inter tributarias. *Nobilis* enim Latinis proprie eſt celebris. Phaedrus: *Nec artis vlla medicum ſe prudentia, Verum ſtupore vulgi factum nobilem.* Graeuius.

4 *Aphellas*] Iuntae: *Opheltas.* Vnde liquet recte Leopardum ex Plutarcho et Pauſania emendaſſe *Opheltas*, Emendat. XVII, 10. *Graeuius.*

victis Carthaginiensibus, cederet. [5] Itaque, cum ad belli societatem cum ingenti exercitu ipse venisset, Agathocles blando alloquio, et humili adulatione, cum saepius simul coenassent, adoptatusque filius eius ab Aphelia esset, incautum interficit: [6] occupatoque exercitu eius, iterato Carthaginienses, omnibus viribus bellum cientes, magno vtriusque exercitus sanguine, graui praelio superat. [7] Hoc certaminis discrimine tanta desperatio illata Poenis est, vt, nisi in exercitu Agathoclis orta seditio fuisset, transiturus ad eum Bomilcar, rex Poenorum, cum exercitu fuerit. [8] Ob quam noxam in medio foro a Poenis patibulo suffixus est: vt idem locus monumentum suppliciorum eius esset, qui ante fuerat ornamentum honorum. [9] Sed Bomilcar magno animo crudelitatem ciuium tulit, adeo vt de summa cruce, veluti de tribunali, in Poenorum scelera concionaretur: [10] obiectans illis, nunc *Hannonem falsa affectati regni inuidia circumuentum*: nunc *Gisgonis innocentis exilium*: nunc *in Hamilcarem patruum suum tacita suffragia, quod Agathoclem socium illis facere, quam hostem maluerit.* [11] Haec cum in maxima populi concione vociferatus esset, exspirauit.

VIII

[1] Interea Agathocles profligatis in Africa rebus, tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit:

1 *profligatis in Asia rebus*] Haec non ceperunt viri docti. Non enim est *rebus profligatis*, vt Vorstius exponit, rebus perditis, et afflictis; sed plane contrarium, rebus felicissime gestis in Africa, cum res felicissime cessissent in Africa, cum multum profeciisset in bello, quod agebat in Africa, vt fere pro confecto haberetur. *Profligare* enim est multum proficere in aliqua re, ita vt paene ad exitum deducatur. Nosster XX, 4 *In iuuentute quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant*. hoc est, quantum in erudienda iuuentute profecerit Pythagoras. Cic. V Tusc. Quaest. *Profligata iam haec et paene ad exitum adducta est quaestio.*

recurrit: nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusae obsiderentur. [2] Nam post occisum Hamilcarem, Gisgonis filium, nouus eo a Poenis missus exercitus fuerat. [3] Statim igitur primo aduentu eius Siciliae vrbes, auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt: atque ita pulsis e Sicilia Poenis, totius insulae imperium occupauit. [4] In Africam deinde reuersus, seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in aduentum patris dilata a filio fuerat. [5] Igitur ad concionem vocatos blandis verbis permulsit: *Stipendia illis non a se flagitanda esse, sed ab hoste quaerenda: communem victoriam, communem praedam, futuram.* [6] *Paullum modo anniterentur, dum belli reliquiae peraguntur, cum sciant, Carthaginem captam spes omnium expleturam.* [7] Sedato militari tumultu, interiectis diebus, ad castra hostium exercitum ducit: ibi inconsultius praelium committendo, maiorem partem exercitus perdidit. [8] Cum itaque in castra fugisset, versamque in se inuidiam temere commissi belli videret, pristinamque offensam non depensi stipendii metueret; concubia nocte solus a castris cum Archagatho filio profugit. [9] Quod vbi milites cognouere, haud secus, quam si ab hoste capti essent, trepidauere: *Bis se a rege suo in mediis hostibus relictos esse*, proclamantes: *salutemque suam desertam ab eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit.* [10] Cum perse-

qui

quaestio. hoc est, de hac quaestione tantum iam egimus, vt pauca de illa superfint dicenda. Seneca de breuitate vitae I, 1 *Intellecturi in ipso itinere, si modo rectum erit, quantum quotidie profligetur, quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas naturalis impellit.* Frontinus Strategem. II ex. 20 *Quo genere cum profligari nihil videret.* Ancyranum monumentum: *'Forum Iulium, et basilicam, quae fuit inter aedem Castoris et aedem Saturni, coepta profligataque opera a patre meo perfeci.* Vide Lipsium ad II Histor. Taciti, contra Gellium disputantem de hac istius vocis significatione. *Graeuius.*

qui regem vellent, a Numidis excepti, in castra revertuntur; comprehenso tamen reductoque Archagatho, qui a patre noctis errore discesserat. [11] Agathocles autem nauibus, quibus reuersus a Sicilia fuerat, cum custodibus earundem Syracusas defertur. [12] Exemplum flagitii singulare, rex exercitus sui desertor, filiorumque pater proditor. [13] Interim in Africa post fugam regis, milites pactione cum hostibus facta, interfectis Agathoclis liberis, Carthaginiensibus se tradidere. [14] Archagathus cum occideretur ab Arcesilao, amico antea patris, rogavit eum, *Quidnam liberis eius facturum Agathoclem putet, per quem ipse liberis careat?* Tunc respondit, *Satis habere se, quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat.* [15] Post haec Poeni ad persequendum belli reliquias, duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem aequis conditionibus fecit.

10 *a Numidis excepti*] Hoc est, insidias Numidarum passi. Cic. VII ad Att. Ep. 22 *De Pompeio suo nihil, eumque nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto.* Auctor. Bell. Alexand. 10 *Nonnulli ab equitibus hostium sunt excepti.* et Sueton. Tib. 3 *Quasi exceptos supprimerent non solum viatores* etc. Virgil. Ecl. III, 17 *Nonne ego te vidi Damonis, pessime, caprum Excipere insidiis?* Gronouius.

11 *quibus reuersus a Sicilia fuerat*] Melius Iuntae: *quibus regressus a Sicilia fuerat.* Latini enim dicerent, *quibus reuerterat.* Graeuius.

14 *Archesilae*] Optime Iuntina, *Arcesilao.* Graeuius.

amico autem] *Antea* legitur in omnibus melioribus editionibus, non *autem.* Graeuius.

LIBER XXIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Agathocles transit in Italiam aduersus Bruttios: quorum origo et potentia paucis perstringitur.*
II *Agathocles vi morbi expugnatus reuertitur in Siciliam, vbi turbae domesticae, quae vxorem et liberos Agathoclis in Aegyptum pellunt. Agathoclis obitus.*
III *Pyrrhi Epirotae bella et res gestae, cum in Sicilia, tum in Italia.*
IIII *Hieronis, Siciliae principis laudatissimi, dignitas et virtus.*

I

[2] Agathocles, rex Siciliae, pacificatus cum Carthaginiensibus, partem ciuitatium a se fiducia virium dissidentium armis subegit. [2] Dein quasi angustis insulae terminis clauderetur, cuius imperii partem primis incrementis ne sperauerat quidem, in Italiam transcendit; exemplum Dionysii secutus, qui multas ciuitates Italiae subegerat. [3] Primi igitur hostes illi Bruttii fuere, qui et fortissimi tum, et opulentissimi videbantur, simul et ad iniurias vicinorum promti. [4] Nam multas ciuitates Graeci nominis Italia expulerant: [5] auctores quoque suos Lucanos bello vicerant, et pacem cum his, aequis legibus, fecerant. [6] Tanta feritas animorum erat, vt nec origini suae parcerent. [7] Namque Lucanii iisdem legibus liberos suos, quibus et Spartani, instituere soliti erant. [8] Quippe ab initio pubertatis in siluis inter pastores habebantur, sine ministerio seruili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent; vt a primis annis duritiae parcimoniae-

1 *partem ciuitatium a se fiducia virium dissidentem*] Veteres editiones, vt et Iuntina: *dissidentium*. Graeuius.

8 *sine veste*] Aut legendum: *una veste*, pro *sine veste*, aut sic capiendum est, vt Schefferus monuit. Sic et *nudi* apud Latinos dicuntur, qui tunica tantum erant induti, vt docuit Gisbertus Cuperus Obseruat. I, 7. *Graeuius.*

cimoniaeque, sine vllo vsu vrbis, assuescerent. [9] Cibus his praeda venatica, potus aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur. [10] Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum praedari soliti, confluente deinde multitudine, sollicitati praeda, cum plures facti essent, infestas regiones reddebant. [11] Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius, Siciliae tyrannus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat: [12] quorum castellum, proditum sibi per Bruttiam mulierem, expugnauerunt; ibique ciuitatem, concurrentibus ad opinionem nouae vrbis pastoribus, statuerunt: Bruttiosque se ex nomine mulieris vocauerunt. [13] Primum illis cum Lucanis, originis suae auctoribus, bellum fuit. [14] Qua victoria erecti, cum pacem aequo iure fecissent, caeteros finitimos armis subegerunt, tantasque opes breui consecuti sunt, vt pernicioſi etiam regibus haberentur. [15] Denique Alexander, rex Epiri, quum in auxilium Graecarum ciuitatium, cum magno exercitu, in Italiam veniſſet, cum omnibus copiis ab his deletus est. [16] Quare feritas eorum successu felicitatis incensa, diu terribilis finitimis fuit. [17] Ad postremum imploratus Agathocles, spe ampliandi regni, e Sicilia in Italiam traiecit.

II

[1] Principio aduentus eius opinione concussi, legatos ad eum, societatem amicitiamque petentes, miserunt. [2] Quos Agathocles ad coenam inuitatos, ne exercitum traiici viderent, in posterum statuta his die, conscensa naue frustratus est. [3] Sed fraudis haud laetus euentus fuit: siquidem reuerti eum in Siciliam, interiectis paucis diebus, vis

1 *aduentus opinionis eius concussi*] Optime Gronouius ex vetustis impressis libris legendum censet: *Aduentus eius opinione concussi*. hoc est, fama, vt saepe apud nostrum. *Graeuius*.

vis morbi coëgit; [4] quo toto corpore comprehensus per omnes neruos articulosque humore pestifero grassante, velut intestino singulorum membrorum bello, impugnabatur. [5] Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque eius, regnum iam quasi mortui vindicantes, oritur; occiso filio regnum nepos occupauit. [6] Igitur Agathocles, cum morbi cura et aegritudo grauiores essent, et inter se alterum alterius malo crescerent; desperatis rebus, vxorem suam, Texenam, genitosque ex ea duos paruulos, cum omni pecunia, et familia, regalique instrumento, quo praeter illum nemo regum ditior fuit, nauibus impositos, Aegyptum, vnde vxorem acceperat, remittit; timens, ne praedonem regni sui hostem paterentur. [7] Quanquam vxor diu, ne ab aegro diuelleretur, deprecata est, ne discessus suus adiungi nepotis parricidio posset, et

4 *velut intestino singulorum bello impugnabatur*] Britanni ex tribus MSS. reposuerunt: *velut intestino singulorum membrorum bello impugnabatur*. hoc quoque vocabulum in vulgatis perperam omissum conspicitur etiam in luntina. *Graeuius.*

5 *inter filium nepotemque eius, regnum iam quasi mortui vindicantibus*] Non fert hoc Prisciani doctrina. Scribe cum luntis: *vindicantes*. et cum iisdem statim: *occisoque filio*. Graeuius.

6 *cum morbi cura et aegritudo grauiores essent*] Lego, *cum morbus cura et aegritudine ingraueseret*. Terent. Hecyr. III, 2 *Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgraueseat*. Liu. XXXXI, 26 *Ingraueseente morbo*. Suet. Tib. 73 *Tempestatibus, et ingraueseente vi morbi, retentus paullo post obiit*. Gronouius. Varie hic locus corrigitur. Mihi, si quid mutandum, scribendum videtur: *Cum morbus, cura et aegritudo grauiores essent*. aut si librorum scriptura non est sollicitanda, dicendum non vno morbo impugnatum fuisse Agathoclem, qui omnes ingraueseebant curis et aegritudine, quae senem macerabant. Morbus sane et cura ac aegritudo tanquam duo mala, quibus Agathocles eodem tempore infestabatur saeuissime, hic commemorantur, vt ex verbis statim sequentibus, et *inter se alterum alterius malo* (cura nimirum seu aegritudo et morbi) *crescerent*, constat. *Graeuius.*

Thexenam] luntae: *Thecgenam*. Graeuius.

7 *ne discessus suus adiungi parricidio posset*] Nihil hic nouandum. Sententia est, ne discessus suus tam detestabilis esset

et tam cruente haec deseruisse virum, quam ille impugnasse auum, videretur: [8] *Nubendo se non prosperae tantum, sed omnis fortunae insse societatem: nec inuitam periculo spiritus sui emturam, vt extremos viri spiritus exciperet, et exsequiarum officium, in quod, profecta se, nemo sit successurus, obsequio debitae pietatis impleret.* [9] Discedentes parvuli flebili vlulatu amplexi patrem tenebant. Ex altera parte vxor maritum non amplius visura, osculis fatigabat. Nec minus senis lacrimae miserabiles erant. [10] Flebant hi morientem patrem, ille exules liberos: hi discessu suo solitudinem patris, aegri senis; ille in spem regni susceptos relinqui in egestate lugebat. [11] Inter haec regia omnis, assistentium fletibus tam crudelis discidii impleta, resonabat. [12] Tandem finem lacrimis necessitas profectionis imposuit, et mors regis proficiscentes filios insequuta est. [13] Dum haec aguntur, Carthaginienses cognitis quae in Sicilia agebantur, occasionem totius insulae occupandae datam sibi existimantes, magnis viribus eo traiiciunt, multasque ciuitates subigunt.

III

[1] Eo tempore et Pyrrhus aduersus Romanos bellum gerebat; [2] qui imploratus a Siculis in auxilium, sicuti dictum est, cum Syracusas veniisset, multasque ciuitates subegisset, rex Siciliae, sicut Epiri, appellatur. [3] Quarum rerum felicitate laetus, Heleno filio Siciliae, velut auitum, nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat, Alexandro autem Italiae, regnum destinat. [4] Post haec multa secunda praelia cum Carthaginiensibus facit. [5] Interiecto

esset ac haberetur, ac parricidium nepotis. Haec ipsa verba sequentia explicant, *et tam cruente haec deseruisse virum, quam ille impugnasse auum videretur.* Graeuius.

10 *aegri senis*] Iuntae: *senis aegri.* Graeuius.

iecto deinde tempore, legati ab Italicis sociis venere, nuntiantes, *Romanis resistí non posse, deditionemque futuram, nisi subueniat.* [6] Anxius tam ambiguo periculo, incertusque, quid ageret, vel quibus primum subueniret, in vtrumque pronus consultabat. [7] Quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis, periculosum videbatur, exercitum in Italiam non traiicere: periculosius, a Sicilia deducere; ne aut illi non lata ope, aut hi deserti amitterentur. [8] In hoc aestu periculorum, tutissimus portus consiliorum visus est, omnibus viribus decernere in Sicilia, et profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum transponere in Italiam. [9] Itaque conserto praelio, cum superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abiret, pro victo fugere visus est: [10] ac propterea socii ab eo defecerunt; et imperium Siciliae tam cito amisit, quam facile quaesierat. [11] Sed nec in Italia meliore felicitate vsus, in Epirum reuertitur. Admirabilis vtriusque rei casus in exemplum fuit. [12] Nam sicut ante secunda fortuna, rebus supra vota fluentibus, Italiae Siciliaeque imperium, et tot de Romanis victorias adstruxerat: ita nunc aduersa, velut in ostentationem fragilitatis humanae, destruens, quae cumulauerat, Sicilienſi ruinae naufragium maris, et foedam aduersus Romanos pugnam, turpemque ab Italia discessum adiecit.

IIII

[1] Post profectionem a Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur: [2] cuius tanta moderatio fuit, vt consentiente omnium ciuitatium fauore, dux aduersus

9 *pro victo fugere*] Plaut. Merc. IIII, 3. 26 *Verges quasi pro noxio.* Liu. II, 62 *Cur pro victo relinqueret hostem.* Caes. V B. G. 8 *Nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus.* Gronouius.

11 *in exemplum*] Forte, *inter exempla.* Plin. XXVIII Hist. Nat. 9 *Sunt inter exempla, qui asininum bibendo liberati sint podagra, chiragrae.* Gronouius.

versus Carthaginienses primum, mox rex, crearetur. [3] Huius futurae maiestatis, ipsa infantis educatio quasi praenuntia fuit: [4] quippe genitus erat patre Hierocle, nobili viro, cuius origo a Gelone, antiquo Siciliae tyranno, manabat: [5] sed maternum illi genus sordidum, atque adeo pudendum fuit. [6] Nam ex ancilla natus, ac propterea a patre, velut dehonestamentum generis, expositus erat. [7] Sed paruulum, et humanae opis egentem, apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluere. [8] Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti portendi canebant, parvulum recolligit, omnique studio ad spem maiestatis, quae promittebatur, instituit. [9] Eidem in ludo inter coaequales discenti, lupus tabulam, in turba puerorum repente conspectus, eripuit. [10] Adolescenti quoque, prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in hasta, consedit. [11] Quod ostentum, et consilio cautum, et manu promtum, regemque futurum, significabat. [12] Denique aduersus prouocatores saepe pugnauit, semperque victoriam reportavit. [13] A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus est. [14] Pulcritudo ei corporis insignis, vires quoque in homine admirabiles fuere: [15] in alloquio blandus, in negotio iustus, in imperio moderatus: prorsus vt nihil ei regium deesse, praeter regnum, videretur.

5 *maternum illi genus sordidum, atque adeo pudibundum fuit*] Melius Iuntae, vt coniecerat Cl. Bernecerus, *pudendum fuit*. Graeuius.

8 *paruulum recolligit*] Iuntae: *collegit*. Paullo ante pro *Hieroclyto*, recte Leopardus in Emendationibus, et Casaubonus ad Dionys. Halicarnass. emendarunt, *Hierocles*: qui et *a Gelone* legendum censuit. Vulgo *a Gelo*. Graeuius.

LIBER XXIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Graeciae ciuitates aliae in alias assurgunt.*
II *Ptolemaei Macedonis in sororem Arsinoën conspiratio.*
III *Incestuosae Ptolemaei et Arsinoës nuptiae tragicis casibus soluuntur.*
IIII *Gallorum, qui Ptolemaeum vicerunt et interfecerunt, in Macedoniam irruptio.*
V *Quo stratagemate Ptolemaeum aggressi sint, et oppressérint. Macedonum luctus et instauratio.*
VI *Alia Gallorum, Brenno duce, in Graeciam expeditio: et de spoliatione Delphici templi consilium. Huius templi et oracvli descriptiones.*
VII *Brenni et aliorum consultatio de templi oppugnatione, et hortatio ad milites.*
VIII *Oppugnatio irrita, et clades Gallici exercitus, Brenno interfecto.*

I

[1] Dum haec in Sicilia geruntur, interim in Graecia dissidentibus inter se bello Ptolemaeo Cerauno, et Antiocho, et Antigono regibus: [2] omnes ferme Graeciae ciuitates, ducibus Spartanis, velut occasione data, ad spem libertatis erectae, missis invicem legatis, per quos in societatis foedera alligarentur, in bellum prorumpunt; [3] et, ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellum cepisse viderentur, socios eius Aetolos aggrediuntur, caussas belli praetendentes, [4] quod consensu Graeciae saeratum Apollini Cirraeum campum per vim occupassent. [5] Huic bello ducem deligunt Aeaan; qui adunato exercitu, vrbes, sataque in his campis posita, depopulatur: quae auferri non poterant, incendit.

4 *Cirraeum campum*] Scribe *Cyrrhaeum*. Martial. I Ep. 77 *Quid tibi cum Cyrrha* etc. Stat. Epic. in Patrem: — — *Neque enim solitum fas est impellere Cyrrham*. Et Lactant. in Stat. Theb. VII, 332 *Parnassus in duo iuga diuiditur, in Cyrrham et Nysam*. Gronouius.

cendit. [6] Quod cum e montibus conspicati Aetolorum pastores essent, congregati admodum quingenti, sparsos hostes, ignorantesque, quanta manus esset, quoniam conspectum illis metus et incendiorum fumus abstulerat, consectantur, trucidatisque admodum nouem millibus, praedones in fugam verterunt. [7] Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxilium multae ciuitates negauerunt, existimantes, dominationem eos, non libertatem Graeciae, quaerere. [8] Interea inter reges bellum finitur. nam Ptolemaeus, pulso Antigono, cum regnum totius Macedoniae occupasset, pacem cum Antiocho facit; affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia sua, iungit.

II

[1] Exinde, externo metu depositio, impium et facinorosum animum ad domestica scelera conuertit, insidiasque Arsinoae sorori suae instruit: quibus et filios eius vita, et ipsam Cassandreae vrbis possessione priuaret. [2] Primus ei dolus fuit, simulato amore, sororis matrimonium petere. aliter enim ad sororis filios, quorum regnum occupauerat, quam concordiae fraude, peruenire non poterat. [3] Sed nota scelerata Ptolemaei voluntas sorori erat. [4] Itaque non credenti mandat, *velle se cum filiis eius regni consortium iungere: cum quibus non ideo se armis contendisse, quoniam eripere his regnum, sed quod id facere sui muneris vellet.* [5] *In hoc mitteret arbitrum iurisiurandi: quo praesente apud deos patrios, quibus vellet obsecrationibus, se*

R 3 *obliga-*

6 *admodum*] Immo *admodum* est quasi, circiter, praeter propter, saepe apud Iustinum, aliosque. *Graeuius.*

1 *Cassandreae*] Haec vrbs antea *Pblegra* et *Potidaea* dicta fuit, verum quia Cassander, Antipatri filius, nouos ibi posuerat colonos, et vrbem instauraraat, *Cassandrea* appellata est. Lege Strab. Excerpt VII, et Liu. XXXXIIII, 11. *Gronouius.* Iuntae semper *Cassandriae vrbis*: sic *Alexandrea, Alexandria.* Graeuius.

5 *obsecrationibus*] Forte, *exsecrationibus.* vt Sueton. in Claudio

obligaret. [6] Incerta Arsinoë, quid ageret: si mitteret, decipi periurio: si non mitteret, prouocare rabiem fraternae crudelitatis timebat. [7] Itaque plus liberis, quam sibi, timens, quos matrimonio suo protecturam se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Chodionem: [8] quo perducto in sanctissimum Iouis templum, veterrimae Macedonum religionis, Ptolemaeus sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra et puluinaria deorum, inauditis vltimisque execrationibus adiurat, [9] *Se sincera fide matrimonium sororis petere; nuncupaturumque se eam reginam; neque in contumeliam eius se aliam vxorem, alioſue, quam filios eius, liberos habiturum.* [10] Arsinoë postquam et spe impleta est, et metu soluta, ipsa cum fratre colloquitur: cuius vultus, et blandientes oculi, cum fidem non minorem, quam iusiurandum promitterent, reclamante Ptolemaeo filio, *fraudem subesse*, in matrimonium fratris concedit.

III

[1] Nuptiae magno apparatu, laetitiaque omnium, celebrantur. [2] Ad concionem quoque vocato exercitu, capiti sororis diadema imponit, reginamque eam appellat. [3] Quo nomine in laetitiam effusa Arsinoë, quia, quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset, vltro virum in vrbem suam Cassandream inuitat; cuius vrbis cupiditate fraus struebatur. [4] Praegressa igitur virum, diem festum vrbi in aduentum eius indicit: domos, templa, caeteraque omnia exornari iubet: aras vbique hostiasque disponi: filios quoque suos, Lysimachum sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, vtrumque forma insignem, coronatos occurrere iubet. [6] Quos Ptolemaeus ad celandam fraudem,

Claudio 12 *Senatum quasi parricidam diris exsecrationibus incessere non ante destitit, quam* etc. *Gronouius.*

7 *Chodionem*] Iuntae: *Dionem.* Graeuius.

fraudem, cupide et vltra modum verae affectionis amplexus, osculis diu fatigat. [7] Vbi ad portam ventum est, occupari arcem iubet; pueros interfici. Qui cum ad matrem confugissent, in gremio eius inter ipsa oscula trucidantur. [8] Proclamante Arsinoë, quod tantum nefas aut nubendo, aut post nuptias contraxisset, pro filiis saepe se percussoribus obtulit: frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit: vulneraque excipere, quae liberis intendebantur, voluit. [9] Ad postremum etiam spoliata funeribus filiorum, scissa veste, et crinibus sparsis, cum duobus seruulis ex vrbe protracta, Samothraciam in exilium abiit; eo miserior, quod mori cum filiis ei non licuit. [10] Sed nec Ptolemaeo inulta scelera fuerunt. Quippe diis immortalibus tot periuria, et tam cruenta parricidia vindicantibus, breui post a Gallis spoliatus regno, captusque vitam ferro, vt meruerat, amisit.

IIII

[1] Namque Galli, abundanti multitudine, cum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes nouas quaerendas, velut ver sacrum, miserunt. [2] Ex his portio in Italia consedit, quae et vrbem Romanam captam incendit; [3] et portio Illyricos sinus, ducibus auibus; nam augurandi studio Galli praeter caeteros callent; per strages Barbarorum penetrauit, et in

8 *proclamante Arsinoë*] Non opus mutatione. Locus hic praue interpungitur. Sic autem distingue: *Qui cum ad matrem confugissent, in gremio eius inter ipsa oscula trucidantur, proclamante Arsinoë, quod tantum nefas aut nubendo, aut post nuptias contraxisset. Pro filiis saepe se.* Graeuius.

9 *crinibus sparsis*] Latinis auribus hoc loquendi genus non posse placere puto. Eae enim norunt *passos crines*, non *sparsos*. et sic Iustinus scripsit. sicut et lib. XXIIII cap. 8. Graeuius.

3 *augurandi studio Galli praeter caeteros callent*] Bongarsius mallet *clarent*. Sed pro vulgata stat Valer. Max. VIII, 12 Ab

Pannonia consedit: [4] gens aspera, audax, bellicosa, quae prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem et immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta iuga, et frigore intractabilia loca transcendit; [5] ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. [6] Hortante deinde successu, diuisis agminibus, alii Graeciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes, petiuere. [7] Tantusque terror Gallici nominis erat, vt etiam reges non lacessiti, vltro pacem ingenti pecunia mercarentur. [8] Solus rex Macedoniae, Ptolemaeus, adventum Gallorum intrepidus audiuit, hisque cum paucis et incompositis, quasi bella non difficilius, quam scelera, patrarentur, parricidiorum furiis agitatus, occurrit. [9] Dardanorum quoque legationem, viginti millia armatorum in auxilium offerentem, spreuit: addita insuper contumelia, *Actum de Macedonia* dicens, *si, cum totum Orientem soli domuerint, nunc in vindictam finium Dardanis egeant:* [10] *milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia, toto orbe terrarum victores, fecerint.* [11] Quae vbi Dardano regi nuntiata sunt, *Inclytum illud Macedoniae regnum breui, immaturi iuuenis temeritate, casurum* dixit.

V

[1] Igitur Galli, duce Belgio, ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemaeum mittunt, offerentes pacem, si emere velit: [2] sed Ptolemaeus inter suos belli metu pacem Gallos petere gloriatus

Ab his id negotium aptius explicari posse confitendo, qui cottidiano eius vsu callebant. Graeuius.

4 *intractabilia loca*] Virgil. I Georg. 211 *Vsque sub extremum brumae intractabilis imbrem.* Gronouius.

6 *omnia ferro proterentes*] Plaut. Amphit. I, 1. 91 *Foedant, et proterunt hostium copias iure iniustas.* Gronouius.

gloriatus est. [3] Nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos iactauit: *Aliter se pacem daturum* negando, *nisi principes suos obsides dederint, et arma tradiderint: non enim fidem se, nisi inermibus, habiturum.* [4] Renuntiata legatione, risere Galli, vndique acclamantes, *Breui sensurum, sibi an illi consulentes, pacem obtulerint.* [5] Interiectis diebus, praelium conseritur, victique Macedones caeduntur. [6] Ptolemaeus multis vulneribus saucius capitur: caput eius amputatum, et lancea fixum, tota acie ad terrorem hostium circumfertur. [7] Paucos ex Macedonibus fuga seruauit: caeteri aut capti, aut occisi. [8] Haec cum nuntiata per omnem Macedoniam essent, portae vrbium clauduntur; luctu omnia replentur: [9] nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant: nunc excidia vrbium metuebant: nunc Alexandri, Philippique, regum suorum nomina, sicuti numina, in auxilium vocabant. [10] *Sub illis se non solum tutos, verum etiam victores orbis terrarum, extitisse.* [11] *Vt tuerentur patriam suam, quam gloria rerum gestarum caelo proximam reddidissent; vt opem afflictis ferrent, quos furor et temeritas Ptolemaei regis perdidisset*, orabant. [12] Desperantibus omnibus, non votis agendum, Sosthenes, vnus de Macedonum principibus, ratus, contracta iuuentute, et Gallos victoria exultantes compescuit, et Macedoniam ab hostili populatione defendit. [13] Ob quae virtutis beneficia, multis nobilibus regnum Macedoniae affectantibus, ignobilis ipse praeponitur: [14] et cum rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis, sed ducis nomen iurare milites compulit.

3 *obsides dederint* etc.] Forte, *obsides darent, et arma traderent.* Gronouius.

9 *numina*] Forte, *naminum.* Gronouius.

VI

[1] Interea Brennus, quo duce portio Gallorum in Graeciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedones vicerant, indignatus parta victoria opimam praedam, et Orientis spoliis onustam, tam facile relictam esse, ipse adunatis CL millibus peditum, et XV millibus equitum, in Macedoniam irrumpit. [2] Cum agros villasque popularetur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes: sed pauci a pluribus, trepidi a valentibus, facile vincuntur. [3] Itaque cum victi se Macedones intra muros vrbium condidissent; victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniae agros depraedatur. [4] Inde, quasi terrena iam spolia forderent, animum ad deorum immortalium templa conuertit, scurriliter iocatus, *locupletes deos largiri hominibus oportere.* [5] Statim igitur Delphos iter vertit, praedam religioni, aurum offensae deorum immortalium praeferens: *Quos nullis opibus egere, vt qui eas largiri hominibus soleant*, affirmabat. [6] Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnaso, in rupe vndique impendente: ibi ciuitatem frequentia hominum fecit, qui ad affirmationem maiestatis vndique concurrentes, in eo saxo consedere. [7] Atque ita templum et ciuitatem non muri, sed praecipitia, nec manu facta, sed naturalia praesidia defendunt: prorsus vt incertum sit, vtrum munimentum loci, an maiestas dei

2 *valentibus*] Hoc est, robustissimis. *Valens* enim non tantum dicitur, qui valetudine fruitur bona, sed et qui viribus et robore praestat. Cic. V in Verr. 55 *Valentissimi lictores.* et VII ad Fam. Ep. 18 *Quum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur.* Suet. Octau. 35 *Decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus.* Gronovius.

6 *ibi ciuitatem frequentia hominum fecit*] Sic scripsi cum luntis, vt et *admiratione maiestatis*, pro vulgato *ad affirmationem maiestatis.* Gronovius.

dei plus hic admirationis habeat. Media saxi rupes in formam theatri recessit. [8] Quamobrem et hominum clamor, et si quando accedit tubarum sonus, personantibus et respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorque, quam editur, resonare solet. Quae res maiorem maiestatis terrorem ignaris rei, et admirationem stupentibus plerumque affert. [9] In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planities exigua est, atque in ea profundum terrae foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus spiritus, vi quadam, velut vento, in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit; impletasque deo, responsa consulentibus dare cogit. [10] Multa igitur ibi et opulenta regum populorumque visuntur munera: quaeque magnificentia sui, reddentium vota gratam voluntatem, et deorum responsa manifestant.

VII

[1] Igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberauit, an confestim rem aggrederetur: an vero fessis via militibus, noctis spatium ad resumendas vires daret. [2] Emanus et Thessalorus duces, qui se ad praedae societatem iunxerant, *amputari moras* iubent, *dum imparati hostes, et recens aduentus sui, terrori esset:* [3] *interiecta nocte et animos hostibus, forsitan et auxilia accessura; et vias, quae tunc pateant, obstructum iri.* [4] Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, vbi primum vino, caeterisque commeatibus referta rura invenit, non minus abundantia, quam victoria, laetum per agros se sparserat: [5] desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Quae res dilationem Delphis dedit. [6] Prima namque opinione aduentus Gallorum, prohibiti agrestes oraculis feruntur, messes, vinaque villis efferre. [7] Cuius

1 *an confestim*] Dele particulam *an*. Gronouius.

ius rei salutare praeceptum non prius intellectum est, quam vini caeterarumque copiarum abundantia, velut mora, Gallis obiecta, auxilia finitimorum convenere. [8] Prius itaque vrbem suam Delphi, aucti viribus sociorum, permuniuere, quam Galli vino, velut praedae, incubantes, ad signa reuocarentur. [9] Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia: Delphorum sociorumque non nisi quatuor millia militum erant: [10] quorum contemtu Brennus ad acuendos suorum animos praedae vbertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse, plusque in pondere, quam in specie, habere praedae affirmabat.

VIII

[1] Hac asseueratione incitati Galli, simul et hesterno mero saucii, sine respectu periculorum in bellum ruebant. [2] Contra Delphi plus in deo, quam in viribus reponentes, cum contemtu hostium resistebant; scandentesque Gallos e summo montis vertice, partim saxo, partim armis, obruebant. [3] In hoc partium certamine, repente vniuersorum templorum antistites, simul et ipsi vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pauidi vecordesque in primam pugnantium aciem procurrunt: [4] *Adueniſſe deum* clamant, *eumque ſe vidiſſe deſilientem in templum per culminis aperta faſtigia.* [5] *Dum omnes*

2 *plus in deo, quam in viribus reponentes*] Iuntae: *ponentes.* Alii male intrusere *spem.* Graeuius.

cum contemtu hostium] Contemnebant hostes Delphi, cum tam pauci tantae multitudini fiducia dei resistere auderent fortiter, nihili facientes illam hominum copiam, quam ope Apollinis se victuros non dubitabant. *Graeuius.*

3 *sparsis crinibus*] Hoc est solutis, reuinctis, hic enim sacrificantium mos erat, vt capillos spargerent. Senec. Oedip. 230. *Incipit Lethaea vates spargere horrentes comas.* et Propert. II El. 1 - - *Ad frontem sparsos errare capillos.* Gronouius.

omnes opem dei suppliciter implorant, iuuenem supra humanum modum insignis pulcritudinis, comitesque ei duas armatas virgines, ex propinquis duabus Dianae Mineruaeque aedibus occurrisse; [6] *nec oculis tantum haec se perspexisse, audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum.* [7] *Proinde ne cunctarentur, diis antesignanis, hostem caedere, et victoriae deorum socios se adiungere*, summis obsecrationibus monebant. [8] Quibus vocibus incensi, omnes certatim in praelium prosiliunt. [9] Praesentiam dei et ipsi statim sensere. Nam et terrae motu portio montis abrupta, Gallorum strauit exercitum, et confertissimi cunei non sine vulneribus hostium dissipati ruebant. [10] Insecuta deinde tempestas est, quae grandine et frigore saucios ex vulneribus absumsit. [11] Dux ipse Brennus, cum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finiuit. [12] Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millibus sauciorum citato agmine Graecia excedit. [13] Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit; siquidem pauidis nulla sub tectis acta nox: [14] nullus sine labore et periculo dies; assidui imbres et gelu, nix concreta, et fames, et lassitudo, et super haec maximum peruigiliae malum, miseras infelicis belli reliquias obterebant. [15] Gentes quoque nationesque, per quas iter habebant, palantes, velut praedam, sectabantur. [16] Quo pacto euenit, vt nemo ex tanto exercitu, qui paullo ante fiducia virium etiam aduersus deos contendebat, vel ad memoriam tantae cladis, superesset.

14 *maximum peruigiliae malum*] Iuntae: *peruigilii*. Mox iidem: *Deos contemnebat*, pro *aduersus deos contendebant*. Graeuius.

15 *per quas iter habebant*] Plaut. Asinar. II, 3. 6 *Huc quia habebas iter*. Gronouius.

LIBER

LIBER XXV

BREVIARIVM CAPITVM

I *Gallorum in Antigonum, Macedoniae regem, conspiratio.*
II *Dum ad praedam currunt, praedae fiunt ipsi, et Antigonus pacem obtinet. Nomen Gallorum formidabile et armorum inuicta felicitas.*
III *Pyrrhus Macedonia potitur, Antigono ejecto.*
IIII *Pyrrhus, dum monarchiam somniat, a Spartanis mulieribus atteritur.*
V *Pyrrhus apud Argos occiditur, cuius elogium et rerum summam Iustinus subiicit.*

I

[1] Inter duos reges, Antigonum et Antiochum, statuta pace, cum in Macedoniam Antigonus reverteretur, nouus eidem repente hostis exortus est. [2] Quippe Galli, qui a Brenno duce, cum in Graeciam proficiscerentur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne soli desides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armauerunt; [3] fugatisque Getarum Triballorumque copiis, Macedoniae imminentes, legatos ad regem miserunt, qui pacem ei venalem offerrent, simul et regis castra specularentur. [4] Quos Antigonus, pro regali munificentia, ingenti apparatu epularum ad coenam inuitauit. [5] Sed Galli expositum grande auri argentique pondus admirantes, atque praedae vbertate sollicitati, infestiores, quam venerant, reuertuntur. [6] Quibus et elephantos ad terrorem, velut inusitatas Barbaris formas, rex ostendi iusserat, et naues onustas copiis demonstrari: [7] ignarus, quod, quibus

2 *proficiscerentur*] Fuit error typographicus. Nam correctiores editiones non solum vetustiores, vt Iuntina, sed et recentiores, vt Elseuiriana anni CIↃ IↃC LVIIII, aliaeque, praeferunt *proficiscerentur*. Gracvius.

6 *inusitatas*] Scribe, *inusitatas*. Gronouius.

quibus ostentatione virium metum se iniicere existimabat, eorum animos, vt ad opimam praedam, sollicitabat. [8] Itaque legati ad suos reuersi, omnia in maius extollentes, opes pariter et negligentiam regis ostendunt, [9] *Referta auro et argento castra: sed neque vallo, fossaue, munita: et quasi satis munimenti in diuitiis haberent, ita eos omnia officia militaria intermisisse:* [10] *prorsus quasi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro.*

II

[1] Hac relatione auidae gentis animi satis ad praedam incitabantur. [2] Accedebat tamen et exemplum Belgii, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidauerat. [3] Itaque, consentientibus omnibus, nocte castra regis aggrediuntur: qui praesentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, vt, omnibus rebus ablatis, in proxima silua taciti se occultarent. Neque aliter seruata castra, quam quod deserta sunt. [4] Siquidem Galli, vbi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus, vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. [5] Ad postremum integris et intactis munimentis; scrutantes potius, quam diripientes, castra occupauerunt. [6] Tunc ablatis, quae inuenerant, ad littus conuertuntur. Ibi dum naues incautius diripiunt, a remigibus et ab exercitus parte, quae eo cum coniugibus, et liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur: [7] tantaque caedes Gallorum fuit, vt Antigono pacem opinio huius victoriae, non a Gallis tantum, verum etiam a finitimorum ferocitate, praestiterit. [8] Quanquam Gallorum ea tempestate tantae fecunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem velut examine

6 *quae eo cum coniugibus et eo cum coniugibus* etc. Groslierius *confugerant*] Forte, *qui* nouius.

examine aliquo implerent. [9] Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu vlla bella gesserunt: neque pulsi regno ad alios, quam ad Gallos, confugerunt. [10] Tantus terror Gallici nominis, et armorum inuicta felicitas, erat, vt aliter neque maiestatem suam tutari, neque amissam reciperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. [11] Itaque in auxilium a Bithyniae rege inuocati, regnum cum eo parta victoria diuiserunt; eamque regionem Gallograeciam cognominauerunt.

III

[1] Dum haec in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus a Poenis nauali praelio victus, ab Antigono, Macedoniae rege, supplementum militum petit: [2] denuntians, *Ni mittat, redire se in regnum necesse habere, incrementa rerum, quae de Romanis voluerit, de ipso quaesiturum.* [3] Quod vbi negatum legati retulerunt, dissimulatis caussis, repentinam fingit profectionem. [4] Socios interim parare bellum iubet: arcis Tarentinae custodiam Heleno filio, et amico Miloni tradit. [5] Reversus in Epirum, statim fines Macedoniae inuadit: cui Antigonus cum exercitu occurrit; victusque praelio in fugam vertitur. [6] Atque ita Pyrrhus Mace-

10 *maiestatem suam tutam*] Praestat cum Bongarsio, Iuntis, et aliis impressis legere, *tutari*. Mox melius MSS. *vocati* pro *inuocati*. Graeuius.

3 *repentinam fingit profectionem*] *Fingit* hic non est imulat, vt vult Cl. Scheffierus, sed adornat, parat, vt *fingere fugam* apud Plautum Captiu. II, 1:

At fugam fingitis, sentio quam rem agitis.

et Lucilium: *Sed fuga fingitur, timido vadit pede percitus*, hoc est, fugam moliuntur, vt recte politissimus Guilielmus exponit. Sic et *parricidia fingere* pro struere, parare, apud Senecam consolat. ad Marc. 26 *Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi, aut cogitari, nec fora litibus strepere.* Graeuius.

Macedoniam in deditionem accipit: et, veluti damna amissae Siciliae Italiaeque, acquisito Macedoniae regno, pensasset, relictum Tarenti filium et amicum arcessit. [7] Antigonus autem cum paucis equitibus, fugae comitibus, repente fortunae ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus euentum, Thessalonicam se recepit, vt inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. [8] Rursus a Ptolemaeo, Pyrrhi filio, funditus victus, cum septem comitibus fugiens, non iam reciperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugae solitudines, captat.

IIII

[1] Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, iam nec eo, ad quod votis perueniendum fuerat, contentus, Graeciae Asiaeque regna meditatur. [2] Neque illi maior ex imperio, quam ex bello, voluptas erat; nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere valuit. [3] Sed vt ad deuincenda regna inuictus habebatur: ita deuictis acquisitisque celeriter carebat. Tanto melius studebat acquirere imperia, quam retinere. [4] Itaque cum copias Cherroneso transposuisset, legationibus Athenienſium, et Achaeorum, Messeniorumque excipitur. [5] Sed et Graecia omnis admiratione nominis

7 *amissi regni speculaturus euentus*] Iuntae: *euentum*. Paullo ante Gronouius legit: *in ditionem accipit*, pro *in deditionem*. Graeuius.

4 *Cherroneso*] Lego *Cherroneson transposuisset*. Et sensus hic est: cum Pyrrhus copias in Peloponnesum per Isthmum Corinthiacum traduxisset. *Cherroneson* enim quaeuis peninsula dicitur. *Gronouius*. *Transponere Lugduno* pro *Lugdunum*, nemo credo Latine sciens probauerit. Sic nec recte dixeris *transponere* aut *trahere Peloponneso* pro in Peloponnesum. Gronouii acutissimi emendatio probanda vtique. *Graeuius*.

minis eius, simul et rerum aduersus Romanos Poenosque gestarum gloria attonita, aduentum eius exspectabat. [6] Primum illi bellum aduersus Spartanos fuit: vbi maiore mulierum, quam virorum, virtute exceptus, Ptolemaeum filium, et exercitus partem robustissimam, amisit. [7] Quippe oppugnanti vrbem, ad tutelam patriae, tanta multitudo feminarum concurrit, vt non fortius victus, quam verecundius, recederet. [8] Porro Ptolemaeum, filium eius, adeo strenuum, et manu fortem fuisse tradunt, vt vrbem Corcyram eum sexaginta ceperit: idem praelio nauali quinqueremem ex scapha cum septem insiluerit, captamque tenuerit. [9] In oppugnatione quoque Spartanorum vsque in mediam vrbem equo procurrerit; ibique concursu multitudinis interfectus sit. [10] Cuius corpus vt relatum patri est, dixisse Pyrrhum ferunt, *aliquanto tardius eum, quam timuerit ipse, vel temeritas eius meruerit, occisum esse.*

V

[1] Repulsus a Spartanis Pyrrhus, Argos petit: ibi, dum Antigonum in vrbe clausum expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans, saxo de muris ictus occiditur. [2] Caput eius Antigono refertur: qui victoria mitius vsus, filium eius, Helenum, cum Epirotis sibi deditum, in regnum remisit, eique insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit. [3] Satis constans inter omnes auctores fama est, nullum nec eius, nec superioris aetatis regem comparandum Pyrrho fuisse; raroque non

8 *cum sexaginta*] MSS. *cum sexagesimo*, et paullo post *cum septimo*. Ita Plin. XII Hist. Nat. 1 *Epulatum intra eam se cum duodeuicesimo comite*. et Orosius VI, 16 *Sex. Pompeius cum centesimo equite aufugit*. Vide Obseruat. in Script. Eccles. cap. 3. *Gronovius*.

item praelio nauali] Iuntae: *idem p. n.* Graeuius.

non inter reges tantum, verum etiam inter illustres viros, aut vitae sanctioris, aut iustitiae probatioris, visum fuisse: [4] scientiam certe rei militaris in illo viro tantam fuisse, vt cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus, bella gerens, inuictus semper fuerit. [5] Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, et Carthaginiensium bellis, nunquam inferior, plerumque etiam victor extiterit: [6] qui patriam certe suam angustam, ignobilemque, fama rerum gestarum, et claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddiderit.

LIBER XXVI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Peloponnesii per proditionem Antigono traduntur. Aristotimus tyrannus Epirotas afflixit, et Hellanici prudentia opprimitur.*

II *Antigonus Gallis occurrit, qui in furorem versi coniuges et liberos suos trucidant: deinde numinis vindicta omnes internecione delentur. Antigoni varii casus.*

III *Alexander, Pyrrhi filius, in regnum restituitur. Regni Cyrenarum turbulentus status.*

I

[1] Post mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verum etiam in Asia, Graeciaque, magni bellorum motus fuere. [2] Nam et Peloponnesii per proditionem Antigono traditi: [3] et variante hominum partim dolore, partim gaudio, prout singulae ciuitates aut auxilium de Pyrrho sperauerant, aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem iungebant, aut mutuis inter se odiis in bellum ruebant. [4] Inter hunc turbatarum prouinciarum motum, Epirorum quoque vrbs ab Aristotimo principe per tyrannidem occupatur: [5] a quo cum multi ex primoribus occisi, plures in exilium acti essent, Aetolis per legatos postulantibus, *coniuges liberosque exulum redderet*, primo negauit: [6] postea quasi poeniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit; diemque profectionis statuit. [7] Illae quasi in perpetuum cum viris exulaturae, pretiosissima quaeque auferentes, cum ad portam, quasi vno agmine profecturae, conuenissent, omnibus rebus exspoliatae, in carcerem recluduntur: occisis prius in gremio matrum paruulis

3 *variante hominum partim dolore, partim gaudio*] Forte, *variante homines* etc. Liu. XXVI, 1 *Variabant secundae aduersaeque res non fortunam magis, quam animos hominum.* Grónouius.

lis liberis, virginibusque ad stuprum direptis. [8] Ad tam saeuam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus, senex et liberis orbus, vt qui nec aetatis nec pignoris respectu timeret, contractos domum fidissimos amicorum in vindictam patriae hortatur. [9] Cunctantibus priuato periculo publicum finire, et deliberandi spatium postulantibus, arcessitis seruis iubet obserari fores, tyrannoque nuntiari, *mitteret, qui coniuratos apud se comprehenderet:* obiectans singulis, *se, quia liberandae patriae auctor esse non posset, defertae vltorem futurum.* [10] Tunc illi ancipiti periculo circumventi, honestiorem viam eligentes, coniurant in tyranni necem: atque ita Aristotimus, quinto postquam tyrannidem occupauerat mense, opprimitur.

II

[1] Interea Antigonus cum multiplici bello, et Ptolemaei regis, et Spartanorum, premeretur: nouusque illi hostis Gallograeciae exercitus affluxisset; in speciem castrorum parua manu aduersus caeteros relicta, aduersus Gallos totis viribus proficiscitur. [2] Quibus cognitis, Galli cum et ipsi se praelio pararent, in auspicia pugnae hostias caedunt: quarum extis cum magna caedes, interitusque omnium praediceretur, non in timorem, sed in furorem versi, sperantesque deorum minas expiari caede suorum posse, coniuges et liberos suos trucidant, auspicia belli a parricidio incipientes. [3] Tanta rabies feros animos inuaserat, vt non parcerent aetati, cui etiam hostes peperciissent, bellumque interneciuum cum liberis, liberorumque matribus gererent, pro quibus bella suscipi solent.

[4] Ita-

7 *direptis*] Scribe, *abreptis*. *Diripere* enim notat spoliare, *abripere* vero detrahere. *Gronouius.*

9 *se quia liberandae patriae auctor esse non posset*] Iuntae: *se, qui liberandae patriae auctor esse non posset, defertae vltorem fore.* Graeuius.

4 Itaque quasi scelere vitam victoriamque redemissent, sicut erant cruenti ex recenti suorum caede, in praelium non meliore euentu, quam omine, proficiscuntur. 5 Siquidem pugnantes, prius parricidiorum furiae, quam hostes circumuenere, obuersantibusque ante oculos manibus interemtorum, omnes occidione caesi. 6 Tanta strages fuit, vt pariter cum hominibus dii consensisse in exitium parricidarum viderentur. 7 Post huius pugnae euentum, Ptolemaeus et Spartani, victorem hostium exercitum declinantes, in tutiora se recipiunt. 8 Antigonus quoque vbi eorum discessum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Athenienſibus infert. 9 In quo cum occupatus esset, interim Alexander, rex Epiri, vlcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniae depopulatur. 10 Aduersus quem cum reuersus a Graecia Antigonus esset, transitione militum destitutus, regnum Macedoniae cum exercitu amittit. 11 Huius filius Demetrius puer admodum, absente patre, reparato exercitu, non solum amissam Macedoniam recipit, verum etiam Epiri regno Alexandrum spoliat. 12 Tanta vel mobilitas militum, vel fortunae varietas, erat, vt vicissim reges, nunc exules, nunc reges, viderentur.

III

1 Igitur Alexander cum exul ad Acarnanas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio, in regnum restituitur. 2 Per idem tempus rex Cyrenarum, Agas, decedit: qui ante infirmitatem Beronicen, vnicam filiam, ad finienda cum Ptolemaeo fratre certamina, filio eius desponderat. 3 Sed post mortem regis, mater virginis Arsinoë,

6 *in exitium parricidarum*] Iuntae: *in excidium parricidarum*. Graeuius.

2 *filio eius* etc.] Lege ex MS. *Filio eius, qui vocatus est Callinicus*. Gronouius.

Arsinoë, vt inuita se contractum matrimonium solveretur, misit qui ad nuptias virginis, regnumque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni a Macedonia arcesserent: qui et ipse ex filia Ptolemaei procreatus erat. 4 Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum secundante vento celeriter Cyrenas aduolasset, fiducia pulcritudinis, qua nimis placere socrui coeperat, statim a principio superbus, regiae familiae, militibusque impotens erat; studiumque placendi a virgine in matrem contulerat. 5 Quae res suspecta primo virgini, dein popularibus militibusque inuisa, fuit. 6 Itaque versis omnium animis in Ptolemaei filium, insidiae Demetrio comparantur: cui, cum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. 7 Sed Arsinoë audita voce filiae, ad fores stantis, et praecipientis, *vt matri parceretur;* adulterum paullisper corpore suo protexit. 8 Quo interfecto, Beronice, et stupra matris, salua pietate, vlta est: et in matrimonio sortiendo, iudicium patris secuta.

6 *comparantur*] MS. Voss. I, 8 *compositis in montibus insicomponuntur*. quomodo supra *diis*. Gronouius.

LIBER XXVII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Seleucus nouercam et fratrem infantem interficit.*
II *Classe naufragio amissa, ciuitates amissas recipit, praelio victus aufugit; auxilium noxium a fratre Antiocho Hieracе petit et impetrat.*
III *Asiae laceras status. In Antiochum Hieracem et Seleucum numinis vindicta.*

I

[1] Mortuo Syriae rege, Antiocho, cum in locum eius filius Seleucus succeſſiſſet, hortante matre Laudice, quae prohibere debuerat, auſpicia regni a parricidio coepit. [2] Quippe Beronicen nouercam ſuam, ſororem Ptolemaei, regis Aegypti, cum paruulo fratre ex ea ſuſcepto interficit. [3] Quo facinore perpetrato, et infamiae maculam ſubiit, et Ptolemaei bello ſe implicuit. [4] Porro Beronice cum ad ſe interficiendam miſſos didiciſſet, Daphnae ſe claudit. [5] Vbi cum obſideri eam cum paruulo filio nuntiatum Aſiae ciuitatibus eſſet, recordatione paternae, maiorumque eius, dignitatis, caſum tam indignae fortunae miſerantes, auxilia ei omnes miſere. [6] Frater quoque Ptolemaeus periculo ſororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus aduolat. [7] Sed Beronice ante aduentum auxiliorum, cum vi expugnari non poſſet, dolo circumuenta trucidatur. [8] Indigna res omnibus viſa. Itaque cum

2 *Beronicen nouercam ſuam*] Scribendum cum luntis: *Berenicen*. Graecis: Βερενίκην. *Graeuius.*

3 *maculam ſubiit*] Cic. III de Offic 13 *Vitiorum ſubire nomina.* et XI ad Att. Ep. 17 *odium ſubire.* Plin. III Ep. 9 *offenſam ſubire.* Gronouius.

5 *caſum tam indignae* etc.] Scribe, *caſum tam indignum fortunae. Caſus* enim tanquam effectum fortunae ſaepe ponitur. Liu. XXX, 30 *Hoc ludibrium caſus edidit fortuna.* Caeſ. VI B. G. 35 *Quantum in bello fortuna poſſit, et quantos afferat caſus, cognoſci potuit.* Vide Flor. II, 8. *Gronouius.*

cum vniuerſae ciuitates, quae defecerant, ingentem claſſem comparaſſent, repente exemplo crudelitatis exterritae, ſimul et in vltionem eius, quam defenſuri erant, Ptolemaeo ſe tradunt: [9] qui, niſi in Aegyptum domeſtica ſeditione reuocatus eſſet, totum regnum Seleuci occupaſſet. [10] Tantum vel illi odium, parricidiale ſcelus, vel huic fauorem indigne peremtae mors ſororis, attulerat.

II

[1] Poſt diſceſſum Ptolemaei, Seleucus cum aduerſus ciuitates, quae defecerant, ingentem claſſem comparaſſet, repente, veluti diis ipſis parricidium vindicantibus, orta tempeſtate, claſſem naufragio amittit: [2] nec quicquam illi ex tanto apparatu, praeter nudum corpus, et ſpiritum, et paucos naufragii comites reliquos fortuna fecit. [3] Miſera quidem res, ſed optanda Seleuco fuit; ſiquidem ciuitates, quae odio eius ad Ptolemaeum tranſierant, velut diis arbitris ſatisfactum ſibi eſſet, repentina animorum mutatione in naufragii miſericordiam verſae, imperio ſe eius reſtituunt. [4] Laetus igitur malis ſuis, et damnis ditior redditus; veluti par viribus, bellum Ptolemaeo infert: [5] ſed quaſi ad ludibrium tantum fortunae natus eſſet, nec propter aliud opes regni recepiſſet, quam vt amitteret, victus praelio, non multo quam poſt naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. [6] Inde ad Antiochum fratrem litteras facit: quibus auxilium eius implorat, oblata ei Aſia, inter fines Tauri montis, in praemium latae opis. [7] Antiochus autem cum eſſet annos XIIII natus, ſupra aetatem regni auidus, occaſionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit: ſed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer ſceleratam virilemque ſumit audaciam. [8] Vnde Hierax eſt cognominatus: quia non hominis, ſed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam ſectaretur. [9] In-

terea Ptolemaeus Euergetes, cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognouisset, ne cum duobus vno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit: [10] sed pax ab hoste data interpellatur a fratre; qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem, implorato exhibuit. [11] In eo praelio virture Gallorum victor quidem Antiochus fuit: sed Galli, arbitrantes, Seleucum in praelio cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertere: liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam extinxissent. [12] Quod vbi sensit Antiochus, velut a praedonibus, auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis iungit.

III

[1] Interea rex Bithyniae, Eumenes, sparsis consumtisque fratribus bello intestinae discordiae, quasi vacantem Asiae possessionem inuasurus, victorem

1 *rex Bithyniae Eumenes*] Gronouius legit, *rex Bithyniae Nicomedes*. Grauiter hic hallucinatus est Iustinus, nec potest emendatione iuuari, vt et Vorstius vidit, et pluribus adstruit eruditissimus et amicissimus Perizonius in Animadu. historicis cap. 11, vbi ostendit nullum Eumenem fuisse inter Bithyniae reges: Nicomedem vero nunquam cum Gallis pugnasse, sed contra, ipso adiuuante, Gallos in Asiam primum peruenisse, et arctissimam cum eo societatem et amicitiam iniisse, et perpetuo deinceps seruasse: nec illum aequalem fuisse Seleuco Callinico, et Antiocho Hieraci, de quibus hic agat Iustinus, sed illorum auo Antiocho Soteri. Bithyniae regem tum fuisse Zielam Nicomedis F., vt non solum ex temporum ratione, sed et prologis librorum Trogi pateat. Nam in huius libri prologo legi ex emendatione Valesii: *Vtque Galli Pergamo victi ab Attalo Zielam Bithyniae occiderint*. Gallos itaque non caesos esse a rege Bithyniae, sed ab Attalo, Pergami dynasta, de quo Liuius quoque XXXVIII, 10. Plurifariam igitur peccare Iustinum, dum pro *Attalo, Eumenem* decessorem illius nominat; deinde cum *Bithyniae regem* et *Bithyniae* dicit, cum Pergami dynastam deberet dicere. *Graeuius.*

rem Antiochum, Galloſque aggreditur. [2] Nec difficile ſaucios adhuc ex ſuperiore congreſſione, integer ipſe viribus, ſuperat. [3] Ea namque tempeſtate omnia bella in exitium Aſiae gerebantur: vti quiſque fortior fuiſſet, Aſiam velut praedam occupabat. [4] Seleucus et Antiochus fratres bellum propter Aſiam gerebant: Ptolemaeus, rex Aegypti, ſub ſpecie ſororiae vltionis, Aſiae inhiabat. [5] Hinc Bithynus Eumenes, inde Galli, humiliorum ſemper mercenaria manus, Aſiam depopulabantur: cum interea nemo defenſor Aſiae inter tot praedones inueniebatur. [6] Victo Antiocho, cum Eumenes maiorem partem Aſiae occupaſſet, ne tunc quidem fratres, perdito praemio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: ſed omiſſo externo hoſte, in mutuum exitium bellum reparant. [7] In eo Antiochus denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tandem ad ſocerum ſuum Artamenem, regem Cappadociae, prouehitur. [8] A quo cum primum benigne exceptus eſſet, interiectis diebus, cognito quod inſidiae ſibi pararentur, ſalutem fuga quaeſiuit. [9] Igitur cum profugo nuſquam tutus locus eſſet, ad Ptolemaeum hoſtem, cuius fidem tutiorem, quam fratris, exiſtimabat, decurrit; memor vel quae facturus fratri eſſet, vel quae meruiſſet a fratre. [10] Sed Ptolemaeus non amicior dedito, quam hoſti, factus, ſeruari eum arctiſſima cuſtodia iubet. [11] Hinc quoque Antiochus, opera cuiuſdam meretricis adiutus, quam familiarius nouerat, deceptis cuſtodibus elabitur, fugienſque a latronibus interficitur. [12] Seleucus quoque iiſdem ferme diebus, amiſſo regno, equo praecipitatus, finitur. Sic fratres, quaſi et germanis

10 *non amici debito, quam hoſtis factus*] Haec ſunt contaminatiſſima, vt recte viderunt viri docti. Sed in Iuntae editione, optime legitur: *Non amicior dedito quam hoſti factus.* Quo nihil eſt verius. *Graeuius.*

12 *equo praecipitatus finitur*] Sic optimi libri editi iuxta et manu

nis casibus, exules ambo, post regna, scelerum suorum poenas luerunt.

manu exarati. Nec est quod cum viro doctissimo rescribamus *finit*. Oraculum vetus apud Ciceronem ex eius versione:

Euthynous potitur fatorum munere leto;

Sic fuit vtilius finiri ipsique tibique.

Seneca ep. 74 *Siue illi senectus longa contigit, siue citra senectutem finitus est.* Valer. Max. VIIII, 12 *Sed atrocius aliquando Euripides finitus est.* Graeuius.

LIBER XXVIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Olympias, Alexandri Epirotae vidua, Demetrio Macedoni Ptiam filiam dat vxorem; vnde tragoediae et bellorum initia.*

II *Aetoli superbe respondent Romanis, qui Acarnanis auxilium praebebant, et arma mouent intrepide.*

III *Filiis duobus, morbo sublatis, Olympias non diu superuixit. Laodamia filia interfecta. Epirus grauiter affligitur. Demetrius Macedo moritur. Huius filii Philippi Antigonus tutelam suscipit, quam prudenter administrat.*

IIII *Bellum Antigoni aduersus Spartanos: quorum rex Cleomenes, viribus attritis, in Aegyptum profugit, vbi interficitur. Antigono mortuo, Philippus regnat.*

I

[1] Olympias, Pyrrhi Epirotae regis filia, amisso marito, eodemque germano fratre, Alexandro, cum tutelam filiorum ex eo susceptorum, Pyrrhi et Ptolemaei, regnique administrationem in se recepisset, Aetolis partem Acarnaniae, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere volentibus, ad regem Macedoniae, Demetrium, decurrit; [2] eique, habenti vxorem Antiochi, regis Syriae, sororem, filiam suam Ptiam in matrimonium tradit: vt auxilium, quod misericordia non poterat, iure cognationis obtineret. [3] Fiunt igitur nuptiae, quibus et noui matrimonii gratia acquiritur, et veteris offensa contrahitur. [4] Nam prior vxor, velut matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem Antiochum discedit; eumque in mariti bellum impellit. [5] Acarnanes quoque diffisi Epirotis, aduersus Aetolos auxilium Romanorum implo-

2 *filiam suam Ptiam*] MS. Plutarcho docuit Bongarsius. *Bithiam.* Iunt. *Pythiam.* Lege, *Phtiam*, vti legendum ex *Gronouius.*

implorantes, obtinuerunt a Romano senatu, vt legati mitterentur, qui denuntiarent Aetolis: [6] *Praesidia ab vrbibus Acarnaniae deducerent: paterenturque esse liberos, qui soli quondam aduersus Troianos, auctores originis suae, auxilia Graecis non miserint.*

II

[1] Sed Aetoli legationem Romanorum superbe audiuere: Poenos illis et Gallos, a quibus tot bellis occidione caesi sint, exprobrantes; dicentesque, [2] *Prius illis portas aduersus Carthaginienses aperiendas, quas clauserit metus Punici belli, quam in Graeciam arma transferenda.* [3] *Meminisse* deinde iubent, *qui quibus minentur.* [4] *Aduersus Gallos vrbem eos suam tueri non potuisse: captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse.* [5] *Quam gentem se aliquanto maiore manu Graeciam ingressam, non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adiutos, vniuersam delesse, sedemque sepulcris eorum praebuisse, quam illi vrbibus imperioque suo proposuerant.* [6] *Contra, Italiam, trepidis ex recenti vrbis suae incendio Romanis, vniuersam ferme a Gallis occupatam.* [7] *Prius igitur illis Gallos Italia pellendos, quam minentur Aetolis: priusque sua defendenda, quam aliena appetenda.* [8] *Quos*

1 *a quibus tot bellis occidione caesi sint*] Iuntae: *a quibus tot bellis vexati, toties occidione caesi sint.* Sed haec interpolata credo, nec recedendum esse ab aliorum codicum lectione. *Bella* enim hic sunt praelia, vt infinitis aliis in locis. Superius VIIII, 4 *Bello consumtorum corpora sepulturae reddidit.* Sed haec obuia sunt. *Graeuius.*

5 *quam illi vrbibus imperioque suo proposuerant*] Iuntae quoque cum MSS. Fuldensibus: *vrbibus.* Sed pro *proposuerant*, legunt Iuntae, *praeposuerant.* Graeuius.

7 *priusque sua defendenda, quam aliena appetenda*] Pulchre hunc locum ex veteribus codd. doctissimi viri restituerunt, adstipulantibus duobus codicibus Britannicis. *Graeuius.*

[8] *Quos autem homines Romanos esse? nempe pastores, qui latrocinio iustis dominis ademtum solum teneant:* [9] *qui vxores, cum propter originis dehonestamenta non inuenirent, vi publica rapuerint:* [10] *qui denique vrbem ipsam parricidio condiderint, murorumque fundamenta fraterno sanguine adsperserint.* [11] *Aetolos autem principes Graeciae semper fuisse; et sicut dignitate, ita et virtute caeteris praestitisse;* [12] *solos denique esse, qui Macedonas, imperio terrarum florentes, semper contemserint: qui Philippum regem non timuerint: qui Alexandri Magni post Persas Indosque deuictos, cum omnes nomen eius horrerent, edicta spreuerint.* [13] *Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna praesenti, nec prouocent arma, quibus et Gallos caesos, et Macedonas contemtos, videant.* [14] Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius locuti, quam fecisse, viderentur, fines Epiri regni et Acarnaniae depopulantur.

III

[1] Iam Olympias filiis regna tradiderat; et in locum Pyrrhi fratris defuncti Ptolemaeus succesſerat: [2] qui cum hostibus instructo exercitu obvius processisset, infirmitate correptus, in itinere decedit. [3] Olympias quoque non magno post tempore, gemino funerum vulnere afflicta, aegrum spiritum trahens, non diu filiis superuixit. [4] Cum ex gente regia sola Nereis virgo, cum Laudamia sorore superesset, Nereis nubit Geloni, Siciliae regis filio. [5] Laudamia autem cum in aram Dianae confugisset, concursu populi interficitur. [6] Quod facinus dii immortales assiduis cladibus gentis, et prope

12 *nomen eius horrerent*] Ouid. VIII Met. 440 de Minoe: *Terruerat magnas ipso quoque nomine gentes.* Et

1 Maccab. 8, 12 καὶ ὅσοι ἤκουσαν τὸ ὄνομα αὐτῶν, ἐφοβήθησαν ἀπ' αὐτῶν. Cronouius.

prope interitu totius populi, vindicauerunt. [7] Nam sterilitatem famemque passi, et intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis paene consumti sunt. [8] Miloque, Laudamiae percussor, in furorem versus, nunc ferro, nunc saxo, in summa dentibus laceratis visceribus, duodecima die interiit. [9] His in Epiro gestis, interim in Macedonia Demetrius rex, relicto filio Philippo, paruulo admodum, decedit. [10] Cui Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constitui laborabat. [11] Interiecto deinde tempore, cum seditione minaci Macedonum, clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit; [12] proiectoque in vulgus diademate ac purpura, *dare haec* eos *alteri* iubet, *qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant:* [13] *se adhuc inuidiosum illud regnum, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis, sentire.* [14] Commemorat deinde beneficia sua: *vt defectionem sociorum vindicauerit: vt Dardanos, Thessalosque exultantes morte Demetrii regis compescuerit: vt denique dignitatem Macedonum non solum defenderit, verum etiam auxerit.* [15] *Quorum si illos poeniteat, deponere se imperium, et reddere illis munus suum; ipsi regem quaerant, cui imperent.* [16] Cum populus pudore motus, recipere eum regnum iuberet, tamdiu recusauit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

IIII

[1] Post haec bellum Spartanis infert: qui soli Philippi Alexandrique bellis, et imperium Mace-

15 *deponere imperium*] Ingenio Fabri [scrib. *deponere se imp.*] applaudit Iuntina, in qua *se* legitur recte. *Gratius.*

ipsi regem] *Quia* est etiam apud Iuntas. *Gronius.*

Macedonum, et omnibus metuenda arma contemſerant. [2] Inter duas nobiliſſimas gentes bellum ſummis vtrinque viribus fuit: cum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non ſolum pro illibata libertate, ſed etiam pro ſalute certarent. [3] Victi Lacedaemonii, non ipſi tantum, ſed etiam coniuges liberique, magno animo fortunam tulere. [4] Nemo quippe in acie ſaluti pepercit: nulla amiſſum coniugem fleuit: filiorum mortem ſenes laudabant: patribus in acie caeſis filii gratulabantur; ſuam vicem omnes dolebant, quod non ipſi pro patriae libertate cecidiſſent. [5] Patentibus omnes domibus ſaucios excipiebant, vulnera curabant, laſſos reficiebant. [6] Inter haec nullus in vrbe ſtrepitus, nulla trepidatio; magis omnes publicam, quam priuatam, fortunam lugebant. [7] Inter haec Cleomenes rex poſt multas hoſtium caedes, toto corpore, ſuo pariter et hoſtium cruore madens, ſuperuenit; [8] ingreſſuſque vrbem, non humi conſedit, non cibum aut potum popoſcit, non denique armorum onus depoſuit: [9] ſed acclinis parieti, cum quatuor millia ſola ex pugna ſuperfuiſſe conſpexiſſet, hortatur, *Vt ſe ad meliora reipublicae tempora reſeruarent.* [10] Tum cum coniuge et liberis Aegyptum ad Ptolemaeum proficiſcitur: a quo honorifice ſuſceptus, diu in ſumma dignatione regis vixit. [11] Poſtremo poſt Ptolemaei mortem, a filio eius cum omni familia interficitur. [12] Antigonus autem, caeſis occidione Spartanis, fortunam tantae vrbis miſeratus, a direptio-

6 *magiſque omnes publicam*] Copulam omittunt luntae. Efficacius ſane hic abeſt, vt in praecedentibus. *Gracuius.*

9 *hortatur, vt ſe ad meliora*] Legendum videtur, *hortatus, vt ſe ad meliora reip. tempora reſeruarent, cum coniuge et* etc. *Gronouius.*

direptione milites prohibuit; veniamque his, qui superfuerant, dedit, [13] praefatus, *Bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse, cuius fuga omnis ira eius finita sit:* [14] *nec minori sibi gloriae fore, si ab eo seruata Lacedaemon, a quo solo capta sit, proderetur.* [15] *Parcere igitur se solo vrbis ac tectis, quoniam homines, quibus parceret, non superfuissent.* [16] Nec multo post ipse decedit, regnumque Philippo pupillo, annos XIIII nato, tradidit.

LIBER XXVIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Orbis multa imperia noua regum ſucceſſione mutantur, nominatim in Africa, Aegypto, Macedonia.*
II *Philippus, rex Macedoniae, malo conſilio impulſus, Romanis bellum inferre conſtituit.*
III *Inſanam hanc mentem ſpecioſis verbis occultat.*
IIII *Tandem apertus hoſtis apparet: vnde cruentum bellum, ipſi Philippo perniciosum ſimul ac ignominioſum.*

I

[1] Iisdem ferme temporibus prope vniuerſi orbis imperia, noua regum ſucceſſione, mutata ſunt. [2] Nam et in Macedonia Philippus, mortuo Antigono, tutore eodemque vitrico, annorum quatuordecim regnum ſuſcepit: [3] et in Aſia, interfecto Seleuco, impubes adhuc rex Antiochus conſtitutus eſt: [4] Cappadociae quoque regnum Ariarathi, puero admodum, pater ipſe tradiderat: Aegyptum, patre ac matre interfectis, occupauerat Ptolemaeus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopatori fuit. [6] Sed et Spartani in locum Cleomenis ſuffecerunt Lycurgum. [7] Et ne qua temporibus mutatio deeſſet, apud Carthaginienſes quoque aetate immatura dux Annibal conſtituitur,

T 2 non

[5] *cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit*] Iuntae: *Cognomentum Philopatori fuit.* Quae ſyntaxis noſtris temporibus inuſitatior, ideoque a ſciolis mutata, veteribus perfamiliaris fuit. Plaut. Proleg. Rudent. *Nomen Arcturo eſt mihi.* In Trinum. Act. II Scen. II *Lesbonico eſt nomen.* In Prologo eiuſdem fabulae: *Huic nomen Graece eſt Theſauro fabulae.* Ibid. *Nomen Trinummo fecit.* Menechm. Act. I Scen. I *Nomen fecit Peniculo mihi.* Plura cum apud hunc, tum alios optimae notae ſcriptores, exempla ſunt in promtu. *Graeuius.*

[7] *ſciebant. Fatale non tam* etc.] Dele τελεῖαν στιγμὴν, et diſtingue hoc modo, *ſciebant, fatale non tam Romanis* etc. Vt haec dicantur per appoſitionem. *Gronouius.*

non penuria seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum a pueritia sciebant. Fatale non tam Romanis, quam ipsi Africae, malum. [8] His regibus pueris etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quibusque maiorum vestigia intentis, magna indoles virtutis enituit. [9] Solus Ptolemaeus, sicut sceleſtus in occupando regno, ita et segnis in administrando, fuit. [10] Philippum Dardani caeterique omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat, contemtu aetatis assidue lacessebant. [11] Contra ille, summotis hostibus, non contentus sua defendisse, vltro etiam Aetolis bellum inferre gestiebat.

II

[1] Quae agitantem illum Demetrius, rex Illyriorum, nuper a Paullo Rom. consule victus, supplicibus precibus aggreditur, *iniuriam Romanorum* querens: [2] *qui non contenti Italiae terminis, imperium spe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant.* [3] *Sic illos Siciliae, sic Sardiniae, Hispaniaeque, sic denique totius Africae imperium affectantes, bellum cum Poenis et Annibale susceptisse:* [4] *sibi quoque non aliam ob caussam, quam quod Italiae finitimus videbatur, bellum illatum: quasi nefas esset, aliquem regem iuxta imperii eorum terminos esse.* [5] *Sed et ipsi cauendum esse exemplum; cuius quanto promtius nobiliusque sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habituras.* [6] Super haec, *cedere se illi regno, quod Romani occupa-*

8 *in suorum quisque maiorum vestigia intentis*] Suspicor legendum, *tamen in iis, in suorum io queisque maiorum vestigia intentis.* Gronov. Iuntae: *In suorum quibusque maiorum vestigia nitentibus.* Acute hic quoque doctissimus Faber vidit *quisque* corruptum esse. Britanni supposuerunt *cuiusque.* Sed sequor Iuntas. In priore mearum notarum editione typographorum vitio scriptum fuit in Iuntina etiam legi *quisque,* cum tamen in illa habeatur *quibusque.* In codicibus autem antiquis *quisque* scriptum fuit pro *queisque.* Graevius.

occupauerint, profitetur; *gratius habiturus, si in possessione imperii sui socium potius, quam hostes, videret.* [7] Huiuscemodi oratione impulit Philippum, vt, omissis Aetolis, bellum Romanis inferret, minus negotii existimantem, quod iam victos ab Annibale apud Thrasymenum lacum audierat. [8] Itaque ne eodem tempore multis bellis detineretur, pacem cum Aetolis facit; non quasi alio bellum translaturus, sed vt Graeciae quieti consulturus, *quam nunquam in maiori periculo fuisse* affirmabat. [9] *Siquidem consurgentibus ab Occidente nouis Poenorum et Romanorum imperiis, quibus vna haec a Graecia atque Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt: caeterum statim victoribus transitum in Orientem fore.*

III

[1] *Videre se itaque* ait *consurgentem in Italia nubem illam trucis et cruenti belli: videre tonantem ac fulminantem ab Occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriae tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia foedaturam.* [2] *Frequenter Graeciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum, bellis: sed omnia illa ludum fuisse existimaturos, si ea, quae nunc in Italia concurrat manus, extra terram*

6 *gratius habiturus*] Forte, *gratius habiturum*. Gronouius.

8 *ne eodem tempore multis bellis detineretur*] Iuntae: *ne multis bellis eodem tempore grauaretur*. Sed praestat cum Fabro *distineretur*. Sic et legendum libro XXXI, 3 *ne vno tempore duplici bello Romanae vires distinerentur*. hoc est, distraherentur. Aliud est *detineri*, aliud *distineri*. Detinemur longo bello aut obsidione, distinemur duobus pluribusue bellis. *Graeuius*.

2 *sed omnia illa ludum fuisse*] Merito Modius probauit veterum editionum lectionem, quam et Iuntina prae se fert: *Omnia illa ludum fuisse*. et pluribus asseruit Gronouius Obseruat. IIII, 10 ex Cicerone, Liuio, aliis. *Graeuius*.

in Italia concurrat] MSS. *Italiam concurrat*. Lege, *Italiam concutiat*. Gronouius.

illam se effuderit. [3] *Cernere se, quam cruenta et sanguinaria inter se bella, vtrique populi, viribus copiarum, et ducum artibus, gerant: quae rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruina finitimorum, non possit.* [4] *Feros igitur animos victorum minus quidem Macedoniae, quam Graeciae, timendos, quia et remotior, et in vindictam sui robustior sit:* [5] *scire tamen se, eos, qui tantis viribus concurrant, non contentos hoc fine victoriae fore; metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui superiores extiterint.* [6] Hoc praetextu, finito cum Aetolis bello, nihil aliud, quam Poenorum Romanorumque bella, respiciens, singulorum vires perpendebat. [7] Sed nec Romani, tametsi Poeni et Annibal in ceruicibus erant, soluti metu Macedonico videbantur: [8] quippe terrebat eos et vetus Macedonum virtus et deuicti Orientis gloria, et Philippus studio Alexandri aemulationis incensus, quem promtum in bella, industriumque cognouerant.

IIII

[1] Igitur Philippus, cum iterato praelio victos a Poenis Romanos didicisset, aperte hostem se his professus, naues, quibus in Italiam exercitum traiiceret, fabricare coepit. [2] Legatum deinde ad Annibalem, iungendae societatis gratia, cum epistolis mittit: [3] qui comprehensus, et ad senatum perductus, incolumis dimissus est, non in honorem regis, sed ne dubius adhuc, indubitatus hostis redderetur. [4] Postea vero, cum Romanis nuntiatum esset, in Italiam Philippum copias traiecturum, Laeuinum praetorem cum instructis nauibus ad prohibendum transitum mittunt. [5] Qui cum in Graeciam traiecisset, multis promissis impellit Aetolos bellum

8 *vetus Macedonum deuicti Orientis gloria*] Iuntae et aliae veruſtae editiones: *et vetus Macedonum virtus.* quod cum et Britanni in optimo codice repererunt, merito cum illis recipio. *Graeuius.*

bellum aduersus Philippum suscipere. Philippus quoque Achaeos in Romanorum bella sollicitat. [6] Interea et Dardani Macedoniae fines vastare coeperunt, abductisque XX millibus captiuorum, Philippum a Romano bello ad tuendum regnum reuocauerunt. [7] Dum haec aguntur, Laeuinus praetor, iuncta cum Attalo rege societate, Graeciam populatur. Quibus cladibus perculsae ciuitates, auxilium petentes, Philippum legationibus fatigant: [8] nec non et Illyriorum rex, lateri eius haerens, assiduis precibus promissa exigebat. Super haec vastati Macedones, vltionem flagitabant. [9] Quibus tot tantisque rebus obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat: omnibus tamen propediem auxilia se missurum pollicetur; non quia facere posset, quae promittebat, sed vt spe impletos in societatis iure retineret. [10] Prima tamen illi expeditio aduersus Dardanos fuit: qui absentiam eius aucupantes, maiore belli mole Macedoniae imminebant. [11] Cum Romanis quoque pacem facit, contentis interim bellum Macedonicum distulisse; Philopoemeni, Achaeorum duci, quem ad Romanos sociorum animos sollicitare didicerat, insidias praetendit. Quibus ille cognitis vitatisque, discedere ab eo Achaeos auctoritate sua coëgit.

8 *nec non Illyriorum reges lateri eius haerentes assiduis precibus promissa exigebant*] Iuntae rectius: *Nec non Illyriorum rex, lateri eius haerens, assiduis precibus promissa exigebat.* Sane vnius Demetrii meminit in capite secundo, qui Philippum in bella Romanorum impulerit. Iuntinam secuti sunt Angli. Paullo ante: *Iuncta cum rege Attalo societate.* Iuntae: *inita cum rege Att. soc.* Graeuius.

10 *aucupantes*] Cic. pro Flacco 39 *Cur epistolis et sororis et matris imbecillitatem aucupatur?* Gronouius.

LIBER XXX

BREVIARIVM CAPITVM

I *Ptolemaei, regis Aegypti, luxuria, vecordia, et parricidia.*

II *Miserrimus Aegypti status sub turpissimo principe. Eius meretrix et lenones crudeli fato pereunt.*

III *Mortuo Ptolemaeo, Romani tutelam pupilli aduersus Antiochum Syrum, et Philippum Macedonem suscipiunt: Philippumque prius bello reducunt ad humiliorem mentem.*

IIII *Terrae motus ingentes. Romani pacem repudiant. Philippus et Flamininus suos ad pugnam accendunt. Macedonas Romana fortuna vincit, et Philippus spoliatur.*

I

[1] Philippo in Macedonia magnis rebus intento, in Aegypto Ptolemaei diuersi mores erant. [2] Quippe regno parricidio parto, et ad necem vtriusque parentis, caede etiam fratris adiuncta, velut rebus feliciter gestis, luxuriae se tradiderat; regisque mores omnis sequuta regia erat. [3] Itaque non amici tantum praefectique, verum etiam omnis exercitus, depositis militiae studiis, otio ac desidia corrupti marcebant. [4] Quibus rebus cognitis, Antiochus, rex Syriae, veteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas vrbes eius oppressit, ipsamque Aegyptum aggreditur. [5] Trepidare igitur Ptolemaeus, legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. [6] Magno deinde in Graecia exercitu conducto, secundum praelium facit: spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute iuuisset. [7] Sed contentus reciperatione vrbium, quas amiserat, facta pace, auide materiam quietis arripuit; reuolutusque in luxuriam, occisa Eurydice vxore eademque sorore sua, Agathocliae meretricis illecebris capitur. [8] Atque ita omnem magnitudinem nominis ac maiestatis oblitus

tus, noctes in stupris, dies in conuiuiis consumit. 9 Adduntur instrumenta luxuriae, tympana et crepundia: nec iam spectator rex, sed magister nequitiae, neruorum oblectamenta modulatur. 10 Haec primo laborantis regiae tacitae pestes et occultae fuere.

II

1 Deinde crescente licentia, iam nec parietibus regiae domus contineri meretricis audacia potest: 2 quam proteruiorem, sociata cum Agathocle fratre, ambitiosae pulcritudinis scorto, quotidiana regis stupra faciebant. 3 Accedebat et mater Oenanthe, quae geminae sobolis illecebris deuictum regem tenebat. 4 Itaque non contentae rege, iam etiam regnum possident, iam in publico visuntur, iam salutantur, iam comitantur. 5 Agathocles regis lateri iunctus, ciuitatem regebat: tribunatus, praefecturas, et ducatus mulieres ordinabant, nec quisquam in regno suo minus, quam ipse rex, poterat. 6 Cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur; sed mors eius, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, et imperium, inita cum perditissimis societate, occupare conantur, diu occultata fuit. 7 Re tamen cognita, concursu multitudinis, et Agathocles occiditur, et

T 5 mulie-

10 *haec primo laborantis regiae tacitae pestes et occultae fuerunt*] Forte, *Haec primo laborantis* etc. Inf. XVIII, 3 *Is primum aliis videri furor.* vbi etiam vulgo editur, *id primum.* Gronouius. MS. luntae cum aliis vett. ed. *Haec primo labentis regiae tacita pestis et occulta mala fuerunt.* Lege: *Haec prima labantis regiae tacita pestis et occulta mala fuerunt. Labans regia* est minans ruinam. Sic *labans disciplina* Liu. I, 36. *Gracvius.*

5 *ducatus mulieres ordinabant*] Sueton. in Augusto 46 *Equestrem militiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat.* Capitolin. in Pertinace 9 *Dum aulicum famulitium ordinaret.* Gronouius.

mulieres in vltionem Eurydices patibulis suffigun-tur. [2] Sorte regis, supplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos misere, orantes, *Vt tutelam pupilli susciperent; tuerenturque regnum Aegypti, quod iam Philippum et Antiochum, facta inter se pactione, diuisisse* dicebant.

III

[1] Grata legatio Romanis fuit, caussam belli aduersus Philippum quaerentibus, qui insidiatus eis, temporibus Punici belli, fuerat. [2] Huc accedebat, quod Poenis et Annibale superato, nullius magis arma metuebant, reputantibus, quantum motum Pyrrhus parua manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in Oriente gessissent. [3] Mittuntur itaque legati, qui Antiocho et Philippo denuntient, *regno Aegypti abstineant.* [4] Mittitur et M. Lepidus in Aegyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. [5] Dum haec aguntur, interim legationes Attali regis, et Rhodiorum, iniurias Philippi querentes, Romam venerunt. Quae res omnem cunctationem Macedonici belli senatui exemit. [6] Statim igitur, titulo ferendi sociis auxilii, bellum aduersus Philippum decernitur, legionesque cum consule in Macedoniam mittuntur. [7] Nec multo post tempore, tota Graecia, fiducia Romanorum, aduersus Philippum, spe pristinae libertatis erecta, bellum ei intulit: atque ita, cum rex vndique vrgeretur, pacem petere compellitur. [8] Deinde, cum expositae conditiones pacis a Romanis essent, repetere sua, et Attalus, et Rhodii, et Achaei, et Aetoli coepere. [9] Contra Philippus, *adduci se posse, vt Romanis pareat,* concedebat; *caeterum indignum esse, Graecos a Philippo*

7 *in vltionem Eurydicis*] rydice enim Ῥεφυδίκη Graecis luntae bene: *Eurydices.* Eu- est. *Gracuius.*

lippo et Alexandro, maioribus ſuis, victos, et ſub iugum Macedonici imperii ſubactos, veluti victores, leges pacis ſibi dicere, quibus prius ſit ſeruitutis ratio reddenda, quam libertas vindicanda. [10] Ad poſtremum tamen, petente eo, induciae duorum menſium datae, vt pax, quae in Macedonia non conueniebat, Romae a ſenatu peteretur.

IIII

[1] Eodem anno inter inſulas Theram et Therasiam, medio vtriuſque ripae et maris ſpatio, terrae motus fuit. [2] In quo, cum admiratione nauigantium, repente ex profundo cum calidis aquis inſula emerſit. [3] In Aſia quoque eadem die idem motus terrae Rhodum, multaſque alias ciuitates, graui ruinarum labe concuſſit: quaſdam ſolidas abſorbuit. [4] Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere, *Oriens Romanorum imperium vetus Graecorum ac Macedonum voraturum.* [5] Interim a ſenatu repudiata pace, Philippus in ſocietatem belli Nabin tyrannum ſollicitat. [6] Atque ita, cum in aciem exercitum inſtructis e diuerſo hoſtibus produxiſſet, hortari ſuos coepit, referendo, *Perſas, Bactros, Indoſque, et omnem Aſiam, Orientis finem, a Macedonibus perdomitam;* [7] *tantoque fortius hoc bellum, quam illa, ſuſtinendum, quanto ſit libertas imperio carior.* [8] Sed et Flamininus Romanus conſul, relatione rerum recentiſſime geſtarum, ſuos ſtimulabat in praelium, oſtendendo, *hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam et Hiſpaniam Romana virtute perdomitas:* [9] *nec Annibalem quidem Alexandro Magno poſtponendum; quo Italia pulſo, Africam ipſam, tertiam partem mundi, ſuperauerint.* [10] *Sed nec Macedonas veteri fama, ſed praeſentibus viribus, aeſtiman-*

2 *inſula emerſit*] Dicebatur *Thia*, teſte Pomp. Mela II Cap. vlt. *Graecius.*

6 *Orientis finem*] MS. cum Iuntis: *Orientis fine.* Gtaevius.

aestimandos: [11] *quia non cum Alexandro Magno, quem inuictum audierant, nec cum exercitu eius, qui totum Orientem deuicerat, bellum gerant:* [12] *sed cum Philippo, puero immaturae aetatis, qui regni terminos aduersus finitimos aegre defendat, et cum his Macedonibus, qui non ita pridem praedae Dardanis fuerunt.* [13] *Illos maiorum decora, se suorum militum commemorare.* [14] *Non enim alio exercitu Annibalem et Poenos, et totum ferme Occidentem, sed his ipsis, quos in acie habeat, militibus subactos.* [15] His adhortationibus vtrinque concitati milites, praelio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis imperio gloriantes, ferentesque in bellum, alii maiorum suorum antiquam et obsoletam gloriam, alii virentem recentibus experimentis virtutis florem. [16] Sed Macedonas Romana fortuna vicit. [17] Fractus itaque bello Philippus, pace a Flaminino consule petita, nomen quidem regium retinuit: sed omnibus Graeciae vrbibus, velut regni membris, extra terminos antiquae possessionis, amissis, solam Macedoniam retinuit. [18] Offensi tamen Aetoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque ademta regi, et data sibi in praemium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis, in Romana bella, spe societatis vniuersae Graeciae, impellerent.

11 *deuicerat*] Scribe, *deuicerit.* et paullo ante, *qui inuictus audierit*, pro vulg. *quem inuictum audierant.* Gronouius.

LIBER XXXI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Romani Antiochum Syrum legatione coërcent. A Nabide Graeciam liberari iubent. Annibalis nomen Romanis formidabile.*

II *Annibal Romanorum insidias fugiens ad Antiochum cursum dirigit.*

III *Nabis duobus praeliis fractus, post Romanorum discessum arma mouet. Annibalis ad Antiochum de opprimendis Romanis consilium.*

IIII *Carthaginienses ab Antiocho sollicitati rem Romanis significant, qui politico strategemate Annibalem ab Antiocho diuellunt.*

V *Iteratum Annibalis consilium de bello in Italia Romanis inferendo.*

VI *Antiochi adulatores Annibalis sana consilia rident: inde subuersio Antiochi, qui terrestri et nauali praelio a Romanis superatur.*

VII *Scipiones, ducto in Africam exercitu, pacis leges Antiocho praescribunt, quas ipse repudiat.*

VIII *Bello reparato et pugna commissa, caesis quinquaginta Asiaticorum millibus, Antiochus subactus pacem petit et obtinet.*

I

[1] Mortuo Ptolemaeo Philopatore, rege Aegypti, contemtaque paruuli filii eius aetate, qui in spem regni relictus, praedae etiam domesticis erat, Antiochus, rex Syriae, occupare Aegyptum statuit. [2] Itaque Phoenicen, caeterasque Syriae quidem, sed

1 *contemtaque paruuli filii aetate*] Lege, *contemta paruuli filii eius aetate*. Scilicet ante, quam Lepidus veniret. *Gronouius.*

praeda etiam domesticis erat] MSS. *praedae*, quos merito censet sequendos Berneccerus. *Graeuius.*

2 *itaque Phoenicem, caeterasque Syriae quidem*] Legendum omnino *Phoenicen*, Φοινίκην. *Phoenicem* est a *Phoenix*. Sic autem nunquam dicta fuit regio. Hoc vitium ab omnibus editoribus praetermissum superius quoque correxi. Statim scribendum, vt Schefferus monuit, *iuris Aegyptii*. Graeuius.

sed iuris Aegypti, ciuitates cum inuasissent, legatos ad eum senatus mittit, qui denuntiarent ei, *abstineret regno pupilli, postremis patris precibus fidei suae traditi.* [3] Quibus spretis, interiecto tempore alia legatio superuenit, quae, omissa pupilli persona, *ciuitates, iure belli factas populi Romani, in integrum restitui* iubebat. [4] Abnuenti bellum denuntiatum: quod ille facile susceptum, infeliciter gessit. [5] Eodem tempore et Nabis tyrannus multas Graeciae ciuitates occupauerat. [6] Igitur senatus, ne vno tempore duplici bello Romanae vires detinerentur, scripsit Flaminino, *si ei videatur, sicuti Macedoniam a Philippo, ita Graeciam a Nabide liberet.* [7] Ob quam caussam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe Antiochi bellum Annibalis nomen faciebat, quem aemuli eius, occultis mandatis, *cum Antiocho iniisse societatem*, apud Romanos criminabantur: [8] negantes *eum aequo animo sub legibus viuere assuetum imperio, et immoderata licentia militari, semperque, taedio quietis vrbanae, nouas belli causssas circumspicere.* [9] Quae etsi falsa nuntiata fuissent, apud timentes tamen pro veris habebantur.

II

[1] Denique senatus metu perculsus, ad speculandos actus Annibalis, legatum in Africam Cnaeum Seruilium mittit: eique tacitis mandatis praecipit, *si posset, eum per aemulos eius interficeret, metuque inuisi nominis tandem populum Romanum liberaret.* [2] Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cauendaque pericula paratum;

6 *detinerentur*] Scribendum, *distinerentur*, hic etiam, vt superius. *Gracuius.*

2 *virum ad prospicienda cauendaque pericula paratum*] Non solum hanc lectionem MSS. Bongarsianorum probarunt Bernecerus et Scheffe-rus, sed Britanni in tribus codicibus repertam merito receperunt. *Gracuius.*

tum; nec minus in secundis aduersa, quam in aduersis secunda, cogitantem. [3] Igitur cum tota die in oculis principum, legatique Romani, in foro Carthaginiensium obuersatus in supremum fuisset, appropinquante vespere, equum conscendit, et rus vrbanum, quod propter littus maris habebat, ignaris seruis, iussisque ad portam reuertentem opperiri, contendit. [4] Habebat ibi naues cum remigibus occulto sinu littoris absconditas; erat et grandis pecunia in eo agro praeparata, vt, cum res exegisset, nec facultas fugam, nec inopia, moraretur. [5] Lecta igitur seruorum iuuentute, quorum copiam Italicorum captiuorum numerus augebat, nauem conscendit, cursumque ad Antiochum dirigit. [6] Postera die ciuitas principem suum, ac tum temporis consulem, in foro exspectabat. [7] Quem vt profectum nuntiatum est, non aliter quam si vrbs capta esset, omnes trepidauere, exitiosamque sibi fugam eius ominati sunt. [8] Legatus vero Romanus, quasi bellum iam illatum Italiae ab Annibale esset, tacitus Romam regreditur, trepidumque nuntium refert.

III

3 *igitur cum tota die in oculis principum legatique Romani, in foro Carthaginiensium obuersatus in supremum fuisset*] Lego, *in supremam*. Censorinus de die Natali Cap. 23 *Inde de meridie, hinc suprema, quanquam plurimi suprema post occasum solis esse existimant, quia est in duodecim tabulis scriptum. Sol occasus suprema*. Vide ad Plaut. Asin. III, 3, 4. *Gronouius*. Legendum: *In supremam fuisset*, scilicet diei horam. Sic enim Latini loquebantur. Lex XII tabularum apud Gellium: *Sol occasus dici suprema tempestas esto*. Varro IIII de L. L. *Suprema summum dici; hoc tempus duodecim tabulae dicunt occasum solis*. Sic olim coniecci; postea didici Celeberrimum Gronouium in eadem esse sententia, fuisseque dudum, cuius sane consensu vehementer laetor. *Graeuius*.

4 *vt cum res exegisset, nec facultas fugam, nec inopia moraretur*] Quomodo facultas fugam potest morari? quin facultas fugiendi promouet fugam. Videtur Iustinus scripsisse: *nec difficultas fugam, nec inopia moraretur*. difficultas scilicet nauigandi, si nulla nauis esset parata et in promtu. *Graeuius*.

III

1 Interim in Graecia Flumininus, iuncta cum quibusdam ciuitatibus societate, Nabidem tyrannum duobus continuis praeliis subegit, et grauiter fractum, velut exsanguem, in regno reliquit. 2 Sed libertate Graeciae restituta deductisque ab vrbibus praesidiis, cum Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut vacua rursus possessione sollicitatus, multas ciuitates repentino bello inuasit. 3 Quibus rebus exterriti Achaei, ne vicinum malum etiam ad se serperet, bellum aduersus Nabidem decernunt, ducemque praetorem suum Philopoemenem, insignis industriae virum, constituunt: 4 cuius in eo bello tanta virtus enituit, vt opinione omnium Flaminino Romano imperatori compararetur. 5 Eodem tempore Annibal, cum ad Antiochum peruenisset, velut deorum munus excipitur: 6 tantusque eius aduentu ardor animis regis accessit, vt non tam de bello, quam de praemiis victoriae, cogitaret. 7 Sed Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat *opprimi Romanos, nisi in Italia, posse.* 8 Ad hoc sibi centum naues, et decem millia peditum, et mille equites, poscebat: promittens, *hac manu non minus bellum, quam gesserit, Italiae re-*

staura-

1 *et grauiter* etc.] Haec [Fabro dicta] nimis arguta sunt. Librorum omnium scriptura hic perperam impugnatur, cuius haec est sententia. Nabis multis praeliis victus est: sed tamen non exutus est regno, sed in illo relictus, tanquam homo exsanguis, hoc est, sic debilitatus, et viribus destitutus, vt ab illo nihil in posterum sibi metuendum haberent Romani. Inferius XXXVIII, 1 *Magnum nomen viribus finitimorum exsanguibus fecit.* Graeuius.

6 *tantusque aduentu eius ardor animis regis accessit*] Iuntae: *animo regis.* Sed nihil muto. Superius VII, 3 *Depositisque hostilibus animis in affinitatis iura succedit.* vbi male emendant: *hostilibus armis.* Et XXI, 6 *Mittunt ad speculandos eius animos Hamilcarem.* Sic et *epistolae* pro *epistola* frequens nostro, et *caussae* pro *caussa.* Graeuius.

ſtauraturum : [9] *et in Aſiam regi ſedenti, aut victoriam de Romanis, aut aequas pacis conditiones relaturum :* [10] *quippe et Hiſpanis bello flagrantibus, ducem tantum deeſſe ; et Italiam notiorem ſibi nunc, quam pridem fuiſſet. Sed nec Carthaginem quieturam, ſociamque ſe ei ſine mora praebituram.*

IIII

[1] Cum regi conſilia placuiſſent, mittitur Carthaginem vnus ex comitibus Annibalis, qui in bellum cupidos hortetur, *Annibalemque cum copiis aſſuturum* nuntiet : *nihil*, dicat, *partibus, niſi animos Carthaginienſium, deeſſe : Aſiam et vires belli, et ſumtum praebituram.* [2] Haec cum relata Carthaginem eſſent, nuntius ipſe ab inimicis Annibalis comprehenditur, et perductus in ſenatum, cum interrogaretur, *ad quem miſſus eſſet ?* Punico ingenio reſpondit, *Se ad vniuerſum ſenatum miſſum : nec enim hoc opus ſingulorum, ſed vniuerſorum eſſe.* [3] Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conſcientiam mittant, tacitus conſcenſa naue ad Annibalem reuertitur : quo cognito, Carthaginienſes vltro rem Romam per legatum deferunt. [4] Romani quoque ad Antiochum legatos miſere, qui ſub ſpecie legationis, et regis apparatum ſpecularentur, et Annibalem aut Romanis mitigarent, aut aſſiduo colloquio ſuſpectum inviſumque regi redderent. [5] Itaque legati cum Epheſi con-

9 *in Aſiam*] Scribe, *in Aſia.* Gronouius.

regi ſedenti] Varro I de Re Ruſt. 2 *Romanus ſedendo vincit.* Liu. VIIII, 3 *Sedens bellum conficiet.* et XXXI, 38 *Sedentem Romanum debellaturum credi poterat.* Gronouius.

10 *fuiſſe*] Receperunt *rò fuiſſet* Angli merito. *Graeuius.*

2 *relata*] *Perlata* ſane Cicero eiuſque aequales dicerent, quibus familiariſſimum *ad nos perfertur*, pro nobis nuntiatur. *Graeuius.*

conueniſſent ad Antiochum, mandata ei ſenatus tradunt. [6] Dum reſponſum exſpectant, omnibus diebus aſſidui circa Annibalem fuere; dicentes, *Timide eum a patria receſſiſſe, cum pacem Romani, non tam cum republica eius, quam cum eo factam, ſumma fide cuſtodiant:* [7] *nec bella eum Romanorum magis odio, quam patriae amore, geſſiſſe, cui ab optimo quoque etiam ſpiritus ipſe debeatur. Has enim publicas inter populos, non priuatas inter duces, bellandi cauſſas eſſe.* Inde res geſtas eius laudare. [8] Quorum ſermone laetus, ſaepius cupidiuſque cum legatis colloquebatur, ignarus, quod familiaritate Romana odium ſibi apud regem crearet. [9] Quippe Antiochus tam aſſiduo colloquio, reconciliatam eius cum Romanis gratiam exiſtimans, nihil ad eum, ſicuti ſolebat, referre; experremque totius conſilii, veluti hoſtem proditoremque ſuum, odiſſe coepit. Quae res tantum apparatum belli, ceſſante imperatoria arte, corrupit. [10] Senatus mandata fuerant, *Vt contentus terminis Aſiae eſſet, ne ipſis ingrediendi Aſiam neceſſitatem imponeret.* Quibus ſpretis, non accipiendum bellum ſtatuit, ſed inferendum.

V

[1] Dicitur, quum frequenter de bello conſilium habuiſſet, remoto Annibale, tandem eum vocari iuſſiſſe, non vt ex ſententia eius aliquid ageret, ſed ne per omnia eum ſpreuiſſe videretur, omnibusque perrogatis poſtremum interrogaſſe. [2] Quo ille animaduerſo, *intelligere ſe* profeſſus eſt, *non quia egeat conſilio, ſed ad ſupplendum numerum ſententiarum, ſe vocatum; tamen et odio Romanorum, et amore regis, apud quem ſolum tutum ſibi exilium reliquum ſit, ſe viam gerendi belli edifſertu-rum.* [3] Veniam deinde libertati praefatus, *nihil ſe aut conſiliorum, aut coeptorum praeſentium probare* ait: *neque ſedem belli Graeciam ſibi placere, cum*

Italia

Italia vberior materia sit: [4] *quippe Romanos vinci non nisi armis suis posse; nec Italiam aliter, quam Italicis viribus subigi: siquidem diuersum caeteris mortalibus esse illud et hominum et belli genus.* [5] *Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros diripuisse, vrbes aliquas expugnasse; cum Romano, seu occupaveris prior aliqua, seu viceris, tum etiam cum victo et iacente luctandum esse.* [6] *Quamobrem si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viribus, suis armis posse vincere, sicut ipse fecerit.* [7] *Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis deriuare, sed concretis iam aquarum molibus auertere, vel exsiccare velit.* [8] *Haec et secreto se censuisse, vtroque ministerium consilii sui obtulisse; et nunc praesentibus amicis ideo repetisse, vt scirent omnes rationem cum Romanis gerendi belli; eosque foris inuictos, domi fragiles esse.* [9] *Nam prius illos vrbe, quam imperio; prius Italia, quam prouinciis, exui posse: quippe et a Gallis captos, et a se prope deletos esse: neque se vnquam victum prius, quam terris eorum cesserit. Reuerso Carthaginem, statim cum loco fortunam belli mutatam.*

VI

[1] Huic sententiae obtrectatores amici regis erant: non vtilitatem rei cogitantes; sed verentes, ne, probato consilio eius, primum apud regem locum gratiae occuparet. [2] Et Antiocho non tam consilium, quam auctor, displicebat, ne gloria victoriae, Annibalis, non sua, esset. [3] Omnia igitur variis assentantium adulationibus corrumpebantur: nihil consilio vel ratione agebatur. Rex ipse

3 *variis assentationum adulationibus corrumpebantur*] Iuntae: *assentatorum*. Sed prius ab aliorum codicum lectione abest, quod in Pelerini codice fuit: *assentantium*. Hoc et Bongarsio arrisit, et Anglis probarunt. *Graevius*.

per hiemem in luxuriam lapsus, nouis quotidie nuptiis deditus erat. [4] Contra Acilius Romanus consul, qui ad hoc bellum missus erat, copias, arma, caeteraque bello necessaria, summa industria parabat: ciuitates socias confirmabat; dubias illiciebat: nec alius exitus belli, quam apparatus vtriusque partis, fuit. [5] Itaque prima belli congressione, cum cedentes suos rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit, sed fugientibus se ducem praebuit, castraque ditia victoribus reliquit. [6] Deinde cum in Asiam, praeda Romanis occupatis, fugiendo peruenisset, poenitere neglecti consilii coepit; reuocatoque in amicitiam Annibale, omnia ex sententia eius agere. [7] Interim nuntiatur, Aemilium, Romanum ducem, cum octoginta rostratis nauibus in bellum nauale a senatu missum, aduentare: quae res illi spem restituendae fortunae dedit. [8] Itaque prius, quam sociae ciuitates ad hostes deficerent, decernere nauali praelio statuit, sperans, cladem, in Graecia acceptam, noua posse victoria aboleri. [9] Tradita igitur Annibali classe, praelium committitur: sed nec Asiani milites Romanis, neque naues eorum pares rostratis nauibus fuere; minor tamen clades ducis sollertia fuit. [10] Romam nondum opinio victoriae venerat, et idcirco in consulibus creandis suspensa ciuitas erat.

VII

Sed aduersus Annibalem ducem quis melior quam Africani frater crearetur, cum vincere Poenos opus Scipionum esset? [2] Creatur igitur consul Lucius Scipio: eique datur legatus frater Africanus, vt intelligeret Antiochus, non maiorem fiduciam

4 *summa industria parabat*] Iuntae: *summa ope et industria*. Graeuius.

1 *sed aduersus Annib. ducem* etc.] Legendum puto, *sed adu. Annibalem dux quis melior q. Af. frater crearetur*. Gronouius.

fiduciam se in Annibale victo, quam Romanos in victore Scipione, habere. [3] Traiicientibus in Asiam Scipionibus exercitum, iam vtrobique profligatum bellum nuntiatum est, victumque Antiochum terrestri, Annibalem nauali bello inuenerunt. [4] Primo igitur aduentu eorum, legatos pacem petentes, ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium, quem rex paruo nauigio traiicientem ceperat. [5] Sed Africanus, *Priuata beneficia a rebus publicis secreta esse*, dixit: *aliaque esse patris officia, alia patriae iura, quae non liberis tantum, verum etiam vitae ipsi, praeponantur.* [6] *Proinde gratum se munus accipere, priuatoque impendio munificentiae regis responsurum. Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratiae dari, neque de iure patriae decidi posse*, respondit. [7] Nam neque de redimendo filio vnquam tractauit, nec senatum de eo agere permisit; sed, vt dignum maiestate eius erat, *armis se recepturum filium* dixerat. [8] Post haec leges pacis dicuntur: *Vt Asia Romanis cederet: contentus Syriae regno esset: naues vniuersas, captiuos et transfugas traderet; sumtumque omnem belli Romanis restitueret.* [9] Quae cum nuntiata Antiocho essent, *Nondum ita victum se esse* respondit, *vt spoliari se regno pateretur, bellique ea irritamenta, non pacis blandimenta, esse.*

VIII

[1] Igitur cum ab vtrisque bellum pararetur, ingressique Asiam Romani Ilion veniissent: mutua gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit, Ilienſibus *Aeneam, caeterosque cum eo duces a se profectos*, Romanis, *se ab his procreatos*, referentibus. [2] Tantaque laetitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes et liberos solet. [3] Iuuabat Ilienses, nepotes suos, Occidente et Africa domita, Asiam, vt auitum regnum, vindicare, *Optabilem Troiae ruinam fuisse* dicentes; *vt tam feliciter*

renaſceretur. [4] Contra Romanos, auitos lares, et incunabula maiorum, templaque ac deorum ſimulacra, inexplebile deſiderium videndi tenebat. [5] Profectis ab Ilio Romanis, Eumenes rex cum auxiliis occurrit: nec multo poſt praelium cum Antiocho commiſſum. [6] Cum in dexteriore cornu pulſa legio Romana, maiore dedecore, quam periculo ad caſtra fugeret, M. Aemilius, tribunus militum, ad tutelam caſtrorum relictus, *armare ſe milites ſuos, et extra vallum progredi* iubet, ſtrictiſque gladiis fugientibus minari, *Morituros* dicens, *niſi in praelium reuertantur; infeſtioraque ſua, quam hoſtium, caſtra inuenturos.* [7] Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus, qui fugere eos prohibuerant, in praelium reuertitur, magnaque caede edita, initium victoriae fuit. [8] Caeſa hoſtium quinquaginta millia, capta vndecim. Antiocho pacem petenti, nihil ad ſuperiores conditiones additum, Africano praedicante, neque Romanis, ſi vincantur, animos minui: neque ſi vincant, ſecundis rebus inſoleſcere. [9] Captas ciuitates inter ſocios diuiſere Romani, aptiorem gloriam, quam poſſeſſiones voluptarias, iudicantes. Quippe victoriae gloriam Romano nomini vindicandam: opum luxuriam ſociis relinquendam.

6 *armare ſe milites ſuos*] Iuntae: *armari.* Graeuius.

9 *captas ciuitates inter ſocios diuiſere Romani, aptiorem gloriam quam poſſeſſiones voluptarias iudicantes.*] Eſt locus ὑπαλλαξ. MS. et Iuntina, veteteſque aliae editiones: *Captas ciuitates inter ſocios diuiſere, muneris Romani aptiorem gloriam, quam poſſeſſiones voluptarias iudicantes.* Cenſeo ſcribendum: *Captas ciuitates inter ſocios diuiſere, Romanis aptiorem gloriam, quam poſſeſſiones voluptarias iudicantes.* Senſus enim poſtulat, vt exprimatur, quibus aptior fuerit gloria, quam poſſeſſiones voluptariae; et confirmatur ſequentibus: *Quippe victoriae gloriam Romano nomini vindicandam, opum luxuriam ſociis relinquendam.* In antiquo libro ſcriptum fuit *Romani*, quod cum ab alio correctum eſſet ſuperſcripto *Romanis*, natum inde eſt apud alios deſcriptores, non exputantes quid *Romani* et *Romanis* ſibi velit, *muneris*. Graeuius.

LIBER

LIBER XXXII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Aetoli libertate spoliantur. Bellum inter Messenios et Achaeos: Philopoemenes captus et veneno interemtus. Vnde Messeniorum clades.*

II *Antiochus Syrus dum sacrilegio sibi prouidere putat, interficitur. Senatus Romanus Philippo parcit, ob Demetrii filii virtutem. Cui Perseus frater inuidet, et Demetrium impiis artibus de medio tollit.*

III *Philippi obitus: et belli apparatus aduersus Romanos, Gallis ad huius belli societatem pertractis, de quorum migrationibus subiicitur narratio.*

IIII *Bellum inter Prusiam et Eumenem, in quo Annibalis opera Prusias superior euadit. Pace inter reges sancita, Romani Hannibalem persequuntur. Is hausto veneno legationem morte praeuenit. Adiunctum eiusdem Hannibalis elogium.*

I

[1] Aetoli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo eodem, soli aduersus Romanos, et viribus impares, et omni auxilio destituti, remanserunt. [2] Nec multo post victi, libertatem, quam illibatam aduersus dominationem Atheniensium et Spartanorum, inter tot Graeciae ciuitates, soli retinuerant, amiserunt. [3] Quae conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Persarum opibus, domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violentiam, Asiae Italiaeque terribilem, Delphico bello fregerant. Quae gloriosa recordatio magis desiderium libertatis augebat. [4] Dum haec aguntur, medio tempore inter Messenios et Achaeos de principatu primo dissensio, mox bellum ortum est.

[5] In

3 *maius desiderium libertatis augebat*] Lege, *quae gloriosa recordatio maiorum desiderium libertatis augebat.* Gronouius. Omnino cum Iuntina legendum: *magis desiderium libertatis augebat. In maius augeri* nemo veterum dixit, vt *in maius extolli.* Graeuius.

5 In eo nobilis Achaeorum imperator Philopoemen capitur: non quia pugnando vitae pepercerit, sed dum suos in praelium reuocat, in transitu fossae equo praecipitatus, a multitudine hostium oppressus est. 6 Quem iacentem Messenii seu metu virtutis, seu verecundia dignitatis, interficere ausi non fuerunt. 7 Itaque velut in illo omne bellum confeciſſent, captiuum per vniuersam ciuitatem, in modum triumphi, circumduxerunt, effuso obuiam populo, ac si suus, non hostium, imperator aduentaret. 8 Nec victorem Achaei auidius vidiſſent, quam victum hostes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci iusserunt, vt omnes conuerentur, quem potuiſſe capi incredibile singulis videbatur. 9 Inde in carcerem ducto, verecundia magnitudinis eius, venenum dederunt: quod ille laetus, ac si viciſſet, accepit; quaesito prius, *An Lycortas praefectus Achaeorum*, quem secundum a se esse scientia rei militaris sciebat, *incolumis effugiſſet?* Quem vt accepit euasiſſe, *non in totum* dicens *consultum male Achaeis*, exspirauit. 10 Nec multo post, reparato bello, Messenii vincuntur, poenasque interfecti Philopoemenis pependerunt.

II

1 Interea in Syria rex Antiochus, cum graui tributo pacis, a Romanis victus, oneratus esset, seu

5 *in ea* etc.] Sic planiſſime Iuntina, vt Faber coniecerat: *In eo nobilis Achaeorum imperator Philopoemen capitur.* Graeuius.

Philopoemenes] Optime MSS. *Philopoemen*, quibus adsentiuntur Iuntae. Sic enim dicitur, non *Philopoemenes*, Graecis. *Graeuius.*

6 *seu metu virtutis, vel verecundia dignitatis*] Iuntae: *Seu metu virtutis, seu verecundia dignitatis.* Mox iidem: *Itaque laeti, velut in illo omne bellum confeciſſent. Laeti* vulgo desideratur. *Graeuius.*

9 *in carcerem ducto*] Iuntae: *educto.* leg. *deducto.* Graeuius.

Ligortas] Et hic Iuntae rectius: *Lycortas.* Λυκόρτας Graecis. *Graeuius.*

1 *cum graui - oneratusque*] Non aliter Iuntina, quam vt

seu inopia pecuniae compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub specie tributariae necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Elymaei Iouis aggreditur. [2] Qua re prodita, concursu insularium, cum omni militia interficitur. [3] Romae, cum multae

vt legendum videre sagacissime Schefferus et Faber, [*cum gravi tributo pacis, a Romanis victus, oneratus esset*] quorum coniectura vel sine libris amplexi sunt editores Angli, qui addunt consulendum esse Diod. Sic. in Excerptis Vales. p. 292. *Graeuius.*

seu inopia pecuniae compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se sub specie tributariae necessitatis excusatius sacrilegium commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Didymaei Iouis aggreditur] Vides sensum requirere, vt legatur, *quia sperabat.* Dein scribendum cum Iuntis *Elymaei* Iouis templum. Vt et legendum statuit Isaacus Vossius. Confirmat et Sulpitius Seuerus, praeter Polybium et Diodorum Siculum in excerptis Porphyrogenetae lib. II *Interea Antiochus, quem in Persidem profectum supra memorauimus, oppidum Elymam, regionis illius opulentissimum, fanumque ibi situm multo auro refertum diripere conatus, confluente vndique ad defensionem loci multitudine, fugatus.* Non confuderunt veteres Antiochos, vt Berneccerus ex Strabone, Hieronymo, Iosepho, et 1 Maccab. VI, ad Iustini hunc locum, et Druſius ad Sulpitium notarunt, sed docuerunt potius, et patrem Antiochum, magnum nimirum, et filium, Antiochum Epiphanem fuisse sacrilegos. Patrem Iouis siue Beli Elymaei, filium Dianae Elymaeae templum compilasse, vt recte vidit Rupertus obseruat. ad Histor. vniuersal. cap. X. *Graeuius.*

Didymaei] Scribendum omnino, *templum Elymaei Iouis.* Strabo XVI p. 744 Ἐλυμαῖοι δὲ καὶ μείζω τῶν κατηνηνται χώραν etc. Ἀντίοχον μὲν ὃν τὸν Μέγαν τὸ τῆ Βήλ συλᾶν ἱερὸν ἐπιχειρήσαντα, ἀνελεῖν ἐπιθέμενοι καθ' ἁυτὸς οἱ πλησίον Βάρβαροι. Neque mirum est, *Belum* vocari Straboni, qui Iustino Iupiter. Diod. Sic. II p. 97 Τὸν Δία καλεῖσθαι οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον. *Gronovius.*

2 *concursu incolarum cum omni militia interficitur*] Insignis est et certissima emendatio Isaaci Vossii: *concursu insularium.* Sicut hic insulares sunt aeditui, custodes, et incolae templorum, sic Pomponio dicuntur *insularii*, leg. XVI De vsu et habitat.: *Dominus proprietatis etiam inuito vsufructuario, vel vsuario fundum, vel aedes, per saltuarium, vel insularium custodire potest. Interest enim eius fines praedii tueri.* Confirmatur haec lectio in codice manu exarato, quem

tae Graeciae ciuitates, queſtum de iniuriis Philippi, regis Macedonum, veniſſent, et diſceptatio in ſenatu inter Demetrium, Philippi filium, quem pater ad ſatisfaciendum ſenatui miſerat, et legatos ciuitatium eſſet; turba querelarum confuſus adoleſcens, repente obticuit. [4] Tunc ſenatus, verecundia eius motus, quae probata etiam antea, cum obſes Romae eſſet, omnibus fuerat, cauſſam illi donauit: atque ita modeſtia ſua Demetrius veniam patri, non iure defenſionis, ſed patrocinio pudoris, obtinuit: [5] quod ipſum decreto ſenatus ſignificatum eſt, vt appareret, non tam abſolutum regem, quam donatum filio patrem. [6] Quae res Demetrio non gratiam legationis, ſed odium obtrectationis, comparauit. [7] Nam et apud fratrem Perſeum aemulatio illi inuidiam contraxit; et apud patrem nota abſolutionis cauſſa offenſae fuit, indignante Philippo, plus momenti apud ſenatum perſonam filii, quam

quem Bongarſius in variis teſtatur habuiſſe: *inſularium*. Sunt autem in Aſia talia templa, ad quae habitant plurimi homines, qui ſacerdoti parent. Talis fuit Cumanus ſacerdos, in cuius poteſtate et ditione erant ad ſex millia hominum. Interdum arma corripiebant, et qui iis iniuriam inferebant, vlciſcebantur et propulſabant. Vide Cic. XV ad Fam. Ep. 4. *Graeuius*.

3 *queſtum de iniuriis Philippi*] luntae: *Queſtum iniurias Philippi*. Paullo poſt iidem: *Nam et apud fratrem Perſem*. Graeuius.

7 *apud patrem nota abſolutionis cauſſa offenſae fuit*] Non nego hanc lectionem poſſe ferri. nec, ſi retinant veteres libri, quicquam hic tentem. *Nota* enim *abſolutionis* eſt infamis abſolutio. vt lib. XXXVIIII *infamia mortis* eſt ignominioſa mors. et XXXXI *varia periculorum certamina*, ſunt varia periculoſa certamina. Blanditur tamen vehementer luntinae editionis lectio, tanquam longe elegantior et huic loco aptior: *Apud patrem abſolutionis cauſſa offenſae fuit*. Cauſſa enim abſolutionis fuit modeſtia filii, et ex ea ſenatus in illum ſtudia et amor, qui offendit patrem, vti et ſequentia arguunt. *Indignante Philippo plus momenti apud ſenatum perſonam filii, quam auctoritatem patris, ac dignitatem regiae maieſtatis habuiſſe. Offenſae eſſe*, vt *laudi eſſe, opprobrio eſſe, bono eſſe*, et mille talia. Praeſtare auſim et in me recipere, Trogum ita ſcripſiſſe. *Graeuius*.

quam auctoritatem patris, ac dignitatem regiae maiestatis, habuisse. 8 Igitur Perseus, perspecta patris aegritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari; et primo inuisum, post etiam suspectum reddere: nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei patris obiectare. 9 Ad postremum, insidias sibi ab eo paratas confingit, ad cuius rei probationem immittit indices, testes subornat, et facinus, quod obiicit, admittit. 10 Quibus rebus compulso ad parricidium patre, funestam omnem regiam facit.

III

Occiso Demetrio, sublatoque aemulo, non negligentior tantum Perseus in patrem, verum etiam contumacior erat: nec heredem regni, sed regem, se gerebat. 2 His rebus offensus Philippus, impatientius in dies mortem Demetrii dolebat, tunc et insidiis se circumuentum suspicari, testes indiceque torquere. 3 Atque ita cognita fraude, non minus scelere Persei, quam innoxii Demetrii morte, cruciabatur: peregisseque vltionem, nisi morte praeuentus fuisset. 4 Nam breui post tempore, morbo ex aegritudine animi contracto, decessit, relicto magno belli apparatu aduersus Romanos, quo postea Perseus vsus est. 5 Nam et Gallos Scordiscos ad belli societatem pertulerat: feciseque Romanis graue bellum, nisi decessisset. 6 Namque Galli, bello aduersus Delphos infeliciter gesto, in quo maiorem vim numinis, quam hostium, senserant, amisso Brenno duce, pars in Asiam, pars in Thraciam

8 *igitur Perseus*] Iuntae: *Porses*. Paullo ante: *apud fratrem Persem*. cap. seq. *Non minus scelere Persae, quam innoxii Demetrii morte cruciabatur*. Dicebant *Perseus*, *Perses*, et *Persa*. Graeuius.

2 *tunc et insidiis circumuentum suspicari*] Iuntae: *insidiis se circumuentum*. Graeuius.

3 *innoxia Demetrii morte*] Iuntae: *innoxii Demetrii morte*. Graeuius.

ciam extorres fugerant. [7] Inde per eadem vestigia, qua venerant, antiquam patriam repetiuere. [8] Ex his manus quaedam in confluente Danubii et Saui consedit, Scordiscosque se appellari voluit. [9] Tectosagi autem, cum in antiquam patriam Tolosam venissent, comprehensique pestifera lue essent, non prius sanitatem reciperauere, quam aruspicum responsis moniti, aurum argentumque bellis sacrilegiisque quaesitum, in Tolosensem lacum mergerent. [10] Quod omne magno post tempore Caepio Romanus consul abstulit. Fuere autem argenti pondo centum decem millia: auri pondo quinquies decies centum millia. [11] Quod sacrilegium caussa excidii Cepioni exercituique eius postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut vltor sacrae pecuniae, insecutus est. [12] Ex gente Tectosagorum non mediocris populus, praedae dulcedine, Illyricum repetiuit, spoliatisque Istris, in Pannonia consedit. [13] Istrorum gentem fama est originem a Colchis ducere, missis ab Aeeta rege ad Argonautas, raptoresque filiae, persequendos: [14] qui vt a Ponto intrauerunt Istrum, alueo Saui fluminis penitus inuecti, vestigia Argonautarum insequentes, naues suas humeris per iuga montium vsque ad littus Adriatici maris transtulerunt; cognito quod Argonautae idem propter magnitudinem nauis priores fecissent: [15] quos vt auectos Colchi non reperiunt, siue metu regis, siue taedio longae nauigationis, iuxta Aquileiam consedere: Istrique ex vocabulo

8 *in confluente Danubii et Sabi*] Bene Iuntae: *Saui*. Est hic librariorum posterioris aetatis error, qui vbique est expungendus. Stulte enim quis apud Catullum scripserit hodie, quod in multis antiquis libris legitur: *bibamus mea Lesbia*, pro *viuamus*. Graevius.

11 *velut vltor sacrae pecuniae*] Forte leg. *velut vltio sacrae pecuniae*. Gronouius.

16 *cum Orole rege*] Iuntae: *Orode*. In epitome minori dicitur *Rubozostes*. Hinc Isaacus Vossius legendum censuit, *cum Boerebista rege*. Graevius.

vocabulo amnis, quo a mari conceſſerant, appellati. [16] Daci quoque ſoboles Getarum ſunt: qui cum, Orole rege, aduerſus Baſtarnas male pugnaſſent, ad vltionem ſegnitiae, capturi ſomnum capita loco pedum ponere iuſſu regis cogebantur; miniſteriaque vxoribus, quae ipſis antea fieri ſolebant, facere. Neque haec ante mutata ſunt, quam ignominiam bello acceptam virtute delerent.

IIII

[1] Igitur Perſeus, cum imperio Philippi patris ſucceſſiſſet, omnes has gentes aduerſus Romanos in ſocietatem belli ſollicitabat. [2] Interim inter Pruſiam regem, ad quem Annibal poſt pacem Antiocho a Romanis datam, profugerat, et Eumenem bellum ortum eſt, quod Pruſias, Annibalis fiducia rupto foedere, prior intulit. [3] Namque Annibal, cum ab Antiocho Romani, inter caeteras conditiones pacis, deditionem eius depoſcerent, admonitus a rege, in fugam verſus, Cretam defertur. [4] Ibi cum diu quietam vitam egiſſet, inuidioſumque ſe propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianae, quaſi fortunae ſuae praeſidia, deponit: [5] atque ideo nihil de illo ſollicita ciuitate, quoniam velut pignus opes eius tenebat, ad Pruſiam contendit, auro ſuo in ſtatuis, quas ſecum portabat, infuſo, ne conſpectae opes vitae nocerent. [6] Dein cum Pruſias terreſtri bello ab Eumene victus eſſet, et praelium in mare tranſtuliſſet, Annibal nouo commento auctor victoriae fuit. Quippe omne ſerpentium genus in fictiles lagenas conici iuſſit, medioque praelio in naues hoſtium mitti. [7] Id primum Ponticis ridiculum viſum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi ſerpentibus repleri naues coepere, ancipiti periculo circum-

[6] *in naues hoſtium mittit*] Scheffleri coniecturam [legentis *misti*] firmat Iuntina, in qua *mitti* extat. *Gracuius.*

circumuenti, hosti victoriam cessere. [8] Quae vbi Romam nuntiata sunt; missi a senatu legati sunt, qui vtrumque regem in pacem cogerent, Annibalemque depoſcerent. Sed Annibal, re cognita, sumto veneno, legationem morte praeuenit. [9] Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit; Annibalis, et Philopoemenis, et Scipionis Africani. [10] Ex quibus constat, Annibalem, nec tum cum Romano tonantem bello Italia contremuit, nec cum reuersus Carthaginem summum imperium tenuit; aut cubantem coenasse, aut plus quam sextario vini indulsisse; [11] pudicitiamque eum tantam inter tot captiuas habuisse, vt in Africa natum quiuis negaret. [12] Moderationis certe eius fuit, vt, cum diuersarum gentium exercitus rexerit, neque insidiis suorum militum sit petitus vnquam, neque fraude proditus; cum vtrumque hostes saepe tentassent.

10 *nec tum cum Romano tonantem bello Italia contremuit*] Scribe cum Iuntis: *nec cum Italia Romano tonante bello contremuit*. Bellum enim tonat, non imperatores, qui fulmina quidem belli dicuntur. Superius lib. XXVIIII, 3 *Videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam*. Flor. II *Prima belli tempestas detonuit*. Graeuius.

LIBER XXXIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Macedonicum bellum. Perſei et conſulum Romanorum animus.*

II *Pugna, in qua Macedones fuſi fugatique ſunt. Perſeus et filii capti in fuga. Macedonia in prouinciam redacta: et Aetoli oppreſſi.*

I

[1] Minore quidem rerum motu Romani Macedonicum, quam Punicum, bellum geſſerunt; ſed tanto clarius, quanto nobilitate Macedones Poenos anteceſſerunt. Quippe cum gloria Orientis domiti, tum et auxiliis omnium regum iuuabantur. [2] Itaque Romani et legiones plures numero conſcripſerunt; et auxilia a Maſiniſſa, rege Numidarum, caeteriſque ſociis omnibus, acciuerunt, et Eumeni, regi Bithyniae, denuntiatum, vt bellum ſummis viribus iuuaret. [3] Perſeo, praeter Macedonicum

2 *legiones plures numero*] Non plures numero legiones, ſed quatuor tantum conſcripſerant Romani, numerum autem militum in ſingulis legionibus auxerant. Nam cum 5200 pedites ex veteri inſtituto legere ſolerent, in has legiones ſena millia peditum conſcripſere, vt ex Liuio XXXXII, 31 tradidit Perizonius, qui oſcitantiae hic accuſat Iuſtinum Hiſtor. Animadverſ. cap. II. Mallem hoc in loco negligentiam hanc in librarios deriuare, qui corrupere locutionem, quam non intellexerunt. Puto enim Iuſtinum reliquiſſe: *legionis plures numeros conſcripſerunt*. Saepe enim *numeri* ſunt cohortes. Tac. I Hiſt. 6 *Multi ad hoc numeri e Germania, ac Britannia et Illyrico* etc.: vbi vide Lipſium. Nam et ibi hanc vocem corruperant ſcioli. *Graeuius.*

Eumeni, regi Bithyniae] Scribe, *Eumeni regi Pergami*. Gronouius. Praeſtantiſſimus Perizonius Animadu. Hiſt. cap. II docet, Iuſtinum hic erraſſe, non librarios, ſi ſuperius XXVII, 3. dum hunc Eumenem Bithyniae regem appellat, qui fuerit Pergami rex, Attali filius, ſocius atque amicus Romanorum praecipuus. Vide Liu. XXXVII, 39, 41, 43. *Graeuius.*

cum inuictae opinionis exercitum, decennis belli sumtus, a patre paratus, in thesauris et horreis erat. Quibus rebus inflatus, oblitus fortunae paternae, veterem Alexandri gloriam considerare suos iubebat. [4] Prima equitum congressio fuit, qua victor Perseus suspensam omnium exspectationem in fauorem sui traxit: [5] misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani, etiam victo, dedissent, impensas belli lege victi suscepturus. Sed consul Sulpitius non minus graues quam victo leges dixit. [6] Dum haec aguntur, metu tam periculosi belli, Romani Aemilium Paullum consulem creant, eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt: qui cum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnae fecit. [7] Pridie quam praelium conseretur, luna nocte defecit: triste id ostentum Perseo omnibus praesagientibus, finemque Macedonici regni portendi vaticinantibus.

II

[1] In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus, pedestre praelium aggreditur. [2] Nam cadentem manipulus hostium, cum horrido clamore, veluti iacentem obtruncaturus, circumsteterat: at ille citius corpore collecto, magnas strages

3 *denuntiatum*] Firmat hanc Bongarsii [leg. *denuntiarunt*] correctionem luntina editio.

5 *consul Sulpicius*] Erraſſe hic Iuſtinum, cum non Sulpicius, ſed P. Licinius Craſſus, miſſus fuerit ad hoc bellum contra Perſen, olim notauit Glareanus, et pluribus adſtruit Perizonius Animaduerſ. Hiſt. cap. II, teſtatus duo bella Macedonica, Philippicum et Perſicum, confudiſſe Iuſtinum, conſulemque P. Sulpicium Galbam, qui prius inchoauit, fallente memoria in poſterius contuliſſe; praeſertim cum apud ipſum Trogum, ab iſto conſule et imperatore ſuperius Macedonicum bellum coeptum lib. XXXV, vt ex prologo conſtat; legiſſet. vide ibi plura. *Graeuius.*

2 *corpore collecto*] *Corpus colligere* eodem modo dicitur, vt paullo poſt *gladium recolligere.*

ſtrages edidit. [3] Quum ad vnum opprimendum vndique hoſtes conuolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei e manu elapſus, in mediam cohortem hoſtium decidit: [4] ad quem reciperandum vmbone ſe protegens, inſpectante vtroque exercitu, inter mucrones ſe hoſtium immerſit; recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis, ad ſuos cum clamore hoſtium reuertitur. Huius audaciam caeteri imitati, victoriam peperere. [5] Perſeus rex fuga cum decem millibus talentum Samothraciam defertur: quem Cnaeus Octauius, ad perſequendum miſſus a conſule, cum duobus filiis, Alexandro et Philippo, cepit; captumque ad conſulem duxit. [6] Macedonia a Carano, qui primus in ea regnauit, vſque Perſen triginta reges habuit. Quorum ſub regno fuit quidem annis noningentis et viginti tribus, ſed rerum non niſi centum nonaginta duobus annis potita. [7] Ita cum in ditionem Romanorum ceſſiſſet, magiſtratibus per ſingulas ciuitates conſtitutis, libera facta eſt; legeſque, quibus adhuc vtitur, a Paullo accepit. [8] Aetolorum vniuerſarum vrbium ſenatus, cum coniugibus et liberis, qui dubia fide fuerant, Romam miſſus, ibique, ne in patria aliquid nouaret, diu detentus, aegreque, per multos annos legationibus ciuitatium ſenatu fatigato, in patriam quiſque ſuam remiſſus eſt.

gere. Sic et *colligere vires* Ciceroni *Graeuius.*

3 *gladius e manu elapſus*] Iuntae; *gladius manu elapſus.* Mox eadem editio: *Multis vulneribus exceptis ad ſuos cum clamore omnium reuertitur.* Probo: *ad ſuos.* Graeuius.

LIBER XXXIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Romani in Achaeos cauſſas belli quaerunt, et inueniunt. Cruenta Achaeorum ſeditio.*

II *Bellum, quo Achaei oppreſſi ſunt: et Corinthus euerſa. Ptolemaeus Aegypto pulſus, petit a Romanis auxilium.*

III *Populi ad Antiochum in gratiam Ptolemaei uere libera legatio. Antiocho mortuo Demetrius frater Roma profugus regno potitur.*

IIII *Pruſias, rex Bithyniae, regno et uita a filio ſpoliatur.*

I

[1] Poenis ac Macedonibus ſubactis, Aetolorumque viribus principum captiuitate debilitatis, ſoli adhuc ex Graecia vniuerſa Achaei nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur; non propter ſingularum ciuitatium nimias opes: ſed propter conſpirationem vniuerſarum. [2] Namque Achaei, licet per ciuitates, veluti per membra, diuiſi ſint, vnum tamen corpus et vnum imperium habent; ſingularumque vrbium pericula mutuis viribus propulſant. [3] Quaerentibus igitur Romanis cauſſas belli, tempeſtiue fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur. [4] Spartanis a ſenatu reſponſum eſt, *legatos ſe ad inſpiciendas res ſociorum, et ad iniuriam demendam, in Graeciam miſſuros:* [5] ſed legatis occulta mandata data ſunt, vt corpus Achaeorum diſſoluerent, ſingulaſque vrbes proprii iuris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur: et, ſi quae vrbes contumaces eſſent, frangerentur. [6] Igitur legati omnium ciuitatium principibus Corinthum euocatis, decretum ſenatus recitant; quid conſilii habeant, aperiunt. [7] *Expedire omnibus* dicunt, *vt ſingulae ciuitates ſua iura et ſuas leges habeant.* [8] Quod vbi omnibus innotuit: velut in furorem

verſi

versi, vniuersum peregrinum populum trucidant: [9] legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi, audito tumultu, trepidi fugissent.

II

[1] Haec vbi Romae nuntiata sunt, statim senatus Mummio consuli bellum Achaicum decernit: qui extemplo exercitu deportato, et omnibus strenue prouisis, pugnandi copiam hostibus fecit. [2] Sed Achaei, velut nihil negotii Romano bello susceptum sit, ita apud eos neglecta omnia et soluta fuere. [3] Itaque praedam, non praelium, cogitantes, et vehicula, ad spolia hostium reportanda, duxerunt: et coniuges liberosque suos, ad spectaculum certaminis, in montibus posuerunt. [4] Sed praelio commisso, ante oculos suorum caesi, lugubre his spectaculum, et grauem luctus memoriam reliquerunt. [5] Coniuges quoque liberique eorum, de spectatoribus captiui facti, praeda hostium fuere. [6] Vrbs ipsa Corinthus diruitur: populus omnis sub corona venditur: vt hoc exemplo caeteris ciuitatibus metus nouarum rerum imponeretur. [7] Dum haec aguntur, rex Syriae, Antiochus, Ptolemaeo, maioris sororis suae filio, regi Aegypti, bellum infert, segni admodum, et quotidiana luxuria ita marcenti, vt non solum regiae maiestatis officia intermitteret, verum etiam sensu hominis nimia sagina careret. [8] Pulsus igitur regno, ad fratrem minorem, Ptolemaeum, Alexandriam confugit: participatoque cum eo regno, legatos Romam ad senatum mittunt, auxilia petunt, fidem societatis implorant. Mouere senatum preces fratrum.

III

[1] Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum, qui *abstinere illum Aegypto, aut, si iam incessisset, excedere* iuberet. [2] Cum in Aegypto eum inueniisset, osculumque ei rex obtulisset; nam co-

luerat inter caeteros Popilium Antiochus, cum Romae obſes eſſet; tunc Popilius *faceſſere interim priuatam amicitiam* iubet, *cum mandata patriae intercedant*: [3] prolatoque ſenatus decreto, et tradito, cum cunctari eum videret, conſultationemque ad amicos referre; ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo incluſum, vt et amicos caperet, *conſulere* iubet; *nec prius inde exire, quam reſponſum ſenatui daret, aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum.* [4] Adeoque haec aſperitas animum regis fregit, vt *pariturum ſe ſenatui* reſponderet. [5] Reuerſus in regnum Antiochus, decedit relicto paruulo admodum filio: [6] cui cum tutores dati a populo eſſent, patruus eius Demetrius, qui obſes Romae erat, cognita morte Antiochi fratris, ſenatum adiit, *Obſidemque ſe viuo fratre veniſſe, quo mortuo, cuius obſes ſit, ſe ignorare.* [7] *Dimitti igitur ſe ad regnum petendum, aequum eſſe, quod, ſicuti iure gentium maiori fratri ceſſerit, ita nunc ſibi, qui pupillum aetate antecedat, deberi.* [8] Cum ſe non dimitti animaduerteret a ſenatu, tacito iudicio, tutius apud pupillum, quam apud eum, regnum futurum, arbitrante, ſpecie venandi ab vrbe profectus, Hoſtiae tacitus, cum fugae comitibus, nauem conſcendit. [9] Delatus in Syriam, ſecundo fauore omnium excipitur: regnumque ei, occiſo pupillo, a tutoribus traditur.

IIII

3 *amplo circulo incluſum, vt et amicos caperet, conſulere iubet*] Iuntae: *amplo circulo incluſum amicos capere, et conſulere iubet.* Quod mihi arridet. Sic *capere arbitros, generum*, apud Terentium et alios. *Graeuius.*

4 *haec auſteritas animum regis fregit*] MS. Iuntina, vetereſque editiones aliae: *aſperitas.* Graeuius.

5 *admodum filio*] Angli quoque id [*nomine Eupatore*] repererunt in tribus MSS., ſed ex margine irrepſiſſe id contendunt. *Graeuius.*

9 *delatus in Syriam ſecundo fauore omnium excipitur, regnumque ei occiſo pupillo a tutoribus traditur*] Tutor fuit Lyſias. Is regnum non tradidit Demetrio, ſed a militibus interfectus eſt vterque, Lyſias et Antiochus, vt tradunt au-

Cor

IIII

[1] Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniae, consilium cepit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus filiis, quos ex noverca eius susceperat, et Romae habebat. [2] Sed res adolescenti ab his, qui sacinus susceperant, proditur; hortatique sunt, *Vt crudelitate patris provocatus, occupet insidias, et in auctorem retorqueat scelus.* Nec difficilis persuasio fuit. [3] Igitur, cum accitus in patris regnum veniisset, statim rex appellatur. [4] Prusias regno spoliatus a filio, priuatusque redditus etiam a seruis deseritur. [5] Cum in latebris ageret, non minori scelere, quam filium occidi iusserat, a filio interficitur.

Cor Maccab. I, 7. et Ioseph. Antiquitat. Iud. XIII, 16. Liu. epit. 46 *Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore eius Demetrius, Seleuci filius, qui Romam obses missus fuerat, clam* (scil. elapsus) *quia non dimittebatur a Romanis, interemit, et ipse in regnum receptus.* Itaque hic legendum statuo: *regnumque ei, occiso pupillo et tutoribus, traditur.* Graeuius.

LIBER XXXV

BREVIARIVM CAPITVM

I *Demetrius bella quaerens ab hostibus opprimitur et in acie cadit.*
II *Qui Demetrium euerterat, eiusdem filio dat poenas, praelio victus et interfectus.*

I

[1] Demetrius, occupato Syriae regno, nouitati suae otium periculosum ratus, ampliare fines regni, et opes augere finitimorum bellis statuit. [2] Itaque Ariarathi, regi Cappadociae, propter fastiditas sororis nuptias infestus, fratrem eius Orofernem, per iniuriam regno pulsum, supplicem recepit; datumque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum statuit. [3] Sed Orofernes ingrato animo, inita cum Antiochensibus pactione, offensis tunc Demetrio, pellere ipsum regno, a quo restituebatur, consilium cepit. [4] Quo cognito, Demetrius vitae quidem eius, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercit: ipsum autem comprehensum, vinctum Seleuciae custodiri iubet. [5] Nec Antiochenses indicio territi, a defectione destiterunt. [6] Itaque adiuuantibus et Ptolemaeo, rege Aegypti, et Attalo, rege Asiae, et Ariarathe Cappadociae, bello a Demetrio lacessiti, subornant Balam quendam, sortis extremae iuuenem, qui Syriae regnum, velut paternum, armis repeteret; [7] et ne quid contumeliae deesset, nomen ei Alexandri inditur, genitusque ab Antiocho rege

6 *subornant Propolam quendam*] Gronouius Obseruat. IIII, 10, et Rupertus Obseru. ad Hist. vniuers. cap. 10, legunt, *Balam quendam*. Constat enim ex Strabone, Iosepho, Eusebio, hunc regem dictum esse *Alexandrum Balam*. Apud Eusebium corrupte scribitur: Ἀλέξανδρος ὁ τῆ Βυλᾶ, pro Ἀλέξανδρος ὁ Βυλᾶς, vt Rupertus docuit. *Graeuius.*

rege dicitur. [8] Tantum odium Demetrii apud omnes erat, vt aemulo eius non vires regiae tantum, verum etiam generis nobilitas, consensu omnium tribueretur. [9] Igitur Alexander, admirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert, victumque vita pariter ac regno spoliat. [10] Quanquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam et primo praelio hostem fugauit, et, regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. [11] Ad postremum tamen, inuicto animo inter confertissimos fortissime dimicans, cecidit.

II

[1] Initio belli Demetrius duos filios apud Gnidium, hospitem suum, cum magno auri pondere commendauerat, vt belli periculis eximerentur, et, si ita fors tulisset, paternae vltioni seruarentur. [2] Ex his maior Demetrius, annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatae opes, et alienae felicitatis ornamenta, velut captum inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum, ac nihil hostile metuentem, aggreditur. [3] Antiochenses quoque,

X 4 veterem

1 *apud Gnidium*] Scribe, *apud Cnidium*. Gronouius.

commendauerat] Iuntae: *demandauerat*. perperam. Est enim *commendare* nonnunquam deponere, seruandum et custodiendum mandare. Hygin. fab. 3 *Caius beneficio ad seruandum Medeam est commendatus*. Medeae seruandus fuit commissus. vide apud Gronou. Obseru. III, 23 alia. Scheff. ac Rittershus. ad Phaedrum I fab. 16 in hanc rem. Mox Iuntae: *velut captiuum*, pro vulgato *velut captum*. Graevius.

veterem patris offensam nouis meritis correcturi, se ei tradunt: sed et milites paterni, fauore iuuenis accensi, prioris sacramenti religionem noui regis superbiae praeferentes, signa ad Demetrium transferunt: atque ita Alexander non minori impetu fortunae destructus, quam elatus, primo praelio victus interficitur: deditque poenas, et Demetrio, quem occiderat; et Antiocho, cuius mentitus originem fuerat.

LIBER XXXVI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Demetrius iunior bella importune mouet, et infeliciter persequitur. Turbae in Syria, vbi Trypho ab Antiocho, Demetrii fratre, opprimitur. Antiochus Iudaeos subigit.*

II *De Iudaeorum origine, incrementis, et gestis, Iustini falsa sententia.*

III *Iudaeorum opes. Mare mortuum. A quibus Iudaei domiti sint.*

IIII *Attali, Asiae regis, delicta, mors, testamentum. Asia Romanorum fit propria: diuitias autem et vitia sua Romam transmittit.*

I

[1] Receiperato paterno regno Demetrius, et ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiae in segnitiam labitur; tantumque contemtum apud omnes inertiae, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. [2] Itaque cum ab imperio eius passim ciuitates deficerent, ad abolendam segnitiae maculam, bellum Parthis inferre statuit: [3] cuius aduentum non inuiti Orientis populi videre; et propter Arsacidae, regis Parthorum, crudelitatem; et quod veteri Macedonum imperio assueti, noui populi superbiam indigne ferebant. [4] Itaque cum et Persarum, et Elymaeorum, Bactrianorumque auxiliis iuuaretur, multis praeliis Parthos fudit. [5] Ad postremum tamen, pacis simulatione deceptus, capitur; traductusque per ora ciuitatium, populis, qui desciuerant, in ludibrium fauoris ostenditur. [6] Missus deinde in Hyrcaniam, benigne et iuxta cultum pristinae fortunae habetur. [7] Dum haec aguntur, interim in Syria Trypho, qui se tutorem

X 5 Antio-

1 *odium - habuerat*] *Habere odium* quis ferat Latine doctus? Delendum *habuerat*, et subaudiendum *contraxerat*. Graeuius.

Antiocho, Demetrii priuigno, ſubſtitui a populo laborauerat, occiſo pupillo, regnum Syriae inuadit. [8] Quo diu potitus, tandem exoleſcente fauore recentis imperii, ab Antiocho puero admodum, Demetrii fratre, qui in Aſia educabatur, bello vincitur: rurſuſque regnum Syriae ad ſobolem Demetrii revertitur. [9] Igitur Antiochus, memor, quod et pater propter ſuperbiam inuiſus, et frater propter ſegnitiam contemtus fuiſſet, ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium Cleopatra, vxore fratris, ciuitates, quae vitio fraterni imperii defecerant, ſumma induſtria perſequitur, domitaſque rurſus regni terminis adiicit. [10] Iudaeos quoque, qui in Macedonico imperio ſub Demetrio patre armis ſe in libertatem vindicauerant, ſubigit. Quorum vires tantae fuere, vt poſt hunc nullum Macedonum regem tulerint, domeſticiſque imperiis vſi, Syriam magnis bellis infeſtauerint.

II

[1] Namque Iudaeis origo Damaſcena, Syriae nobiliſſima ciuitas: vnde et Aſſyriis regibus genus ex regina Semirami fuit. [2] Nomen vrbi a Damaſco rege inditum: in cuius honorem Syrii ſepulcrum Arathis, vxoris eius, pro templo coluere, deam-

9 *ciuitates, quae initio fraterni imperii defecerant*] Non dubitaui recipere lectionem elegantiſſimam et certiſſimam editionis Iuntinae: *ciuitates, quae vitio fraterni imperii defecerant.* Quia nimirum in luxuriam lapſus male regnum adminiſtrauit. *vitio*, id eſt, culpa imperii. Plaut. Aulul. IIII, 10 *Quia vini vitio et amoris feci.* Horat. 1 carm. 2 *Audiet pugnas vitio parentum rara iuuentus.* Graeuius.

1 *vnde et Aſſyriis regibus genus ex regina Semirami fuit*] MS. et Iuntae: *Vnde et Aſſyriis regibus genus et reginae Semiramidi fuit.* Conſtat ex lib. 1 cap. 2, Syros pro Aſſyriis accepiſſe veteres et cum iis confudiſſe, non Semiramidem ſolam, quamuis et hanc Syram fuiſſe, et apud Syros poſtea diuinis honoribus affectam quam plurimi tradant. *Graeuius.*

deamque exinde ſanctiſſimae religionis habent. [3] Poſt Damaſcum Azelus, mox Adores, et Abraham, et Iſrahel reges fuere. [4] Sed Iſrahelem felix decem filiorum prouentus maioribus ſuis clariorem fecit. [5] Itaque populum, in decem regna diviſum, filiis tradidit, omneſque ex nomine Iudae, qui poſt diuiſionem deceſſerat, Iudaeos appellauit: colique eius memoriam ab omnibus iuſſit, cuius portio omnibus acceſſerat. [6] Minimus aetate inter fratres Ioſeph fuit: cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum, peregrinis mercatoribus vendiderunt. [7] A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes ſollerti ingenio percepiſſet, breui ipſi regi percarus fuit. [8] Nam et prodigiorum ſagaciſſimus erat, et ſomniorum primus intelligentiam condidit; nihilque diuini iuris humanique ei incognitum videbatur: [9] adeo, vt etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit: periſſetque omnis Aegyptus fame, niſi monitu eius rex edicto ſeruari per multos annos fruges iuſſiſſet: [10] tantaque exprimenta eius fuerunt, vt non ab homine, ſed a deo, reſponſa dari viderentur. [11] Filius eius Moſes fuit, quem praeter paternae ſcientiae hereditatem, etiam formae pulcritudo commendabat. [12] Sed Aegyptii, cum ſcabiem et vitiliginem paterentur, reſponſo moniti, eum cum aegris, ne peſtis

12 *cum ſcabiem et vitiliginem paterentur*] Non reprehendo hanc incomparabilis Iuriſconſulti Iacobi Cuiacii emendationem, fide antiquorum librorum fultam. Non tamen fruſtra in antiquis editionibus legitur: *pruriginem*. in Iuntina vero et nonnullis aliis optime, ſi quid video, *porriginem*. Sic *ſcabiem* et *porriginem* iunxit Iuuenalis Sat. VI

- - - grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, et porrigine porci.

Et Lucilius: *Triſtem et corruptum ſcabie et porrigine plenum*. Eſt autem *porrigo* ſecundum Celſum proprie: *vbi inter pilos quaedam quaſi ſquamulae ſurgunt, eaeque a cute reſoluuntur, et interdum madent, interdum ſiccae ſunt*. Tribuitur tamen et iis porrigo, quorum totum corpus ſquamulis et ſcabie

stis ad plures serperet, terminis Aegypti pelluntur. [13] Dux igitur exulum factus, sacra Aegyptiorum furto abstulit: quae repetentes armis Aegyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. [14] Itaque Moses, Damascena antiqua patria repetita, montem Synae occupat; quo septem dierum ieiunio, per deserta Arabiae, cum populo suo fatigatus, cum tandem veniisset, septimum diem, more gentis, Sabbatum appellatum, in omne aeuum ieiunio sacrauit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. [15] Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Aegypto meminerant, ne eadem causa inuisi apud incolas forent, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent: quod ex causa factum, paullatim in disciplinam religionemque conuertit. [16] Post Mosen etiam filius eius Aruas, sacerdos sacris Aegyptiis, mox rex, creatur; semperque exinde hic mos apud Iudaeos fuit, vt eosdem reges et sacerdotes haberent: quorum iustitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.

III

[1] Opes genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in his tantum regionibus gignitur.

bie obsitum est, vt ex iis patet exemplis, quae attulimus. *Graeuius.*

14 *montem Synan occupat*] Iuntae: *montem Synae*, vt *mons Soractis*, *Vergelli torrens*, *flumen Arethusae*, et sexcenta huius notae apud optimos Latinae linguae auctores. *Graeuius.*

15 *eadem causa*] *Causam* vocat auctor, quam ante dixit *scabiem et vitiligínem*. *Causa* saepius pro morbo vsurpatur. Celsus: *partes, quae in causa sunt.* vnde et *causarius* pro aegroto. Plin. XXIII, 3 *Causarii dentes.* et XXV, 6 *Causarii vel latere vel faucibus.* Seneca *causarium corpus* vocat infirmum. *Causaria missio* apud Romanos erat, cum quis ob aduersam valetudinem a militia dimitteretur. Aretaeo quoque dicitur ἐν αἰτίᾳ εἶναι pro *morbo laborare.* Gronouius.

16 *coaluere*] Certissima est coniectura Bernecceri, legentis *conualuere. Coalescere* hic locus nullus est. *Graeuius.*

tur. [2] Est namque vallis, quae continuis montibus, velut muro quodam, ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta iugera, nomine Hierichus dicitur. [3] In ea valle silua est, et vbertate et amoenitate insignis: siquidem palmeto et opobalsameto distinguitur. [4] Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, et in vinearum morem excoluntur. Haec certo anni tempore balsamum sudant. [5] Sed non minor loci eius apricitatis, quam vbertatis, admiratio est: quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quaedam ac perpetua apricitas ineſt. [6] In ea regione lacus est Asphaltites, qui propter magnitudinem et aquae immobilitatem, Mortuum Mare dicitur. [7] Nam neque ventis mouetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur; neque nauigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam vllam sustinet, nisi quae alumine illinatur.

[8] Primum

---

2 *spatium loci ducenta iugera, nomine arcus dicitur*] luntae: *Spatium loci ducenta millia iugera, nomine Hyericho dicitur.* Praeclare Salmasius ad Solinum: *Spatium loci ducentum iugerum Ierichus dicitur.* Nam cum in Anglicano quoque MS. habeatur *Hiericho*, non video, cur Salmasiana correctio sit respuenda, praesertim cum nullus a quoquam commemoretur locus, qui *arcus* fuerit appellatus. Non enim de forma loci hic agit, sed de nomine. *Nomine*, inquit, *arcus dicitur.* Graeuius.

3 *in ea silua est*] Scribe, *in eo*, nempe spatio. *Gronovius.*

palmeto et opobalsamo distinguitur] MSS. *opobalsameta.* luntae: *opobalsameto.* Nimirum arboribus opobalsami et palmis ea planities est consita. *Graeuius.*

6 *in ea regione lacus est*] MSS. et luntae: *In ea regione lacus est Asphaltites.* Quos sequor. In nonnullis MSS. est: *Non longe est lacus Asphaltites.* Graeuius.

7 *nisi quae alumine illinatur*] MSS. *nisi quae alumine illustratur.* luntae cum nonnullis vett. edd. *nisi quae alumine illutatur.* Quod non damnem temere. Eodem sensu *lutare* pro *illinere* Pers. Sat. III, 104 *compositus lecto, crassisque lutatus amomis.* Et *delutare* Catoni de Re Rustica c. 128

8 Primum Xerxes, rex Persarum, Iudaeos domuit: postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere, diuque in potestate Macedonici imperii subiecti Syriae regno fuere. 9 A Demetrio cum desciuissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.

IIII

1 Per eadem tempora, quibus in Syria regni mutatio inter nouos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum ab Eumene patruo acceptum regnum, caedibus amicorum, et cognatorum suppliciis, foedabat, nunc matrem anum, nunc Beronicen sponsam maleficiis eorum necatas confingens. 2 Post hanc sceleratam violentiae rabiem, squalidam vestem sumit: barbam capillumque in modum reorum summittit: non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi laetiora conuiuia inire, aut aliquod signum sani hominis habere, prorsus vt poenas pendere manibus interfectorum videretur. 3 Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat, et noxia innoxiis permiscebat, eaque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus, amicis mittebat. 4 Ab hoc studio, aerariae artis fabricae se tradit, cerisque fingendis, et aere fundendo procudendoque, oblectabatur. 5 Matri deinde sepulcrum facere instituit: cui operi intentus, morbum ex solis feruore contraxit, et septima die decessit. Huius testamento heres populus Romanus tunc institutur.

c. 128 *Si habitationem delutare vis, terram quam maxime lutosam vel rubricosam fimito, et amurcam infundito, paleas indito, finitoque quatriduum fracescat; vbi bene fracuerit, rutro concidito; vbi conciderit, delutato.* Graeuius.

8 *primum Xerxes*] Lege cum luntis: *primus rex Persarum Iudaeos domuit.* Graeuius.

tur. [6] Sed erat ex Eumene Aristonicus, non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephesia, citharistae cuiusdam filia, genitus, qui post mortem Attali, vel vt paternum regnum, Asiam inuasit. [7] Cum multa secunda praelia aduersus ciuitates, quae metu Romanorum tradere se ei nolebant, fecisset, iustusque rex iam videretur, Asia Licinio Crasso consuli decernitur; [8] qui intentior Attalicae praedae, quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie praelium conseruisset, victus poenas inconsultae auaritiae sanguine dedit. [9] In huius locum missus Perpenna consul, prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit; Attalicasque gazas, hereditarias populi Romani, nauibus impositas, Romam deportauit. [10] Quod aegre ferens successor eius, M'. Aquilius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpennae, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. [11] Sed contentionem Consulum mors Perpennae diremit. [12] Sic Asia Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.

10 *Manius Aquilius*] Sic rescripsi ex Fastis Capitolinis. *Graeuius.*

LIBER XXXVII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Massilienſium in Phocenſes beneficentia. Tragoediae in Cappadocia et Ponto.*
II *Mithridatis, Ponti regis, futura magnitudo praedicta, liberatio, occupationes.*
III *Eiusdem res gestae, et domi ab vxore periculum.*
IIII *Otii deſtatio, exercitia militaria, Cappadociae et Galatiae occupatio, atque ſuperbum Romanis reſponſum.*

I

[1] Capto Ariſtonico, Maſſilienſes pro Phocenſibus conditoribus ſuis, quorum vrbem ſenatus et omne nomen, quod et tunc, et antea Antiochi bello, infeſta contra populum Romanum arma tulerant, deleri iuſſerat; legatos Romam deprecatum miſere, veniamque his a ſenatu obtinuere. [2] Poſt haec regibus, qui aduerſus Ariſtonicum auxilia tulerant, praemia perſoluta; Mithridati Pontico Phrygia maior, filiis Ariarathis, regis Cappadociae, qui eodem bello occiderat, Lycaonia et Cilicia datae; [3] fideliorque populus Romanus in ſocii filios, quam mater in liberos, fuit: quippe hinc paruulis auctum regnum, inde vita ademta. [4] Namque Laudice ex numero ſex filiorum, quos virilis ſexus ex Ariarathe rege ſuſceperat, timens, ne non diutinam regni adminiſtrationem adultis quibuſdam potiretur, quinque parricidiali veneno necauit: [5] vnum paruu-

1 *Phocenſibus*] Scribe, *Phocaeenſibus*. *Phocaeenſes* enim, a *Phocaea*, quae vrbs eſt Aſiae minoris in Ionia, vnde et orivndi Maſſilienſes: *Phocenſes* vero dicti a Phocide, vicina Boeotiae in Graecia. Eodem modo et infra XXXXIII, 5 legendum *Phocaeenſium*, pro vulg. *Phocenſium*. Gronouius.

2 *Syria maior*] Quaenam *Syria minor*? Optime Iuntae et alii impreſſi: *Phrygia maior*, quod et Bongarſius vidit. *Graeuius*.

4 *ne non diutinam - potiretur*] Num qui rerum potitur futuram rem agit? Atqui in hac locutione *rerum potiri*, ſemper omittitur *adminiſtrationem*.

paruulum, ſceleri matris cognatorum cuſtodia eripuit; qui poſt necem Laudices; nam propter crudelitatem eam populus extinxerat; ſolus regno potitus erat. [6] Mithridates quoque repentina morte interceptus, filium, qui et ipſe Mithridates dictus eſt, reliquit. [7] Cuius ea poſtea magnitudo fuit, vt non ſui tantum temporis, verum etiam ſuperioris aetatis, omnes reges maieſtate ſuperauerit, bellaque cum Romanis per XXXXVI annos varia victoria geſſerit: [8] cum eum ſummi imperatores, Sylla, Lucullus, caeterique, in ſumma Cnaeus Pompeius, ita vicerint, vt maior clariorque in reſtaurando bello reſurgeret, damniſque ſuis terribilior redderetur. [9] Denique ad poſtremum, non vi hoſtili, ſed voluntaria morte, in auito regno, ſenex herede filio, deceſſit.

II

[1] Huius futuram magnitudinem etiam caeleſtia oſtenta praedixerant. [2] Nam et eo, quo genitus eſt, anno, et eo, quo regnare primum coepit, ſtella cometes per vtrumque tempus ſeptuaginta diebus ita luxit, vt caelum omne flagrare videretur. [3] Nam et magnitudine ſui, quartam partem caeli occupauerat, et fulgore ſui ſolis nitorem vicerat; et cum oriretur occumberetque, quatuor ſpatium horarum conſumebat. [4] Puer tutorum inſidias paſſus eſt, qui eum fero equo impoſitum, equitare iacularique cogebant: [5] qui conatus cum eos fefelliſſent, ſupra aetatem regente equum Mithridate, veneno eum appetiuere. [6] Quod metuens, antidota ſaepius bibit, et ita ſe aduerſus inſidias

tionem. Nihil hoc loco ſanius. *Graeuius.*

9 *non vi hoſtili victus, ſed voluntaria morte, in auito regno ſenex herede filio deceſſit*] Praeſtaret abeſſe *victus*, ſicuti in luntina editione recte abeſt. *Graeuius.*

fidias exquisitioribus remediis stagnauit, vt ne volens quidem senex veneno mori potuerit. [7] Timens deinde, ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi studium finxit: quo per septem annos neque vrbis, neque ruris tecto vsus est: [8] sed per siluas vagatus, diuersis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus esset locis; assuetus feras cursu aut fugere, aut persequi, cum quibusdam etiam viribus congredi. [9] Quibus rebus, et insidias vitauit, et corpus ad omnem patientiam durauit.

III

[1] Ad regni deinde administrationem cum accessisset, statim non de regendo, sed de augendo, regno cogitauit. [2] Itaque Scythas, inuictos antea, qui Sopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleuerant; qui Cyrum, Persarum regem, cum ducentis millibus trucidauerant, qui Philippum, Macedonum regem, fugauerant, ingenti felicitate perdomuit. [3] Auctus igitur viribus, Pontum quoque, ac deinceps Cappadociam occupauit. [4] Cum de Asia tractaret, tacitus

6 *stagnauit*] Legendum *stannauit*, pro *stagnauit*, quod est in MSS. Solent enim litterae G et N confundi a scribis, vt apud Liu. XXI, 27 in MS. Vossiano, *iguare* pro *innare*. Gronouius. *Stagnari* potest dici aqua, sanguis et liquor, cum quasi stagnum fit. Sed stagnari homo contra venenum, pro muniri absurde diceretur: nec quisquam hanc translationem aut capere potest, aut probare. Assentior itaque viris doctis, qui legendum censent. *stannauit*, hoc est pectus obmuniit, et quasi obduxit antidotis contra veneni vim. Est quidem translatio durior, sed tamen non inepta et aliena a re, quam exprimere voluit. *Graeuius.*

8 *assuetus feras cursu aut fugare aut persequi*] Sicut coniecerat legendum esse Freinshemius, sic olim legitur in optima Iuntina: *assuetus feras cursu aut fugere, aut persequi.* Nihil vetius. Quid enim discriminis inter *fugare*, et *persequi*. Graeuius.

rus cum quibusdam amicis regno profectus, vniuersam, nemine sciente, peruagatus est, omniumque vrbium situm ac regiones cognouit. [5] Inde Bithyniam transcendit, et quasi dominus Asiae, opportuna quaeque victoriae suae metatus est. [6] Post haec in regnum, cum iam periisse crederetur, reuersus est: inuento paruulo filio, quem per absentiam eius Laudice soror vxorque enixa fuerat. [7] Sed inter gratulationem aduentus sui, et filii geniti, veneno periclitatus est. Siquidem Laudice soror, cum periisse eum crederet, in concubitus amicorum proiecta, quasi admissum facinus maiore scelere tegere posset, venenum aduenienti parauit. [8] Quod cum ex ancilla Mithridates cognouisset, facinus in auctores vindicauit.

IIII

[1] Hieme deinde appetente, non in conuiuio, sed in campo; non in vacationibus, sed in exercitationibus: nec inter sodales, sed inter aequales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. [2] Exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat: atque ita inuictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat. [3] Inita deinde cum Nicomede societate, Paphlagoniam

4 *cum quibusdam amicis regno profectus*] Iuntae: *a regno*. Forsan *e regno*. Graevius.

1 *hieme deinde appetente*] Secutus sum Britannos, qui hanc lectionem ex duobus codicibus eruerunt. Vulgata: *hieme deinde imminente*. Graevius.

inter coaequales] Latinius Iuntina et alii impressi *aequales*. Aequales enim melioris aetatis scriptoribus sunt ejusdem aetatis homines, non *coaequales*, quod postea inoleuit, vt et *conciuis* pro *ciuis*, *contribulis* pro *tribulis*. Vide, si tanti est, quae notaui ad Luciani Solocistam. Sane non damno hanc vocem. Verum tamen est, eam iam esse inclinantis Latinitatis, Terentio, Tullio, et omnibus illius aetatis scriptoribus ignotam, apud quos semper *aequales* legitur, quod cum in optima reperiatur editione, non video, cur reiici debeat, *Graeuius*.

niam inuadit, victamque cum socio diuidit. [4] Quam cum teneri a regibus senatui nuntiatum esset, legatos ad vtrumque misit, *qui gentem restitui in pristinum statum* iuberent. [5] Mithridates cum se iam parem magnitudini Romanorum crederet, superbo responso, *hereditarium patri suo regnum obuenisse*, respondit: *mirarique se, quod quae ei relata controuersia non fuerit, sibi referatur.* [6] Nec territus minis, Galatiam quoque occupat. [7] Nicomedes, quoniam se tueri iure non potuerat, *iusto regi redditurum* respondit. [8] Atque ita filium suum mutato nomine, Pylaemenem Paphlagonum regum nomine appellat, et quasi stirpi regiae reddidisset regnum, falso nomine tenet. [9] Sic ludibrio habiti legati, Romam reuertuntur.

5 *mirarique se quod ei relata controuersia non fuerit, sibi referatur*] MS. *mirarique se quoque cum ei.* Glareani editio: *mirarique se quae ei.* Scribe: *mirarique se, quod quae ei relata controuersia non fuerit, sibi referatur.* Adstipulantur Iuntae. *Graeuius.*

8 *Philiamenem Paphlagonum regum nomine appellat*] Non procul recedunt a vera lectione Iuntae: *Philaemenem.* Extrita enim vnica littera scribendum *Pylaemenem*, ex Homero aliisque ostenderunt Glareanus in notis ad hunc locum, et Thomas Reinesius in Variis Lectionibus. *Graeuius.*

LIBER XXXVIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Mithridates regni sui auspicia parricidiis polluit; et callidis artibus Ariarathem Cappadocem trucidat.*
II *Nouae Mithridatis et Nicomedis tragoediae, quas senatus Romanus vtcunque sedat.*
III *Mithridates Tigranem in societatem belli aduersus Romanos trahit, et Proconsulibus Romanis fusis, ingenti ciuitatum Asianarum fauore excipitur.*
IIII *Oratio Mithridatis, in qua rationes suas exponit, cur bellum sit Romanis inferendum.*
V *Romanos, dum occupati essent, adoriundos esse censet, iustum bellum illud ostendens.*
VI *Malas eorundem artes et originem detegit.*
VII *Stirpis suae nobilitatem, suorumque libertatem ac fortitudinem opponit; nec non belli facilitatem, liberalitate ac munificentia milites alliciens.*
VIII *Ptolemaeus Physcon in Aegypto multiplici scelere omnia turbat, et a suis pellitur.*
VIIII *Demetrii, Syriae regis, fortunae ludibrii, casus varii.*
X *Antiochus, Demetrii frater, Parthos bello aggressus, in acie a suis desertus occiditur.*

I

[1] Mithridates, parricidia a nece vxoris auspicatus, sororis alterius Laudices filios, cuius virum Ariarathem, regem Cappadociae, per Gordium insidiis occiderat, tollendos statuit: nihil actum morte patris existimans, si adolescentes paternum regnum, cuius ille cupiditate flagrabat, occupassent. [2] Igitur dum in his cogitationibus versatur, interim Nicomedes, rex Bithyniae, vacuam morte regis Cappadociam inuadit. [3] Quod cum nuntiatum Mithridati fuisset, per simulationem pietatis auxilia sorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit. [4] Sed iam Laudice per pactionem se Nicomedi in matrimonium tradiderat. [5] Quod aegre ferens Mithridates, praesidia Nicomedis Cappadocia expellit, regnumque sororis filio

restituit: egregium prorsus factum, ni subsequuta fraus esset. [6] Siquidem interiectis mensibus simulat, se Gordium, quo ministro vsus in Ariarathe interficiendo fuerat, restituere in patriam velle, sperans, si obsisteret adolescens, causas belli futuras: aut, si permitteret, per eundem filium tolli posse, per quem interfecerat patrem. [7] Quod vbi Ariarathes iunior moliri cognouit, grauiter ferens interfectorem patris per auunculum potissimum ab exilio reuocari, ingentem exercitum contrahit. [8] Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos DC; nec Ariarathi, auxiliantibus finitimis regibus, minores copiae essent: incertum belli timens, consilia ad insidias transfert: [9] sollicitatoque iuuene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti, ait, *Caueret, ne aliud telum inueniret quam quaereret.* [10] Atque ita risu protectis insidiis, seuocatum ab amicis, velut ad secretum sermonem, inspectante

7 *quod vbi Ariarathes iunior moliri cognouit*] Forte scrib. *Quem vbi Ariarathes iunior moliri cognouit.* Cic. XII Famil. Ep. 12 *Dein cum suspicarere nos moliri, quod te sollicitum esse et de salute nostra, et de rerum euentu putabam.* Gronovius.

10 *euocatum ab amicis velut ad secretum sermonem*] Lege *seuocatum.* Cic. II Philipp. 14 *Cum interficeretur Caesar, tum te a Trebonio vidimus seuocari.* Gronouius. Olim vidi legendum esse *seuocatum.* Non enim euocabatur ab amicis, sed ab illis seuocabatur. *Seuocare* est seorsim vocare, quod ii faciunt, qui soli cum aliquo sunt colloquuturi, vt *seducere* est seorsim ducere, *secubare* seorsim solum cubare. Plaut. Menaechm. V, 9 *Seuocabo herum, Menaechme.* Men. *Ambo, quid vis?* Men. *Non ambos volo.* Ouid. *Seuocat hunc genitor, nec caussam fassus amoris.* Sueton. Cal. 36 *Egressus triclinio cum maxime placitam seuocasset.* Cic. pro Muraen. *Facit vt rursus plebs in Auentinum seuocanda videatur.* Idem I ad Famil. ep. VIII *quoniam quidam nobiles homines inimicum meum me inspectante saepe in senatu modo seuere seducerent, modo familiariter amplexarentur.* Hanc emendationem cum communicassem cum celeberrimo et vnico doctore nostro

te vtroque exercitu, interficit, regnum Cappadociae octo annorum filio, impoſito Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit.

II

[1] Sed Cappadoces, crudelitate ac libidine praefectorum vexati, a Mithridate deficiunt: fratremque regis. et ipſum Ariarathem nomine, ab Aſia, vbi educabatur, reuocant. [2] Cum quo Mithridates praelium renouat, victumque Cappadociae regno expellit. Nec multo poſt adoleſcens, ex aegritudine collecta infirmitate, decedit. [3] Poſt huius mortem Nicomedes timens, ne Mithridates acceſſione Cappadociae etiam Bithyniam finitimam inuaderet, ſubornat puerum eximiae pulcritudinis, quaſi Ariarathes tres, non duos, filios genuiſſet, qui a ſenatu Romano paternum regnum peteret. [4] Vxorem quoque Laudicen Romam mittit, ad teſtimonium trium ex Ariarathe ſuſceptorum filiorum. [5] Quod vbi Mithridates cognouit, et ipſe pari impudentia Gordium Romam mittit, qui ſenatui aſſeveret, *puerum, cui Cappadociae regnum tradiderat,*

noſtro Gronouio, oſtendit ſibi idem dudum veniſſe in mentem. Poſtea cum adhiberem luntinam, cognoui ſic dudum in illa fuiſſe lectum, vti et in aliis impreſſis, quod ex variis lectionibus Bongarſii liquet. Sane in Glareani editione legitur: *ſeuocatum*. Nec puto in poſterum quenquam futurum, qui vulgati *euocatum* ſit patrocinium ſuſcepturus. Nihil enim eo hoc loco eſt abſurdius. *Graeuius.*

3 *ne Mithridates acceſſione Cappadociae etiam* etc.] Forte eg. *ne Mithridates velut acceſſionem Cappadociae, etiam Bithyniam finitimam inuaderet.* Senſus eſt: ne Mithridates, Bithyniam faceret tanquam additamentum Cappadociae. Valer. Max. VIIII, 1 *Ptolemaeus acceſſione vitiorum ſuorum vixit.* et Florus II, 9 *Quidquid inſularum in eo mari inter Ceraunios montes iugumque Maleum, Aetolici belli acceſſio fuerunt.* Gronouius.

5 *qui ſenatui aſſereret*] Legendum, *aſſeueret.* Cic. in Bruto 57 *Quemadmodum adverſarius de quaque re aſſeueret.* Gronouius. Veriſſima eſt ſcriptura librorum Bongarſianorum,

ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Romanis ferens cecidisset. [6] Sed senatus, studio regum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, et Mithridati Cappadociam, et Nicomedi, ad solatium eius, Paphlagoniam ademit. [7] Ac ne contumelia regum foret, ademtum illis, quod daretur aliis, vterque populus libertate donatus est. [8] Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes, negant *viuere gentem sine rege posse.* Atque ita rex illis a senatu Ariobarzanes constituitur.

III

[1] Erat eo tempore Tigranes, rex Armeniae, obses Parthis ante multum temporis datus, sed olim ab iisdem in regnum paternum remissus. Hunc Mithridates mire ad societatem Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. [2] Nihil igitur de offensa Romanorum sentientem per Gordium impellit, vt Ariobarzani, segni admodum, bellum inferat: et ne quis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium tradit. [3] Primo igitur aduentu Tigranis Ariobarzanes, sublatis rebus suis, Romam contendit. Atque ita per Tigranem rursus Cappadocia iuris esse Mithridatis coepit. [4] Eodem tempore mortuo Nicomede, etiam filius eius et ipse Nicomedes regno a Mithridate pellitur; qui cum supplex Romam veniisset, decernitur in senatu, vt vterque in regnum restituantur; in quod tum missi Aquilius et Manlius Maltinus legati. [5] His cognitis Mithridates societatem cum Tigrane,

rum, qui *assueret* legunt pro *assereret*. Nam *asserere* pro affirmare nusquam apud meliores scriptores veteriores reperitur. *Asserere in libertatem* frequens est. Sed *asserit hoc hic, aut ille* deterioris temporis. *Graeuius.*

1 *sed olim*] Iuntina quoque: *ante non multum tempus, nec olim.* Graeuius.

4 *Aquilius et Manlius Maltinus*] Vir summus Thomas Reinesius in epistola XXIII ad Rupertum legit: *Aquilius et M. Acilius* ex Vincentii Bellouacen-

grane, bellum aduerſus Romanos geſturus, iungit: pactique inter ſe ſunt, vt vrbes agrique Mithridati, homines vero et quaecunque auferri poſſent, Tigrani cederent. [6] Poſt haec Mithridates intelligens, quantum bellum ſuſcitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallograecos, et Sarmatas, Baſtarnaſque, auxilium petitum mittit. [7] Nam omnes has gentes, Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus iam ante illexerat. Ab Scythia quoque exercitum venire iubet, omnemque Orientem adverſus Romanos armat. [8] Non magno igitur labore Aquilium et Maltinum, Aſiano exercitu inſtructos, vincit: quibus ſimul cum Nicomede pulſis, ingenti fauore ciuitatium excipitur: [9] multum ibi auri argentique, ſtudio veterum regum, magnumque belli apparatum inuenit: quibus inſtructus, debita ciuitatibus publica priuataque remittit, et vacationem quinquennii concedit. [10] Tunc ad concionem milites vocat, eoſque variis exhortationibus ad Romana bella ſiue Aſiana incitat. [11] Quam orationem dignam duxi, cuius exemplum breuitati huius operis inſererem, quam obliquam Pompeius Trogus expoſuit: quoniam in Liuio et in Salluſtio reprehendit, quod conciones directas pro ſua oratione operi ſuo inſerendo, hiſtoriae modum exceſſerint.

IIII

[1] *Optandum ſibi fuiſſe* ait, *vt de eo liceret conſulere, bellumne ſit cum Romanis, an pax habenda:* [2] *quin vero ſit reſiſtendum impugnantibus,*

ſis lib. 6 ſpec. hiſt. cap. 101, quem vide. Iuntae legunt: *Aquilius Manlius, et Manius Attilius.* Graeuius.

6 *Mithridates intelligens quantum bellum ſuſcitaret*] Iuntae: *Mithridates intellecto quantum bellum ſuſcitaret.* Optime. Nihil frequentius noſtro eſt hac ratione loquendi. *Graeuius.*

nec eos quidem dubitare, qui spe victoriae careant. Quippe aduersus latronem, si nequeant pro salute, pro vltione tamen sua, omnes ferrum stringere, [3] *Caeterum, quia non id agitur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam praelio congressis, consulendum, qua ratione ac spe coepta bella sustineant.* [4] *Esse autem sibi victoriae fiduciam, si sit illis animus: Romanosque vinci posse, cognitum non sibi magis, quam ipsis militibus, qui et in Bithynia Aquilium, et Maltinum in Cappadocia fuderint.* [5] *At si quem aliena magis exempla, quam sua experimenta moueant, audire se, a Pyrrho, rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus praeliis Romanos.* [6] *Audire, Annibalem sexdecim annis Italiae victorem immoratum: et quin ipsam caperet vrbem, non Romanorum illi vires obstitisse, sed domesticae aemulationis atque inuidiae studium.* [7] *Audire, populos Transalpinae Galliae Italiam ingressos, maximis eam plurimisque vrbibus possidere; et latius aliquanto solum finium, quam in Asia, quae dicatur imbellis, eosdem Gallos occupasse: nec victam solum dici sibi Romam a Gallis, sed etiam captam; ita vt vnius illis montis tantum cacumen relinqueretur; nec bello hostem, sed pretio remotum:* [9] *Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem virium suarum ipse numeret. Nam hos, qui Asiam incolunt, Gallos, ab illis, qui Italiam occupauerant, sedibus tantum distare: originem quidem ac virtutem, genusque pugnae idem habere;* [10] *tanto-*

2 *nec eos quidem dubitare*] Scribendum, *ne eos quidem dubitare*. et mox *agatur*, pro *agitur*. Gronouius.

9 *in partem virium suarum ipse numeret*] Mallem legere, *in parte virium suarum ipsum numerare*. id est, inter suae potentiae assertores et propugnatores se habere. Et mox pro *occupauerunt*, *occupauerint*. Gronouius. Non facile haec refingam omnibus libris inuitis, sed potius referam inter illa vitia, quibus hanc orationem obliquam laborare Freinshemius doctissimus superius obseruauit. *Graeuius.*

[10] *tantoque his ſagaciora eſſe, quam illis, ingenia, quanto longiori ac difficiliori ſpatio per Illyricum Thraciamque prodierint, paene operoſius tranſitis eorum finibus, quam vbi conſidere, poſſeſſis.* [11] *Iam ipſam Italiam audire ſe nunquam, vt Roma condita ſit, ſatis illi pacatam, ſed aſſidue per omnes annos pro libertate alios, quoſdam etiam pro iure imperii, bellis continuis perſeueraſſe;* [12] *et a multis ciuitatibus Italiae deletos Romanorum exercitus ferro, a quibuſdam, nouo contumeliae more, ſub iugum miſſos.* [13] *Ac ne veteribus immoretur exemplis, hoc ipſo tempore vniuerſam Italiam bello Marſico conſurrexiſſe, non iam libertatem, ſed conſortium imperii ciuitatiſque, poſcentem.* [14] *Nec grauius vicinae Italiae bello, quam domeſticis principum factionibus vrbem*

10 *tantoque his ſagaciora eſſe ingenia*] Nec hic viro doctiſſimo [Scheffero legenti *acriora*, pro *ſagaciora*] poſſum ſubſcribere. Sagacitas annon requiritur in bello? Cur barbari viribus et impetu potentiores victi ſunt a Romanis, quam quia hi prudenter ſecundum artem militarem bella gerebant? Acres erant omnes Galli, hoc eſt, intrepidi, bellicoſi, ſed non ſagaces. Sed non ratione bellum gerebant, quae non poteſt eſſe ſine ſagacitate. Pulcre Seneca I de Ira 11 *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius, quibus innaſcuntur innutriunturque?* et quae ſequuntur. Dein: *Agedum illis corporibus, illis animis, delicias, luxum, opes ignorantibus da rationem, da diſciplinam, vt nihil amplius dicam, neceſſe erit, nobis certe, Romanos mores repetere.* Hos itaque Gallos, qui virtutem priſtinam retineant, difficultates, labores, (nam παθήματα μαθήματα) et loca ipſa cultiora, in quibus conſederant, ſagaciores reddiderant, vt illorum vis magis eſſet timenda, quam caeterorum. Acuerant ratione virtutem, vt Florus loquitur. Plurima poſſent in hanc rem afferri, niſi res eſſet in aperto. *Graeuius.*

11 *iure imperii*] MSS. *vice imperii*, quae lectio omnino praeferenda eſt. Intelligit enim alteram imperii et ſenatus et conſulum partem, vt ipſis eſſent vices imperii, et partes: cum peterent populi Latii ius ciuitatis, et alterum conſulem et dimidiam ſenatus partem. Florus I, 14 *Vt et ipſis imperii vices ac partes eſſent.* Gronouius.

13 *ne veteribus immoremur*] Schefferi coniecturam confirmat Iuntina, in qua legitur *immoretur*. Graeuius.

14 *nec grauius vicino Italiae bello*]

bem premi, multoque periculosius accessisse Italico ciuile bellum : [15] *simul et a Germania Cimbros, immensa millia ferorum atque immitium populorum, more procellae, inundasse Italiam :* [16] *quorum tametsi singula bella sustinere Romani possent, vniuersis tamen obruantur, vt ne vacaturos quidem bello suo putet.*

V

[1] *Vtendum igitur occasione, et rapienda incrementa virium, ne, si illis occupatis quieuerint, mox aduersus vacuos et quietos, maius negotium habeant.* [2] *Non enim quaeri, an capienda sint arma, sed vtrum sua potius occasione, an illorum.* [3] *Nam bellum equidem iam tunc secum ab illis geri coeptum, cum sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quam patri suo praemium dati aduersus Aristonicum auxilii concesserant, gentem quam et proauo suo, Mithridati, Seleucus Callinicus in dotem dedisset.* [4] *Quid, cum Paphlagonia se decedere iusserunt, non alterum illud genus belli fuisse ? quae non vi, non armis, sed adoptione testamenti, et regum domesticorum interitu, hereditaria patri suo obuenisset :* [5] *cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigarit, quin acerbius se in dies gerant, non*

bello] Iuntae : *vicinae*. et mox iidem : *multoque periculosius accessisse Italico ciuile bellum*. quod praeferendum vulgato *esse*. Graeuius.

1 *rapienda incrementa*] Liu. XXVII, 17 *Eam velut primam occasionem raptam*. Lucan. X, 508 - - *Caesar semper feliciter vsus Praecipiti cursu bellorum, et tempore rapto*. Et Stat. V Theb. 131 - - *Rapuit gaudia Polyxo Fortunam*. Et Paullus ICtus L. 168 Digest. de Reg. Iuris : *Rapienda occasio est, quae praebet benignius responsum*. Gronouius

3 *dati aduersus Aristonicum auxilii*] Legendum puto, *lati aduersus Aristonicum auxilii*. Nam *dare auxilium* non memini legi apud Latinos scriptores. *Graeuius*.

5 *cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigaret*] MS. et Iuntae : *Cum hac decretorum amaritudine parendo*. Iuntae quoque *mitigarit*. Totus locus sic

non obtinuisse. [6] *Quod enim a se non praebitum illis obsequium? non Phrygiam, Paphlagoniamque dimissas? non Cappadocia filium eductum, quam iure gentium victor occupauerat?* [7] *Raptam tamen sibi esse victoriam eius ab illis, quorum nihil est nisi bello quaesitum.* [8] *Non regem Bithyniae Chrestion, in quem senatus arma decreuerat, a se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes faciat:* [9] *libertatem etiam in contumeliam sui a senatu vltro delatam Cappadociae, quam reliquis gentibus abstulerunt: deinde populos Cappaducum, pro libertate oblata, Gordium regem orantes, ideo tantum, quoniam amicus suus esset, non obtinuisse.* [10] *Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse: quia vltum ierit se, ab ipsis ventum obuiam, et nunc eam secum bellandi illis causam fore, quod non impune se Nicomedi lacerandum, saltatricis filio, praebuerit.*

VI

[1] *Quippe non delicta regum illos, sed vires ac maiestatem insequi: neque in se vno, sed in aliis quoque*

sic est scribendus: *Cum interea huic decretorum amaritudini parendo, non tamen eos mitigarit. Decretorum amaritudo* sunt amara decreta: de quo loquendi genere plura supra notaui. *Gracuius.*

non obtinuisse] Haec forte delenda sunt, vtpote transposita ex sequentibus. *Gronouius.*

7 *raptam tamen sibi esse victoriam eius ab illis*] luntae non inuenuste: *Raptam tamen sibi esse victoriae ius.* Graeuius.

9 *populo Cappadocum pro libertate oblata Gordium regem orante* etc. *ideo non obtinuisse*] Non ferunt aures Latinae: *populo orante non obtinuisse.* luntae: *populos.* alii: *orantem.* Leg. *populos Cappadocum pro libertate oblata Gordium regem orantes* etc. *non obtinuisse.* Cap. 7 iidem luntae: *Seu populis eorum conferat suos.* Sic *Latini populi, Aequi Volsciique populi, Samnitium populi* apud Liuium. De quo vide multa exempla apud Gronou. ad Liu. V, 34. *Graeuius.*

10 *ab ipsis ventum obuiam in eo*] luntae non agnoscunt *in eo.* rectius abesset. *Graeuius.*

1 *neque in se vno, sed in aliis*

que omnibus, hac semper arte grassatos. [2] *Sic et auum suum Pharnacem, per cognationum arbitria, succedaneum regi Pergameno Eumeni datum:* [3] *sic rursus Eumenem, cuius classibus primum in Asiam fuere transuecti, cuius exercitu magis, quam suo, et Magnum Antiochum, et Gallos in Asia, et mox in Macedonia regem Persen domuerant;* [4] *et ipsum pro hoste habitum, eique interdictum Italia: et quod cum ipso deforme sibi putauerant, cum filio eius, Aristonico, bellum gessisse.* [5] *Nullius apud eos maiora, quam Masinissae, regis Numidarum, haberi merita. Huic imputari victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam: hunc inter duos illos Africanos tertium seruatorem vrbis referri:* [6] *tamen cum huius nepote bellum modo in Africa gestum adeo inexpiabile, vt ne victum quidem memoriae patris donarent, quin carcerem ac triumphi spectaculum experiretur.* [7] *Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixisse, scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubescant, aut pastores Aboriginum, aut aruspices Sabinorum, aut exules Corinthiorum: aut seruos vernasque Thuscorum, aut, quod honoratissimum nomen fuit inter haec, Superbos, atque, vt ipsi ferunt, conditores suos lupae vberibus altos:* [8] *sic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii diuitiarumque auidos ac ieiunos habere.*

VII

aliis - grassatos] Cic. III ad Famil. ep. 8 *Quod in te bene merito grati essent.* Liu. XXX, 26 *Se nihil nec institutis populi Romani nec moribus suis indignum in iis facturum.* Plinius XXXV, 10 *Apelles et in aemulis benignus.* Virgil. II Aen. 541 *At non ille, satum quo te mentiris, Achilles Talis in hoste fuit.* Vid. Not. ad Senec. Nat. Quaest. IIII Praef. *Gronouius.*

6 *ne victum quidem memoriae patris donarent*] Iuntae: *memoriae aui.* Et hoc ratio postulat. Patris nulla hic fit mentio, sed *aui* et *nepotis.* Graeuius.

7 *quod honoratissimum nomen fuit inter haec*] Iuntae et aliae vet. edd. *inter hos.* Graeuius.

VII

[1] *Se autem, seu nobilitate illis comparetur, clariorem illa colluuie conuenarum esse, qui paternos maiores suos a Cyro Darioque, conditoribus Persici regni, maternos a Magno Alexandro, ac Nicatore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referat: seu populus illorum conferatur suo, earum se gentium esse, quae non modo Romano imperio sint pares, sed Macedonico quoque obstiterint.* [2] *Nullam subiectarum sibi gentium expertam peregrina imperia: nullis vnquam, nisi domesticis, regibus paruisse: Cappadociam velint, an Paphlagoniam, recensere; rursus Pontum, an Bithyniam, itemque Armeniam maiorem minoremque: quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacauit Asiam, nec quispiam successorum eius, aut posterorum, attigisset.* [3] *Scythiam duos vnquam ante se reges, non pacare, sed tantum intrare ausos, Darium et Philippum, aegre inde fugam sibi expedisse; vnde ipse magnam partem aduersus Romanos virium haberet.* [4] *Multoque se timidius ac dissidentius bella Pontica ingressum, cum ipse rudis ac tiro esset. Scythas praeter arma, virtutemque animi, locorum quoque solitudinibus, vel frigoribus instructos, per quae denuntiaretur ingens militiae labor ac periculum.* [5] *Inter quas difficultates ne spes quidem praemii foret, ex hoste vago; nec tantum pecuniae, sed etiam sedis, inopes.* [6] *Nunc se diuersam belli conditionem ingredi. Nam neque caelo Asiae esse temperatius aliud, nec solo fertilius, nec vrbium multitudine amoenius; magnamque temporis partem, non vt militiam, sed vt festum diem, acturos, bello dubium facili magis an vberi:* [7] *si modo aut proximas regni Attalici opes, aut veteres*

4 *Scythiae praeter arma* etc. *vel frigoribus instructae*] Videsne haec non congruere cum oratione obliqua. Itaque aut legendum, *Scythiam instructam*; aut cum Iuntis, *Scythas instructos*. Graeuius.

res Lydiae Ioniaeque audierint, quas non expugnatum eant, sed possessum: [8] *tantumque se auida exspectet Asia, vt etiam vocibus vocet: adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas Proconsulum, sectio publicanorum, calumniae litium.* [9] *Sequantur se modo fortiter; et colligant, quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusquam militum auxilio, suamet vnius opera, viderint Cappadociam caeso rege cepisse; qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamque pacauerit, quam nemo ante transire tuto atque adire potuerit.* [10] *Nam iustitiae atque liberalitatis suae nec ipsos milites, qui experiantur, testes refugere: et illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa regna, hereditatibus propter munificentiam acquisita, possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosporum.*

VIII

[1] Sic excitatis militibus, post annos tres et viginti sumti regni, in Romana bella descendit. [2] At in Aegypto, mortuo rege Ptolemaeo, ei, qui Cyrenis regnabat, Ptolemaeo, per legatos regnum et vxor Cleopatra regina, soror ipsius, defertur. [3] Laetus igitur hoc solo Ptolemaeus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornari et a matre Cleopatra, et fauore principum, fratris filium cognouerat: caeterum infestus omnibus, statim vbi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari iussit. [4] Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum, et solennia religionum, in complexu matris interficit: atque ita torum sororis caede filii eius cruentus adscendit. [5] Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum

8 *odium Romanorum incussit*] Scribe, *inussit*. Cic. 1 in Catil. 6 *Quae notae domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est?* Et II, 9 *Tantus enim illorum temporum dolor inustus est ciuitati.* Gronovius.

regnum vocauerant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia caedis data, omnia sanguine quotidie manabant: ipsam quoque sororem, filia eius virgine per vim stuprata, et in matrimonium adscita, repudiat. [6] Quibus rebus territus populus, in diuersa labitur, patriamque, metu mortis, exul relinquit. [7] Solus igitur in tanta vrbe cum suis relictus Ptolemaeus, cum regem se non hominum, sed vacuarum aedium, videret, edicto peregrinos sollicitat. [8] Quibus confluentibus, obuius legatis Romanorum, Scipioni Africano et Spurio Mummio, et L. Metello, qui ad inspicienda sociorum regna veniebant, procedit. [9] Sed quam cruentus ciuibus, tam ridiculus Romanis, fuit. Erat enim et vultu deformis, et statura breuis, et sagina ventris non homini, sed belluae, similis. [10] Quam foeditatem nimia subtilitas perlucidae vestis augebat, prorsus quasi astu inspicienda praeberentur, quae omni studio occultanda pudibundo viro erant. [11] Post discessum deinde legatorum, quorum Africanus, dum inspicit vrbem, spectaculo Alexandrinis fuit, iam etiam populo peregrino inuisus, cum filio, quem ex sorore susceperat, et cum vxore, matris pellice, metu insidiarum, tacitus in exilium proficiscitur; contractoque mercenario exercitu bellum sorori pariter ac patriae infert. [12] Arcessitum maximum deinde a Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interficit. Tunc populus statuas et imagines eius detrahit. [13] Quod factum studio sororis existimans, filium, quem ex ea susceperat, interficit, corpusque in membra diuisum, et in cista compositum, matri die natali eius inter epulas

13 *die natalis*] Subintellige *lucis*. Plin. XXXVII Hist. Nat. 2 *Tertio triumpho, quos pridie Calend. Octob. die natalis sui egit, transtulit alueum* etc. Lamprid. in Commodo 10 *Eum etiam, qui Tranquilli librum, vitam Caligulae continentem, legerat, feris obiici iussit, qui eandem diem natalis habuerat, quam et Caligula.* Cod. Theodos. VI Tit. XXVIIII L. 6 *Felicis natalis nostri die.* Gronouius.

las offerri curat. [14] Quae res non reginae tantum, verum etiam vniuersae ciuitati, acerba et luctuosa fuit: tantumque moerorem festiuissimo conuiuio intulit, vt regia omnis repentino luctu incenderetur. [15] Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt, et quid sperare de rege suo debeant, filii caede demonstrant.

VIIII

[1] Finito luctu orbitatis, Cleopatra, cum vrgeri se fraterno bello videret, auxilium a Demetrio, rege Syriae, per legatos petit: cuius ipsius varii et memorabiles casus fuere. [2] Namque Demetrius, vt supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset, et multis congressionibus victor fuisset, repente insidiis circumuentus, amisso exercitu, capitur. [3] Cui Arsacides, Parthorum rex, magno et regio animo, misso in Hyrcaniam, non cultum tantum regium praestitit: sed et filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriae, quod per absentiam eius Trypho occupauerat, restituturum promittit. [4] Post huius mortem desperato reditu, non ferens captiuitatem Demetrius, priuatam, etsi opulentam, vitam pertaesus, tacitus in regnum fugam meditatur. [5] Hortator illi et comes Gallimander amicus erat: qui post captiuitatem eius a Syria per Arabiae deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babylonem peruenerat. [6] Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidae successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retrahit. [7] Vt est deductus ad regem, Gallimandro quidem non tantum venia, verum etiam praemium fidei, datum: Demetrium autem et grauiter castigatum ad coniugem in Hyrcaniam remittit, arctioribusque custodiis obser-

5 *Gallimander*] Hic Iosepho Καλλίμανδρος dicitur. *Gronouius.*

obſeruari iubet. [8] Interiecto deinde tempore, cum fidem illi etiam ſuſcepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga eſt: ſed pari infelicitate prope fines regni ſui deprehenditur; ac denuo perductus ad regem, vt inuiſus a conſpectu ſummouetur. [9] Tunc quoque vxori et liberis donatus, in Hyrcaniam, poenalem ſibi ciuitatem, remittitur, taliſque aureis ad exprobrationem puerilis leuitatis donatur. [10] Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non miſericordia gentis faciebat, nec reſpectus cognationis: ſed quod Syriae regnum affectabant, vſuri Demetrio aduerſus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli, exegiſſet.

X

[1] His auditis, Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis indurauerat, aduerſus Parthos ducit. [2] Sed luxuriae non minor apparatus, quam militiae, fuit: quippe LXXX millia armatorum ſequuta ſunt CCC millia lixarum; ex quibus coquorum, piſtorum, ſcenicorumque, maior numerus fuit. [3] Argenti certe aurique tantum, vt etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant. [4] Culinarum quoque argentea inſtrumenta fuere, prorſus quaſi ad epulas, non ad bella, pergerent. [5] Aduenienti Antiocho multi Orientales reges occurrere, tradentes ſe, regnaque ſua, cum execratione ſuperbiae Parthicae. [6] Nec mora congreſſioni fuit. Antio-

Z 2 chus,

8 *prope fines regni ſui deprehenditur*] Recepi ex MSS. et Iuntina *reprehenditur*. Quomodo legendum olim diuinauerat Acidalius ad Velleium. Curtius: *reprehenſi ex fuga Perſae*. Phaedrus: *elapſum ſimel non ipſe poſſit Iupiter reprehendere*. Graevius.

3 *figerent*] MS. *fiuerent*. Feſtus in voce *Muſtricola*: *Muſtricola eſt machinula ex regulis, in qua calceus nouus fuitur*. Gronouius.

chus, tribus praeliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi coepit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui praeter patrios fines fuit. [7] Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico praesidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad sua tuenda a Parthia reuocaretur. Interim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum vbique tentabat. [8] Propter multitudinem hominum, exercitum suum Antiochus per ciuitates in hiberna diuiserat: quae res exitii causa fuit. Nam cum grauari se copiarum praebitione, et iniuriis militum, ciuitates viderent, ad Parthos deficiunt; et die statuta omnes apud se diuisum exercitum per insidias, ne inuicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. [9] Quae cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quae secum hiemabat, progreditur. In itinere obuium regem Parthorum habuit, aduersus quem fortius, quam exercitus eius, dimicauit. [10] Ad postremum tamen cum virtute hostes vincerent, metu suorum desertus, occiditur; cui Phrahates exsequias regio more fecit, filiamque Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, vxorem duxit. [11] Poenitere deinde dimissi Demetrii coepit: ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium, hoc ipsum metuentem, iam in regno missi inuenerunt: rustraque omnia conati, ad regem suum reuersi unt.

LIBER XXXVIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Demetrius, interfecto fratre Antiocho, dum Aegyptum tentat, Syriam amittit, et tandem cruento fato tollitur.*

II *Alexander, ex ignobili rex factus, dum fortunam suam non reuerenter habet, foede perit, interfectus a Grypo, qui matrem et fratrem extinguit.*

III *Cleopatra regina mater in Aegypto grauissimas turbas concitat: vnde horrendae lanienae ex mulierum ira, quarum interitus describitur.*

IIII *Peculiares tragoediae, quas Cleopatra inter suos excitat. Tandem illa a filio Alexandro occupata interficitur.*

V *Alexander in exilium agitur, reuocato Ptolemaeo Notho. Romanis ad Orientalia regna excurrentibus, Syria et Aegyptus vexatur.*

I

[1] Antiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater eius Demetrius, obsidione Parthorum liberatus, ac restitutus in regnum, cum omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset; [2] quasi Parthica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat, prospere cessissent, ita Aegypto bellum inferre statuit; regnum Aegypti Cleopatra socru, pretium auxilii aduersus fratrem suum, pollicente. [3] Sed dum aliena affectat, vt assolet fieri, propria per defectionem Syriae amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone, execrantes superbiam regis, quae conuersatione Parthicae crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenii, caeteraeque ciuitates exemplum sequutae, per absentiam eius a Demetrio defecere. [4] Ptolemaeus quo-

2 *quasi Parthica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat, prospere gessissent*] Num ille fratris bella gessit? MSS. *gessissent*. Leg. *cessissent* cum Iunt. Ita et in MSS. lib XXXX, 2 *Quod gesserit Tigrani non daturum*, pro vulgato *quae cesserit Tigrani*. Graeuius.

ita Aegypto] Tò *ita* supervacuum videtur. *Gronouius.*

que, rex Aegypti, bello ab eodem petitus, cum cognouisset, Cleopatram sororem suam, opibus Aegypti nauibus impositis, ad filiam et Demetrium generum in Syriam profugisse, immittit iuuenem quendam Aegyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriae armis peteret: [5] composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem adspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam: nomen iuueni Alexandri imponitur, auxiliaque ab Aegypto ingentia mittuntur. [6] Interea corpus Antiochi, interfecti a rege Parthorum, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum superuenit: quod cum ingenti studio ciuitatium et regis Alexandri, ad firmandam fabulae fidem, excipitur. Quae res illi magnum fauorem popularium conciliavit, omnibus non fictas in eo, sed veras, lacrimas existimantibus. [7] Demetrius autem victus ab Alexandro, cum vndique circumstantibus malis premeretur, ad postremum etiam ab vxore filiisque deseritur. [8] Relictus igitur cum paucis seruulis, cum Tyrum religione templi se defensurus petisset, naui egrediens, praefecti iussu interficitur. [9] Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumsisset, ab eadem interficitur; alter, cui propter nasi magnitudinem cognomen Grypo fuit, rex a matre hactenus constituitur, vt nomen regis penes filium, vis autem omnis imperii penes matrem, esset.

II

4 *armis peteret. Et composita fabula*] Recte Iuntae *et* ignorant. *Graeuius.*

5 *nomen Alexandri imponitur*] Scribe, *nomen iuueni Alexandro imponitur.* Gronouius.

6 *in Syriam remissum peruenit*] Praestat Iuntinae lectio: *superuenit.* Inopinato venit et peropportune in illo mimo. Haec vis verbi. *Grata supervenit quae non sperabitur hora.* Sed apud Iustinum saepius occurrit. *Graeuius.*

9 *ius autem omnis imperii penes matrem esset*] Quam acute coniecerit Berneccerus, *vis autem omnis imperii penes matrem esset*, ostendere Iuntae, apud quos sic extat, vt et in codice manu descripto. *Graeuius.*

II

[1] Sed Alexander, occupato Syriae regno, tumens ſucceſſu rerum, ſpernere iam etiam ipſum Ptolemaeum, a quo fuerat ſubornatus in regnum, ſuperba inſolentia coepit. [2] Itaque Ptolemaeus, reconciliata ſororis gratia, deſtruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii, viribus ſuis acquiſierat, ſummis opibus inſtruit. [3] Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, et filiam Tryphaenam Grypo nupturam, vt populos in auxilium nepotis, non ſocietate tantum belli, verum et affinitate ſua, ſollicitaret. [4] Nec res ſruſtra fuit. nam cum omnes Grypum inſtructum Aegypti viribus viderent, paullatim ab Alexandro deficere coepere. [5] Fit deinde inter reges praelium, quo victus Alexander Antiochiam profugit: ibi inops pecuniae, cum ſtipendia militibus deeſſent; templo Iouis ſolidum ex auro Victoriae ſignum tolli iubet, facetis iocis ſacrilegium circumſcribens. nam *Victoriam commodatam ſibi ab Ioue eſſe* dicebat. [6] Interiectis deinde diebus, cum ipſius Iouis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacite euelli iuſſiſſet, deprehenſuſque in ſacrilegio concurſu multitudinis eſſet in fugam verſus; magna vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus a ſuis, a latronibus capitur; perductuſque ad Grypum

3 *Tryphonam*] Lege *Tryphaenam*, poſtulante et analogia, ſicut *Ieaena*, et vſu apud Petronium: *Lycam Tarentinum eſſe dominum huiuſce nauigii, qui Tryphaenam exulem Tarentum ferat.* Graeuius.

6 *templo Iouis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacite euelli iuſſiſſet*] MS. et luntae: *in templo Iouis.* Quod non intellexerunt, qui repudiarunt. *In* ſaepe ponitur pro *ex*. Florus III, 4 *bibere in oſſibus capitum*, hoc eſt, ex oſſibus. Senec. Agamemn. v. 878 *Merumque in auro veteris Aſſaraci trahunt.* Cic. I ad Fam. 6 *Me in ſummo dolore quem in tuis rebus capio.* Inſcriptio antiqua: *Statuam in aere auratam poſuere.* Graeuius.

a latronibus capitur] Cl. Bochartus, II, 16 Phaleg, putat, hanc hiſtoriam pertinere ad Alexandrum Balam, cum Iuſtinus hic agat de Alexandro, cui cognomen fuit Zabinae. *Gronouius.*

pum interficitur. [7] Grypus porro, reciperato patrio regno, externisque periculis liberatus, insidiis matris appetitur. Quae cum cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio, et altero filio interfecto, huius quoque victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. [8] Sed Grypus, praedictis iam ante insidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipsam iubet; abnuenti instat. Postremum prolato indice eam arguit, *solam defensionem sceleris superesse* affirmans, *si bibat, quod filio obtulit.* Sic victa regina, scelere in se verso, veneno, quod alii parauerat, extinguitur. [9] Parta igitur regni securitate, Grypus octo annis quietem et ipse habuit, et regno praestitit. [10] Natus deinde illi est aemulus regni, frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus, sed ex Antiocho patruo susceptus: quem cum veneno tollere voluisset, vt maturius armis cum eo de regno contenderet, excitauit.

III

[1] Inter has regni Syriae parricidiales discordias moritur rex Aegypti, Ptolemaeus, regno Aegypti vxori et alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto; videlicet quasi quietior Aegypti status, quam Syriae regnum esset, cum mater, altero ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. [2] Igitur cum pronior in minorem filium esset, a populo compellitur maiorem

7 *venienti ab exercitatione*] Clar. Vsserius in Annal. Aetat. VI p. 124 mallet *ab exercitu*. At nihil mutandum. *Exercitatio* enim luctam notat. Sup. XXXVII, 4 *Non in aduocationibus, sed in exercitationibus.* Plutarch. in Pompeio p. 640 καὶ γυμνάζοντος ἑαυτὸν ἵππῳ περὶ τὸ στρατήγιον. Liu. X, 11 *T. Manlius vix dum ingressus hostium fines, quum exercetur inter equites, ab rapido cursu circumagendo equo effusus, extemplo prope exspirauit.* Gronouius.

1 *quasi quietior Aegypti status, quam Syriae regnum esset*] Forte leg. *quasi quietior Aegypti status quam Syriae futurus esset.* Gronouius.

rem eligere; cui prius, quam regnum daret, vxorem ademit; compulsumque repudiare [cariſſimam ſibi ſororem Cleopatram, minorem ſororem Selenen ducere iubet, non materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. [3] Sed Cleopatra, non tam a viro repudiata, quam a matre divortio viri dimiſſa, Cyziceno in Syria nubit: eique ne nudum vxoris nomen afferret, exercitum Grypi ſollicitatum, velut dotalem, ad maritum deducit. [4] Par igitur viribus fratris Cyzicenus, praelium committit, ac victus in fugam vertitur, Antiochiamque venit. [5] Tunc Antiochiam Grypus, in qua erat Cyziceni vxor, Cleopatra, obſidere coepit: qua capta, Tryphaena, vxor Grypi, nihil antiquius quam ſororem Cleopatram requiri iuſſit: non vt captiuae opem ferret, ſed ne effugere captivitatis mala poſſet, quae ſui aemulatione in hoc potiſſimum regnum inuaſerit, hoſtique ſororis nubendo hoſtem ſe eius effecerit. [5] Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam a fratre, contra matris voluntatem, extra Aegyptum nuptam accuſat. [7] Contra Grypus orare, *ne tam foedum facinus facere cogatur: a nullo vn-*

Z 5 *quam*

3 *exercitum Cypri ſollicitatum*] MSS. et Iuntae: *Grypi ſollicitatum*. Et hoc verum cenſeo. Sollicitantur enim exercitus aliorum, vt in noſtras tranſeant partes: non vero qui noſtris ſumtibus colliguntur in aliis regionibus. Recte Faber [legens *Grypi*]. nam ſollicitantur aliorum exercitus. Si ſcripſiſſet *Cypri collectum*, aut *conſcriptum*, et libri veteres nihil mouerent, vulgatae ſcripturae non aduerſaremur. *Graeuius.*

velut dotalem] Virgil. IIII Aen. 104 - - *liceat Phrygio, ſeruire marito, Dotaleſque tuae Tyrios permittere dextrae.* Et VIIII, 737 - - *Non haec dotalis regia Amatae.* Gronovius.

5 *nihil antiquius quam ſororem Cleopatram requiri iuſſit*] Praetulerim Iuntarum ſcriptionem: *nihil antiquius, quam ſororem Cleopatram requiri duxit.* Tritius eſt hoc loquendi genus *duxit requirendum.* Sed et illud ferri poteſt, quod liquebit, ſi refinxeris infinitum in verbum finitum, *nihil antiquius duxit quam vt requiratur.* Verum non minus inſolens eſt, *nihil antiquius iuſſit*, quam *duxit requiri.* Graeuius.

quam maiorum ſuorum inter tot domeſtica, tot externa bella, poſt victoriam in feminas ſaeuitum; quas ſexus ipſe et periculis bellorum, et ſaeuitiae victorum eximat: [8] *in hac vero, praeter commune bellantium fas, accedere neceſſitudinem ſanguinis: quippe ipſius, quae tam cruente ſaeuiat, ſororem equidem germanam eſſe, ſuam vero conſobrinam: liberorum deinde communium materteram* [9] His tot neceſſitudinibus ſanguinis adiicit ſuperſtitionem templi, quo abdita profugerit, *tantoque religioſius colendos ſibi deos, quo magis his propitiis ac fauentibus viciſſet: tum neque occiſa illa, ſe virium quicquam Cyziceno demturum, nec ſeruaturum reddita.* [10] Sed quanto Grypus abnuit, tanto ſoror muliebri pertinacia accenditur, rata, non miſericordiae haec verba, ſed amoris eſſe. Itaque, vocatis ipſa militibus, mittit, qui ſororem confoderent. [11] Qui vt in templum intraverunt, cum euellere eam non poſſent, manus amplexantis deae ſimulacrum praeciderunt. Tunc Cleopatra execratione parricidarum, mandata violatis numinibus vltione ſui, decedit. [12] Nec multo poſt, repetita praelii congreſſione, victor Cyzicenus vxorem Grypi, Tryphaenam, quae paullo ante ſororem interfecerat, capit; eiuſque ſupplicio vxoris manibus parentauit.

IIII

[1] At in Aegypto Cleopatra cum grauaretur ſocio regni, filio Ptolemaeo, populum in eum incitat: abductaque ei Selene vxore, eo indignius, quod ex Selene iam duos filios habebat, exulare cogit, arceſſito minore filio Alexandro, et rege in locum

[10] *itaque vocatis ipſa militibus*] Forte leg. *itaque vocatos ipſa milites mittit.* Gronouius.

[11] *euellere*] Scribendum, *auellere.* et mox, *cum execratione parricidarum.* Gronouius.

[1] *cum grauaretur ſocio regni*] Lege cum Gronouio: *grauaretur ſocium.* Gruterus.

locum fratris conſtituto : [2] nec filium regno expuliſſe contenta, bello Cypri exulantem perſequitur. Vnde pulſo, interficit ducem exercitus ſui, quod viuum eum e manibus dimiſiſſet : quanquam Ptolemaeus verecundia materni belli, non viribus minor, ab inſula receſſiſſet. [3] Igitur Alexander, territus hac matris crudelitate, et ipſe eam reliquit, periculoſo regno ſecuram ac tutam vitam anteponens : [4] Cleopatra vero timens, ne maior filius, Ptolemaeus, ab Cyziceno ad reciperandam Aegyptum auxiliis iuuaretur, ingentia Grypo auxilia, et Selenen vxorem, nupturam hoſti prioris mariti, mittit. [5] Alexandrumque filium per legatos in regnum reuocat : cui cum occultis inſidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, ſpiritumque non fato, ſed parricidio, dedit : [6] digna prorſus hac mortis infamia, quae etiam matrem toro expulit ; et duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, et filio alteri in exilium acto bellum intulit ; alteri erepto regno exitium per inſidias machinata eſt.

V

[1] Sed nec Alexandro caedes tam nefanda inulta fuit. Nam vbi primum compertum eſt, ſcelere filii matrem interfectam, concurſu populi in exilium agitur, reuocatoque Ptolemaeo regnum redditur : qui neque cum matre bellum gerere voluiſſet, nec a fratre armis repetere, quod prior poſſediſſet. [2] Dum haec aguntur, frater eius ex pellice ſuſceptus, cui pater Cyrenarum regnum teſtamento reliquerat, herede populo Romano inſtituto, decedit. [3] Iam enim fortuna Romana porrigere ſe ad Orientalia regna, non contenta Italiae terminis, coeperat.

2 *frater eius ex pellice*] Vide Tacit. Ann. XII, 18, et Henr. Valeſium ad Ammian. Marcell. p. 248. *Gronouius.*

coeperat. Itaque et ea pars Libyae prouincia facta est: postea Creta Ciliciaque piratico bello perdomitae, in formam prouinciae rediguntur. [4] Quo facto, et Syriae, et Aegypti regna, Romana vicinitate artata, quae incrementa de finitimis bellis quaerere solebant, ademto vagandi arbitrio, vires suas in perniciem mutuam conuerterunt: [5] adeo, vt assiduis praeliis consumti, in contemtum finitimorum venerint, praedaeque Arabum genti, imbelli antea, fuerint. [6] Quorum rex, Erotimus, fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, diuisis exercitibus, nunc Aegyptum, nunc Syriam, infestabat: magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum exsanguibus, fecerat.

4 *bellis quaerere*] Forte *bello quaerere.* Gronovius.

LIBER XXXX

BREVIARIVM CAPITVM

I *Syri Tigranem, Armenium regem, sibi deligunt.*
II *Victo Tigrane, Antiochus, Cyziceni filius, creatur rex Syriae, quae postea in prouinciae formam redigitur.*

I

[1] Mutuis fratrum odiis, et mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, cum inexpiabili bello, et reges, et regnum Syriae consumtum esset, ad externa populus auxilia concurrit: peregrinosque sibi reges circumspicere coepit. [2] Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemaeum ab Aegypto arcessendum censeret: occurreretque, quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemaeus quoque semper hostis fuisset Syriae, [3] omnes in Tigranem, regem Armeniae, consensere, instructum, praeter domesticas vires, et Parthica societate, et Mithridatis affinitate. [4] Igitur accitus in regnum Syriae, per XVIII annos tranquillissimo regno potitus est: neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.

II

[1] Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terrae motu vastata est, quo centum septuaginta millia hominum, et multae vrbes, perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruspices

1 *et mox filiis inimicitiis parentum succedentibus*] Cum in antiquioribus editionibus legatur *filiorum*, laborarunt viri docti in hoc loco constituendo et explicando. Discutientur omnes nebulae, si cum Iuntis legas, *et mox filiorum inimicitiis succedentibus*. Ex margine irrepsit *parentum*. Facile enim intelligebatur, filios hos esse eorum fratrum, qui mutuis odiis flagrarant. *Graevius*.

ces reſponderunt. [2] Igitur, Tigrane a Lucullo victo, rex Syriae Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. [3] Sed quod Lucullus dederat, poſtea ademit Pompeius: qui poſcenti regnum reſpondit, *ne volenti quidem Syriae, nedum recuſanti, daturum ſe regem, qui XVIII annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciae latuerit; victo autem eodem Tigrane a Romanis, alieni operis praemia poſtulet.* [4] *Igitur, vt habenti regnum non ademerit, ita quo ceſſerit Tigrani, non daturum, quod tueri neſciat: ne rurſus Syriam Iudaeorum et Arabum latrociniis infeſtam reddat.* [5] Atque ita Syriam in prouinciae formam redigit: paullatimque Oriens Romanorum, diſcordia conſanguineorum regum, factus eſt.

4 *redigit*] Conſentit [Scheffero, legenti *redegit*] Iunius. *Gratius.*

LIBER XXXXI

BREVIARIVM CAPITVM

I *Parthorum origo nominis obſcuritas, ſucceſſus, imperium.*
II *Regni Parthici adminiſtratio. Parthorum ſermo, veſtes, arma, exercitus, praeliandi mos.*
III *Mores domeſtici, ſepultura, religio, ingenium, virtutes et vitia.*
IIII *Parthorum regum res geſtae paucis deſcribuntur.*
V *Arſacis, ſapientiſſimi Parthorum regis, vita et mors placida.*
VI *Bactriani regni ſtatus ſub Eucratide, qui a filio opprimitur. Parthorum bellici ſucceſſus.*

I

[1] Parthi, penes quos, velut diuiſione Orbis cum Romanis facta, nunc Orientis imperium eſt, Scytharum exules fuere. [2] Hoc etiam ipſorum vocabulo manifeſtatur. nam Scythica ſermone Parthi exules dicuntur. [3] Hi et Aſſyriorum et Medorum temporibus, inter Orientis populos obſcuriſſimi fuere. [4] Poſtea quoque cum imperium Orientis a Medis ad Perſas translatum eſt, veluti vulgus ſine nomine, praeda victorum fuere. [5] Poſtremo Macedonibus, triumphato Oriente, ſeruierunt: [6] vt cuiuis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem prouectos, vt imperent gentibus, ſub quarum imperio, veluti ſeruile vulgus, fuere. [7] A Romanis quoque, trinis bellis, per maximos duces, florentiſſimis temporibus laceſſiti, ſoli ex omnibus gentibus non pares ſolum, verum etiam victores fuere: quanquam plus gloriae ſit, inter Aſſyria et Medica Perſicaque, memorata olim regna, et

6 *ad tantam eos felicitatem per virtutem prouectos*] *Per virtutem* deſideratur in Iuntis, et poſſet non incommode abeſſe.

deia iidem cum aliis impreſſis: *vt non immenſa tantum iam ac profunda camporum.* Gronovius.

et opulentiſſimum mille vrbium Bactrianum imperium, emergere potuiſſe, quam longinqua bella viciſſe; [9] praeterea cum grauibus Scythicis, et vicinalibus bellis aſſidue vexati, variis periculorum certaminibus vrgerentur. [10] Hi domeſticis ſeditionibus Scythia pulſi, ſolitudines inter Hyrcaniam, et Dahas, et Arios, et Spartanos, et Margianos, furtim occupauere. [11] Fines deinde, non intercedentibus primo finitimis, poſtea etiam prohibentibus, in tantum protulere, vt non immenſa tantum ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium, montiumque ardua occupauerint. [12] Ex quo fit, vt Parthiae pleraque finium, aut aeſtus, aut frigoris magnitudo poſſideat: quippe cum montes nix, et campos aeſtus, infeſtet.

II

[1] Adminiſtratio gentis poſt defectionem Macedonici imperii ſub regibus fuit. [2] Proximus maieſtati regum populorum ordo eſt: ex hoc duces

8 *et opulentiſſimum mille vrbium* etc.] Strabo XV p. 686 ex Apollodoro: Εὐκρατίδην γὰρ πόλεις χιλίας ὑφ' ἑαυτῷ ἔχειν. Sed inter has pleraeque Indiae. *Gronouius.*

9 *cum grauibus Scythicis, et vicinalibus bellis aſſidue vexati*] MSS. *Cum grauibus Scythis, et vicinalibus bellis aſſidue vexati.* hoc eſt, cum vexarentur a Scythis, qui iis graues erant, et vicinalibus bellis. Superius IIII, 3 *Catinienſes quoque cum Syracuſanos graues paterentur.* Horat. III, 5

Adiectis Britannis
Imperio grauibuſque Perſis.

Et lib. I carm. 9

Quo graues Perſae melius perirent.

Graeuius.

11 *profunda camporum*] Cl. Pricaeus ad Apulei. Met. I legit, *immenſa et porrecta camporum.* Porro *immenſa camporum* auctor dixit, vt Cic. II de Nat. D. 39 *Immenſitates camporum.* et 64 *immenſa camporum.* Gronouius.

ardua montium] Tacit. XI Ann. 9 *Ardua caſtellorum.* et Varro II de Re Ruſt. *montium arduitatem.* Gronouius.

2 *proximus maieſtati regum populorum ordo eſt*] Scribe, *optimatum ordo eſt.* Sup. I, 9 *Oſtanes optimatibus Perſarum rem indicat.* et XXXXII, 5 de Phrahate: *cum infeſtos ſibi optimates propter aſſidua ſcelera videret.* Vide Strab. XI p. 515. *Gronouius.*

ces in bello, ex hoc rectores in pace, habent. [3] Sermo his inter Scythicum Medicumque medius, et ex vtrisque mixtus. [4] Vestis olim sui moris: posteaquam accessere opes, vt Medis perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos. [5] Exercitum non vt aliae gentes liberorum, sed maiorem partem seruorum habent: quorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus seruis nascentibus, in dies crescit. Hos pari ac liberos suos cura habent: et equitare et sagittare magna industria docent. [6] Locupletissimus vt quisque est, ita plures in bello equites regi suo praebet. Denique Antonio, bellum Parthis inferenti, cum quinquaginta millia equitum occurrerent, soli CCCC liberi fuere. [7] Cominus in acie praeliari, aut obsessas expugnare vrbes, nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus: saepe etiam fugam simulant, vt incautiores aduersum vulnera insequentes habeant. [8] Signum his in praelio non tuba, sed tympano datur. Nec pugnare diu possunt: caeterum intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta et perseuerantia esset. [9] Plerumque in ipso ardore certaminis praelia deserunt, ac paullo post pugnam ex fuga repetunt, vt, cum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. [10] Munimentum ipsis equisque

3 *et vtrisque*] Mallem *vtrimque*. Gronouius.

5 *maiorem partem seruorum habent*] Iuntae et M. *seruiorum*. Sic scripsit Iustinus lib. XXII, 6 *Eodem congestis etiam seruitiis*, hoc est, seruis. Ita et *ministeria* pro ministris Tacit. XIII annal. *Opera* pro operariis. Horat. *accedas opera agro nona Sabino*. *Famulatus* pro familia Apul. VI Met. et Graecis θεραπεία, Matth. XXIIII, 45, pro θεράποντες. *Matrimonia* Iustinus XII, 3 pro vxoribus, et mille talia. *Gracuius*.

7 *pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus*] Praestat luntas sequi, qui legunt: *Pugnant aut procurrentibus equis, aut terga dantibus*. Gracuius.

equiſque loricae plumatae ſunt, quae vtrumque toto corpore tegunt. Auri argentique nullus niſi in armis vſus.

III

[1] Vxores dulcedine variae libidinis ſinguli plures habent: nec vlla delicta adulterio grauius vindicant. [2] Quamobrem feminis non conuiuia tantum virorum, verum etiam conſpectum interdicunt. [3] Carne non niſi venatibus quaeſita veſcuntur. [4] Equis omni tempore vectantur: illis bella, illis conuiuia, illis publica ac priuata officia obeunt: ſuper illos ire, conſiſtere, mercari, colloqui. Hoc denique diſcrimen inter ſeruos liberoſque eſt, quod ſerui pedibus, liberi non niſi equis, incedunt. [5] Sepultura vulgo, aut auium, aut canum laniatus eſt. Nuda demum oſſa terra obruunt. [6] In ſuperſtitionibus atque cura deorum praecipua omnibus veneratio eſt. [7] Ingenia genti tumida, ſeditioſa, fraudulenta, procacia: quippe violentiam viris, manſuetudinem mulieribus aſſignant. [8] Semper aut in externos, aut in domeſticos motus inquieti: natura taciti: ad faciendum, quam ad dicendum, promtiores: proinde ſecunda aduerſaque ſilentio tegunt. [9] Principibus metu, non pudore parent: in libidinem proiecti, in cibum parci. [10] Fides dictis promiſſiſque nulla, niſi quatenus expedit.

IIII

[1] Poſt mortem Alexandri Magni, cum inter ſucceſſores eius Orientis regna diuiderentur, nullo

6 in ſuperſtitionibus atque cura deorum praecipua omnibus veneratio] Inſigniter hunc locum reſtituit Gronouius, qui legit: *In ſuperſtitionibus atque cura deorum praecipua omnibus veneratio eſt.* hoc eſt, praecipue religioſe amnes et fluuios venerantur, quod ex Herodoto, Plinio, Tacito, Arnobio et aliis probat ſcriptoribus, IIII Obſeruat. 10. *Grauius.*

lo Macedonum dignante Parthorum imperium, Stasanori, externo socio, traditur. [2] Hi postea deductis Macedonibus in bellum ciuile, cum caeteris superioris Asiae populis Eumenem sequuti sunt: quo victo, ad Antigonum transiere. [3] Post hunc a Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho, et successoribus eius, possessi: a cuius pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regulo, consulibus. [4] Huius defectionis impunitatem illis duorum fratrum regum, Seleuci et Antiochi, discordia dedit: qui, dum sibi inuicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. [5] Eodem tempore etiam Theodotus, mille vrbium Bactrianarum praefectus, defecit, regemque se appellari iussit: quod exemplum sequuti totius Orientis populi, a Macedonibus defecere. [6] Erat eo tempore Arsaces, vir, sicut incertae originis, ita virtutis expertae. [7] Hic solitus latrociniis et rapto viuere, accepta opinione, Seleucum a Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum praedonum manu Parthos ingressus, praefectum eorum, Andragoram, oppressit, sublatoque eo, imperium gentis inuasit. [8] Non magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoque regnum occupavit: atque ita duarum ciuitatium imperio praeditus, grandem exercitum parat, metu Seleuci et Theodoti, Bactrianorum regis. [9] Sed cito, morte Theodoti, metu liberatus, cum filio eius et ipso Theodoto foedus ac pacem fecit: nec multo post cum Seleuco rege, ad defectores persequendos veniente, congressus, victor fuit: [10] quem diem Parthi exinde solennem, velut initium libertatis, obseruant.

1 *Stasanori*] MS. *Staganori*. Iuntae: *Stasanori*. opti- me; vt supra lib. XIII, 6. *Graeuius*.

V

[1] Reuocato deinde Seleuco nouis motibus in Asiam, dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, ciuitates firmat. [2] Vrbem quoque, nomine Daram, in monte Zapaortenon condit: cuius loci ea conditio est, vt neque munitius quicquam esse, neque amoenius, possit. [3] Ita enim et praeruptis rupibus vndique cingitur, vt tutela loci nullis defensoribus egeat; et soli circumiacentis tanta vbertas est, vt propriis opibus expleatur. [4] Iam fontium ac siluarum ea copia est, vt et aquarum abundantia irrigetur, et venationum voluptatibus exornetur. [5] Sic Arsaces, quaesito simul constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute, decedit. [6] Cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, vt omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent. [7] Huius filius et successor regni, Arsaces et ipse nomine, aduersus Antiochum, Seleuci filium, centum millibus peditum, ei XX millibus equitum, instructum, mira virtute pugnauit: ad postremum, in societatem eius assumtus est. [8] Tertius Parthis rex Priapatius fuit, sed et ipse Arsaces dictus. Nam, sicut supra dictum est, omnes reges suos hoc nomine, sicuti Romani Caesares,

2 *in monte Zapaortenon*] Legendum videtur, *in monte Zapaorteno*. Regio *Zapaortena* vocatur a Plinio VI Nat. Hist. 16. *Cronouius*. Lucas Holstenius legendum existimat, *in monte Apouartenon*. Ἀπουαρτηνὸν fuit Parthiae regio, vt auctor est Isidorus Characenus. corrupte apud Plinium scribitur *Zapauartene* pro *Apouartene*. in hac situs est mons *Apauartenon* dictus. *Graeuius*.

4 *iam fontium ac syluarum*] Iuntae: *Nam fontium et sylvarum*. Sed nihil muta. *Iam* saepe venuste vsurpatur in connexionibus Cic. I de orat. *Iam vero narrationem quod iubent verosimilem* etc. Idem III de Finibus: *Iam membrorum, id est, partium corporis alia videntur propter eorum vsum natura esse donata*. Graeuius.

fares, Auguſtoſque, cognominauere. [9] Hic actis in regno quindecim annis deceſſit, relictis duobus filiis, Mithridate et Phrahate: quorum maior Phrahates, more gentis, heres regni, Mardos, validam gentem, bello domuit; nec multo poſt deceſſit, multis filiis relictis: [10] quibus praeteritis, fratri potiſſimum Mithridati, inſignis virtutis viro, reliquit imperium: plus regio, quam patrio, deberi nomini ratus: potiuſque patriae, quam liberis conſulendum.

VI

[1] Eodem ferme tempore, ſicuti in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides, magni vterque viri, regna ineunt. [2] Sed Parthorum fortuna felicior ad ſummum, hoc duce, imperii faſtigium eos perduxit. [3] Bactriani autem per varia bella iactati, non regnum tantum, verum etiam libertatem amiſerunt: ſiquidem Sogdianorum et Drangianorum Indorumque bellis fatigati, ad poſtremum ab inualidioribus Parthis, velut exſangues, oppreſſi ſunt. [4] Multa tamen Eucratides bella magna virtute geſſit: quibus attritus, cum obſidionem Demetrii, regis Indorum, pateretur, cum CCC militibus, LX millia hoſtium aſſiduis eruptionibus vicit. Quinto itaque menſe liberatus, Indiam in poteſtatem redegit. [5] Vnde cum ſe reciperet, a filio, quem ſocium regni fecerat, in itinere interficitur: qui non diſſimulato parricidio, velut hoſtem, non

3 *Sogdianorum et Drangaritanorum*] MS. et Iuntae: *Sogdianorum et Arachotorum, et Drangianorum.* Arachoti ſunt Arachoſii. Nam Arachoſia dicitur et Arachotis, et incolae Arachoti. vide Strab et Steph. Superius XIII, 4 corrupte legitur *Aracoſſi* pro *Arachoti* aut *Arachoſii*. Graevius.

patrem interfeciſſet, et per ſanguinem eius currum egit, et corpus abiici inſepultum iuſſit. [6] Dum haec apud Bactros geruntur, interim inter Parthos et Medos bellum oritur. Cum varius vtriuſque populi caſus fuiſſet, ad poſtremum victoria penes Parthos fuit. [7] His viribus auctus Mithridates, Mediae Bacaſin praeponit, ipſe in Hyrcaniam proficiſcitur. [8] Vnde reuerſus bellum cum Elymaeorum rege geſſit: quo victo, hanc quoque gentem regno adiecit, imperiumque Parthorum a monte Caucaſo, multis populis in ditionem redactis, vſque ad flumen Euphratem protulit. [9] Atque ita aduerſa valetudine correptus, non minor Arſace proauo, glorioſa ſenectute decedit.

9 *arreptus*] *Correptus* ſtabilit etiam Iuntina. Sic ſupra XXIII, 3. Suet. Iul. 72, vt

notauit Schefferus in Auctario notarum. *Graeuius.*

LIBER XXXXII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Mithridatis, Parthorum regis, filius et succeſſor, Phrahates, a militibus interficitur.*

II *Poſt Artabanum Mithridates, cognomine Magnus, regnat, qui bellum infert Armeniae: de cuius origine et primis regibus diſſerit Iuſtinus.*

III *Iaſonis, et Armenii, Armeniae conditoris, elogia. Tigris fluvii origo.*

IIII *Mithridati iecto Orodes ſucceſſit, qui parricidiis et cladibus domi et foris exagitatur.*

V *Phrahatis, filii Orodis, horrenda parricidia et varia fortuna. Auguſtus ab eo captiuos Romanos et ſigna militaria repetit.*

I

[1] Poſt necem Mithridatis, Parthorum regis, Phrahates, filius eius, rex conſtituitur: qui cum inferre bellum, in vltionem tentati ab Antiocho Parthici regni, Syriae ſtatuiſſet, Scytharum motibus ad ſua defendenda reuocatur. [2] Namque Scythae in auxilium Parthorum aduerſus Antiochum, Syriae regem, mercede ſollicitati, cum confecto iam bello ſuperueniſſent, et, calumnia tardius lati auxilii, mercede fraudarentur: dolentes tantum iis itineris fruſtra emenſum, cum vel ſtipendium pro vexatione, vel alium hoſtem dari ſibi poſcerent, ſuperbo reſponſo offenſi, fines Parthorum vaſtare coeperunt. [3] Igitur Phrahates, cum aduerſus eos proficiſceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quendam, pueritiae ſibi flore conciliatum: qui tyrannica crudelitate, oblitus et vitae praeteritae, et vicarii officii, Babylonios, multaſque alias ciuitates importune vexauit. [4] Ipſe autem Phrahates exercitum Graecorum, quem bello Antiochi captum ſuperbe crudeliterque tractauerat, in bellum ſecum ducit; immemor prorſus, quod hoſtiles eorum animos nec captiuitas minuerat, et inſuper iniuria-

rum indignitas exacerbauerat. [5] Itaque cum inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulere: et diu cupitam captiuitatis vltionem exercitus Parthici, et ipsius Phrahatis regis cruenta caede, exequuti sunt.

II

[1] In huius locum Artabanus, patruus eius, rex substituitur. Scythae autem contenti victoria, depopulata Parthia, in patriam reuertuntur. [2] Sed Artabanus, bello Thogariis illato, in brachio vulneratus, statim decedit. [3] Huic Mithridates filius succedit: cui res gestae Magni cognomen dedere; quippe claritatem parentum, aemulatione virtutis accensus, animi magnitudine supergreditur. [4] Multa igitur bella cum finitimis magna virtute gessit, multosque populos Parthico regno addidit. [5] Sed et cum Scythis prospere aliquoties dimicauit, vltorque iniuriae parentum fuit. [6] Ad postremum Ortoadisti, Armeniorum regi, bellum intulit. [7] Sed quoniam in Armeniam transitum facimus, origo eius paullo altius repetenda est. [8] Neque enim silentio praeteriri tantum regnum fas est, cum fines eius, post Parthiam, omnium regnorum magnitudinem superent. [9] Siquidem Armenia a Cappadocia vsque mare Caspium vndecies centum millia patet, sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur. [10] Condita est autem ab Armenio, Iasonis Thessali comite; quem cum perditum propter insignem periculosamque regno suo virtutem Pelias rex

6 *Ortoadisti Armeniorum regi*] Iuntae: *Artoadisti*. Quod propius ad verum accedit. Appellatur enim, vt ex Strabone et Plutarcho Bongarsius ostendit, *Artauasdes*, sicut et qui Tigrani postea successit, eiusdem nominis fuit, vt ex Iosepho et aliis liquet. *Graevius*.

8 *cum fines eius post Parthiam*] MSS. Bongars. *Cum fines post Parthiam*. Forte leg. *cuius fines post Parthiam*. Gronouius.

rex cuperet, denuntiata militia, in Colchos eum abire iubet; pellemque arietis memorabilem gentibus reportare: sperans interitum viri, aut ex periculis tam longae nauigationis, aut ex bello tam profundae barbariae. [11] Igitur Iason, diuulgata opinione tam glorioſae expeditionis, cum ad eum certatim principes iuuentutis totius ferme orbis concurrerent, exercitum fortiſſimorum virorum, qui Argonautae cognominati ſunt, comparauit: [12] quem cum magnis rebus geſtis incolumem reduxiſſet, rurſus a Peliae filiis Theſſalia pulſus, magna vi cum ingenti multitudine, quae ad famam virtutis eius ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea vxore, quam repudiatam miſeratione exilii rurſum receperat, et Medio priuigno, ab Aegeo rege Athenienſium genito, Colchos repetiuit, ſocerumque etiam regno pulſum reſtituit.

III

[1] Magna deinde bella cum finitimis geſſit; captaſque ciuitates partim regno ſoceri, ad abolendam ſuperioris militiae iniuriam, qua et filiam eius, Medeam, abduxerat, et filium Aegialium interfecerat, adiunxit; partim populis, quos ſecum adduxerat, aſſignauit. [2] Primuſque humanorum poſt Herculem et Liberum, qui reges Orientis fuiſſe traduntur, eam caeli plagam domuiſſe dicitur. [3] Populis quibuſdam Recam et Amphiſtratum, aurigas Caſtoris et Pollucis, duces aſſignauit. [4] Cum Albanis foedus percuſſit, qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum, Geryone extincto, armenta eius per Italiam duceret, ſecuti dicuntur; qui-

Aa 5 que

12 *Medio priuigno*] Heſiod. in Theogon. 1001 Μήδειον illum appellat. *Gronouius.*

3 *Frudium et Amphiſtratum*] Iuntae: *Recam et Amphiſtratum.* Strabo ſane et Euſtathius Recam appellant. *Graeuius.*

que memores Italicae originis, exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico fratres salutauere. [5] Itaque Iasoni totus ferme Oriens, vt conditori, diuinos honores templaque constituit: quae Parmenion, dux Alexandri Magni, post multos annos dirui iussit, ne cuiusdam nomen in Oriente venerabilius, quam Alexandri, esset. [6] Post mortem Iasonis Medius, aemulus virtutis eius, in honorem matris, Medeam vrbem condidit; regnumque ex nomine suo Medorum constituit, sub cuius maiestate Orientis postea imperium fuit. [7] Albanis vicinae Amazones sunt: quarum reginam Thalestrem concubitum Alexandri petisse, multi auctores prodidere. [8] Armenius quoque et ipse Thessalus, vnus de numero ducum Iasonis, recollecta multitudine, quae amisso Iasone rege passim vagabatur, Armeniam condit: [9] a cuius montibus Tigris fluuius modicis primo incrementis nascitur: interiecto deinde aliquanto spatio, sub terras mergitur: atque ita post quinque viginti millia passuum grande iam flumen in regione Sophene emergit: ac sic in paludes Euphratis recipitur.

IIII

[1] Igitur Mithridates, rex Parthorum, post bellum Armeniae, propter crudelitatem a senatu Parthico, regno pellitur. [2] Frater eius Orodes, cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet: et fame coactos, in deditionem oppidanos compellit. [3] Mithridates autem fiducia cognationis, vltro se in potestatem Orodis tradit. [4] Sed Orodes plus hostem, quam fratrem, cogitans, in conspectu suo trucidari eum iussit: et post haec bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio et omni exercitu Romano deleuit. [5] Huius filius Pacorus, missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspe-

ctus

ctus reuocatur: quo abſente, exercitus Parthorum relictus in Syria, a Caſſio, quaeſtore Craſſi, cum omnibus ducibus trucidatur. [6] His ita geſtis, non magno poſt tempore, Romanis inter Caeſarem Pompeiumque ciuile bellum oritur: in quo Parthi Pompeianarum partium fuere, et propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctam, et propter Craſſi necem, cuius filium in partibus Caeſaris eſſe audierant: quem vltorem patris, victore Caeſare, futurum non dubitabant. [7] Itaque victis partibus Pompeianis, et Caſſio et Bruto auxilia aduerſus Auguſtum et Antonium miſere: et poſt belli finem rurſum, Pacoro duce, inita cum Labieno ſocietate, Syriam et Aſiam vaſtauere; caſtraque Ventidii, qui poſt Caſſium, abſente Pacoro, exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. [8] Sed ille, ſimulato timore, diu continuit ſe, et inſultare Parthos aliquantiſper paſſus eſt. Ad poſtremum in ſecuros laetoſque partem legionum emiſit: quarum impetu ſuſi Parthi, in diuerſa abiere. [9] Pacorus cum fugientes ſuos abduxiſſe ſecum legiones Romanas putaret, caſtra Ventidii, velut ſine defenſoribus, aggreditur. [10] Tum Ventidius, reliqua parte legionum emiſſa, vniuerſam Parthorum manum cum rege ipſo Pacoro interfecit; nec vllo bello Parthi vnquam maius vulnus acceperunt. [11] Haec cum in Parthia nuntiata eſſent, Orodes, pater Pacori, qui paullo ante vaſtatam Syriam, occupatam Aſiam a Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte, et exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. [12] Multis diebus non alloqui quenquam, non cibum ſumere, non vocem mittere, ita vt etiam mutus factus videretur. [13] Poſt multos deinde dies, vbi dolor vocem laxauerat, nihil aliud, quam Pacorum, vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo conſiſtere, interdum quaſi amiſſum flebiliter dolebat. [14] Poſt longum deinde luctum, alia ſollicitudo miſerandum

ſenem

senem inuadit, quem, ex numero XXX filiorum, in locum Pacori regem destinet. [15] Multae pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro suis quaeque sollicitae animum senis obsidebant. [16] Sed fatum Parthiae fecit, in qua iam quasi solenne est, reges parricidas habere, vt sceleratissimus omnium, et ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

V

[1] Itaque statim, quasi nollet morti, patrem interfecit: fratres quoque XXX trucidat: sed nec in filiis cessant parricidia. [2] Nam, cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici iubet. [3] Huic Antonias, propter auxilium aduersus se et Caesarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit: sed grauiter multis praeliis vexatus, a Parthia refugit. [4] Qua victoria insolentior Phrahates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur. [5] Itaque cum magno tempore finitimas ciuitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. [6] Hoc absente, regem Parthi Tiridatem quendam constituerant: qui, audito aduentu Scytharum, cum magna amicorum manu ad Caesarem, in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Caesari minimum filium Phrahatis ferens: quem negligentius custoditum rapuerat. [7] Quo cognito, Phrahates legatos statim ad Caesarem mittit, *seruum suum Tiridatem, et filium remitti sibi* postulat. [8] Caesar, et legatione Phrahatis audita, et Tiridatis postulatis cognitis; nam et ipse restitui in regnum deside-

16 *sed fatum Parthiae fecit*] Forte leg. *Sed fatum Parthiae fuit.* Gronouius.

desiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si eius regnum muneris eorum fuisset; neque Tiridatem dediturum se Parthis dixit, neque aduersus Parthos Tiridati auxilia daturum. 9 Ne tamen per omnia nihil a Caesare obtentum videretur, Phrahati filium sine pretio remisit; et Tiridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumtum praeberi iussit. 10 Post haec finito Hispanienſi bello, cum in Syriam ad componendum Orientis statum veniſſet, metum Phrahati incussit, ne bellum Parthiae vellet inferre. 11 Itaque tota Parthia captiui ex Crassiano siue Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. 12 Sed et filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati: plusque Caesar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset.

10 *magnum metum incussit*] Iuntae: *iniunxit*. Sic *iniungere* interdum est inferre. *Iniungere iniuriam*. Cic. III de Nat. Deorum: *Ita ab inopia temeritatem in deos, in homines iniunxit iniuriam. Iniungere detrimentum* eidem pro damnum inferre. *Iniungere inimicos* Liuio. *Gracuius.*

LIBER XXXXIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Romani imperii initia. Vrbis origo. Primi Italiae cultores et reges.*
II *Rhea, Numitoris filia, Remum et Romulum parit, qui mira quadam ratione educati emergunt.*
III *Romaque condita senatus constitutus: raptae Sabinae: vicini subacti. Phocaeenses Tarquinii temporibus Massiliam condunt, Liguribus inuidentibus.*
IIII *Varia Massilienſium fortuna, et felices successus.*
V *Massilienſium bella et foedera. Eorundem beneuolentia et munificentia in Romanos.*

I

[1] Parthicis, Orientalibuſque, ac totius propemodum Orbis rebus explicitis, ad initia Romanae vrbis Trogus, velut poſt longam peregrinationem, domum reuertitur, ingrati ciuis officium exiſtimans, ſi, cum omnium gentium res geſtas illuſtrauerit, de ſola patria taceat. [2] Breuiter igitur initia Romani imperii perſtringit: vt nec modum propoſiti operis excedat, nec vtique originem vrbis, quae eſt caput totius Orbis, ſilentio praetermittat. [3] Italiae cultores primi Aborigines fuere: quorum rex Satur-

1 *totius propemodum orbis rebus explicitis*] luntae, nec non veteres editiones aliae: *expeditis*. quod elegans eſt. Nullus dubito quin *explicitis* ſit expoſitio τῦ *expeditis*. Solent enim minus trita, quae non intelligunt, delere librarii et ſcioli, ac vulgatiora, et quae exponendi gratia ſunt adſcripta, ſupponere. *Expedire* autem ſaepe eſt explicare, exponere. Cic. prooem. de Nat ra Deorum: *Sin autem quis requirit, quae cauſſa nos impulerit, vt haec tam ſero litteris mandaremus, nihil eſt quod expedire tam facile poſſimus.* Salluſt. Iugurth. V *Prinſquam huiuſcemodi rei initium expedio.* Cic. de Fin. *Iſtiuſmodi autem res ornate velle dicere, puerile eſt: plane autem et perſpicue expedire poſſe, docti et intelligentis viri.* P. Mela prooem.: *Ac primo quae ſit forma totius, quae maximae partes, quo ſingulae modo ſint, atque habitentur, expediam.* Plaut. Amphit. III, 2 *Cur dixiſti? inquies; ego expediam tibi.* Gracuius.

Saturnus tantae iuſtitiae fuiſſe traditur, vt neque ſeruierit ſub illo quiſquam, neque quicquam priuatae rei habuerit: ſed omnia communia, et indiviſa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium eſſet. 4 Ob cuius exempli memoriam cautum eſt, vt Saturnalibus, exaequato omnium iure, paſſim in conuiuiis ſerui cum dominis recumbant. 5 Itaque Italia, regis nomine, Saturnia appellata eſt: et mons, in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti a Ioue pulſo ſedibus ſuis Saturno, Capitolium eſt. 6 Poſt hunc tertio loco regnaſſe Faunum ferunt, ſub quo Euander, ab Arcadiae vrbe Pallanteo, in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus et agros, et montem, quem ille poſtea Palatium appellauit, benigne aſſignauit. 7 In huius radicibus templum Lyceo, quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, conſtituit: ipſum dei ſimulacrum nudum caprina pelle amictum eſt, quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur. 8 Fauno fuit vxor nomine Fatua, quae aſſidue diuino ſpiritu impleta, velut per furorem, futura praemonebat. Vnde adhuc, qui inſpirari ſolent, fatuari dicuntur. 9 Ex filia Fauni et Hercule, qui eodem

6 *montem, quem ille poſtea Palatium appellauit, benigne aſſignauit*] MS. *Palantinum*. Iuntae: *Palatinum*. Scribe: *Palantium*. Feſtus: *Palantium mons Romae appellatus eſt, quod ibi paſcens pecus balare conſueuerit: vel quod palare, id eſt, errare, ibi pecudes ſolerent. alii quod ibi Hyperborei filia Palanto habitauerit, quae ex Hercule Latinum peperit.* Virgil. VIII Aen.

- - *poſuere in montibus vrbem*
Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

vide ibi Seruium. *Graeuius.*

8 *futura praemonebat*] Gronouius praefert MS. lectionem: *Futura praecinebat. Canere* enim eſt vatum futura praedicentium. Iuſtinus lib. XXX, 4 *Quo prodigio territis omnibus vates cecinere.* Lib. III, 4 *Hoc enim modo recuperare illos patriam ſuam poſſe Apollinem Delphis ceciniſſe.* Lib. VII, 6 *Propter vetera Macedoniae fata, quae cecinerant, vno ex Amyntae filiis regnante, florentiſſimum fore Macedoniae ſtatum.* XI, 7 *Antiqua fata ceciniſſe.* XVIII, 5 *Cui cum inſpirati vates canerent.* Graeuius.

eodem tempore, extincto Geryone, armenta, victoriae praemia, per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. [10] Quo tenente regnum, Aeneas ab Ilio, Troia a Graecis expugnata, in Italiam venit: statimque bello exceptus, cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus, tantam admirationem sui Latino praebuit, vt et in societatem regni reciperetur: et Lauinia in matrimonium ei data, gener adsciscereturt. [11] Post haec commune vtriusque bellum aduersus Turnum, Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniae nuptias, fuit, in quo et Turnus et Latinus interierunt. [12] Igitur cum Aeneas iure victoriae vtroque populo potiretur, vrbem ex nomine vxoris Lauinium condidit. [13] Bellum deinde aduersus Mezentium, regem Etruscorum, gessit; in quo cum ipse occidisset, in locum eius Ascanius filius successit: qui, Lauinio relicto, Longam Albam condidit: quae trecentis annis caput regni fuit.

II

[1] Post multos deinde vrbis huius reges, ad postremum Numitor et Amulius regno potiti sunt. [2] Sed Amulius, cum aetate priorem Numitorem oppressisset, filiam eius Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit; addita iniuriae specie honoris, vt non damnata, sed sacerdos electa, videre-

11 *past haec commune vtriusque bellum aduersus Turnum fuit*] Rectius luntae: *post haec commune vtrique bellum aduersus Turnum* etc. *fuit*. Dein iidem: *Vrbem ex nomine vxoris Lauinium condidit*. Graeuius.

2 *Amulius cum aetate priorem* etc.] Lege ex MS. *Amulius cum vi aetate priorem Numitorem oppressisset*. Gronovius.

addita iniuriae specie honoris] Quid est *iniuriae species*? dein vnde pendet aut *honoris*, si *specie* pertinet ad *iniuriae*: aut vnde *iniuriae*, si refertur *specie* ad *honores*. Sine dubio legendum *addita iniuria specie honoris*, dum eam in perpetuam virginitatem demersit; Virgi-

videretur. [3] Igitur clausa in luco Marti sacro duos pueros, incertum stupro, an ex Marte conceptos, enixa est. [4] Quo cognito, Amulius, multiplicato metu prouentu duorum, pueros exponi iubet, et puellam vinculis onerat, ex quorum iniuria decessit. [5] Sed Fortuna origini Romanae prospiciens, pueros lupae alendos obtulit: quae amissis catulis, distenta vbera exinanire cupiens, nutricem se infantibus praebuit. [6] Cum saepius ad paruulos, veluti ad catulos, reuerteretur, rem Faustulus pastor animadvertit, subtractosque ferae inter greges pecorum agrestis vita nutriuit. [7] Martios pueros fuisse; siue quod in luco Martis enixi sunt, siue quod a lupa, quae in tutela Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis creditum. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo, fuere. [8] Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, et vires et pernicitatem auxere. [9] Igitur cum latrones a rapina pecorum industrie frequenterque summouerent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, regi offertur; crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc a rege Numitori in vltionem traditur. [10] Sed Numitor adolescentia iuuenis permotus, et in suspicionem expositi nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiae similitudo, nunc aetas expositionis temporibus congruens, anxium tenerent, repente Faustulus cum Romulo superuenit: a quo, cognita origine puerorum, facta conspiratione, et adolescen-

Virginum enim Vestalium magnus erat honor. iniuria illam affecit, cum inuitam coëgit sacerdotem esse. *Graeuius.*

9 *veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat*] Vereor, ne haec peruerterint librarii. Num dicimus, ipse sum, quod in aliis prohibeo? imo sic loquimur, et veteres sic loquebantur, ipse ago, quod in aliis prohibeo. Censeo igitur Iustinum scripsisse: *veluti ipse fecisset, quod in aliis prohibebat.* Graeuius.

adoleſcentes in vltionem maternae necis, et Numitor in vindictam erepti regni, armantur.

III

[1] Occiſo Amulio, regnum Numitori reſtituitur, et vrbs Romana ab adoleſcentibus conditur. [2] Tunc et ſenatus centum ſeniorum, qui Patres dicti ſunt, conſtituitur: tunc et vicinis, connubia paſtorum dedignantibus, virgines Sabinae rapiuntur; finitimiſque populis armis ſubiectis, primum Italiae, et mox Orbis, imperium quaeſitum. [3] Per ea adhuc tempora reges haſtas pro diademate habebant, quas Graeci ſceptra dixere. Nam et ab origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere: ob cuius religionis memoriam adhuc deorum ſimulacris haſtae adduntur. [4] Temporibus Tarquinii regis, ex Aſia Phocaeenſium iuuentus, oſtio Tiberis inuecta, amicitiam cum Romanis iunxit: inde in vltimos Galliae ſinus nauibus profecta, Maſſiliam inter Ligures et feras gentes Gallorum condidit: magnaſque res, ſiue dum armis ſe aduerſus Gallicam feritatem tuentur, ſiue dum vltro laceſſunt, a quibus fuerant ante laceſſiti, geſſerunt. [5] Namque Phocaeenſes exiguitate ac macie terrae coacti, ſtudioſius mare, quam terras, exercuere: piſcando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriae habebatur, vitam tolerabant. [6] Itaque in vltimam Oceani oram procedere auſi, in ſinum Gallicum oſtio Rhodani amnis deuenere. [7] Cuius loci amoenitate capti, reuerſi domum, referentes, quae viderant, plures ſollicitauere. [8] Duces claſſis Simos et Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cuius finibus vrbem condere geſtiebant, amicitiam petentes, conueniunt. [9] Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiae erat: quam more gentis, electo inter epulas genero,

nuptum

nuptum tradere illic parabat. [10] Itaque cum ad nuptias inuitati omnes proci essent, rogantur etiam Graeci hospites ad conuiuium. [11] Introducta deinde virgo, cum iuberetur a patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Graecos conuersa, aquam Proti porrigit: qui factus ex hospite gener, locum condendae vrbis a socero accepit. [12] Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. [13] Sed Ligures incrementis vrbis inuidentes, Graecos assiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, vt, victis hostibus, in captiuis agris multas colonias constituerent.

IIII

[1] Ab his igitur Galli, et vsum vitae cultioris, deposita et mansuefacta barbaria, et agrorum cultus,

Bb 2

9 *nuptum tradere illic parabat*] Iuntae: *ille*. Graeuius.

10 *itaque cum ad nuptias inuitati omnes proceſſiſſent*] *Procedere ad nuptias* semper perinsolens mihi visum et alienum a Latinae linguae indole. Si loqueretur de pompa nuptiali, cum in publico ducitur, nullus esset scrupulus. Sed de pompa hic ne sit quod cogitemus, sequentia vincunt, quae de inuitatione hic loqui Iustinum indicant: *rogantur etiam Graeci hoſpites ad conuiuium*. Iam quinam sunt illi omnes, qui ad nuptias erant inuitati? Itaque ante multos annos hic locus mihi fuit suspectus. Veram autem lectionem nobis seruarunt Iuntae, apud quos rectissime legitur: *cum ad nuptias inuitati omnes proci eſſent*. Qui ambierant virginem, erant ex more gentis inuitati, vt ex iis maritum sponsa caperet et eligeret. Hoc ostendunt sequentia clare: *Introducta deinde virgo, cum iuberetur a patre aquam porrigere ei, quem virum eligeret*, nimirum inter procos. Nullus dubito Iustinum ita scripsisse: nec cunctatus sum ei suam restituere lectionem: nec in posterum vllus dubitabit, quin recte restituerim, etsi dubitator sit magnus, si modo hunc locum accurate expendit. Sed et pro *rogantur ad nuptias*, mallem *vocantur ad nuptias*. Lib. XII, 6 *Amicos in conuiuium vocat*. Graeuius.

13 *in captiuis agris*] MS. et Iuntae: *in capris agris*. Quis non probet? *Graeuius*.

cultus, et vrbes moenibus cingere didicerunt. [2] Tunc et legibus, non armis, viuere, tunc et vitem putare, tunc oliuam serere, consueuerunt: adeoque magnus et hominibus et rebus impositus est nitor, vt non Graecia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata, videretur. [3] Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, a quo locus acceptus condendae vrbis fuerat, cum regno filius eius Comanus succeſſiſſet, affirmat Ligur quidam, quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum obrueret. [4] Subnectit et illam fabulam: Canem aliquando partu grauidam locum a pastore precario petisse, in quo pareret: quo obtento, iterato petisse, vt sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis, fultam domestico praesidio, proprietatem loci sibi vindicasse. [5] Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros. [6] His incitatus rex, insidias Massilienſibus exstruit. Itaque solenni Floraliorum die multos fortes ac strenuos viros hospitii iure in vrbem misit: plures sirpeis latentes, frondibusque supertectos induci vehiculis iubet; [7] et ipse cum exercitu in proximis montibus delitescit; vt, cum nocte a praedictis apertae portae forent, tempestiue ad insidias adesset, vrbemque somno ac vino sepultam armatis inuaderet. [8] Sed has insidias mulier quaedam, regis cognata, prodidit, quae adulte-

3 *affirmante regulo quodam*] Forte leg. *affirmare regulus quidam.* Gronouius. Iuntae: *affirmat Ligur quidam.* Graeuius.

6 *exstruit*] Scribe, *struit.* Gronouius.

plures sirpeis latentes] Optime Gronouius: *plures in sirpeis latentes.* Sirpeae enim erant cophini ex viminibus texti in plaustris. Ouidius IIII Fast. ex emendatione Salmasii:

- - *et in plaustro sirpea lata fuit.*

Nam et ibi legebatur *scirpea.* Varro IIII de R. R. *Sirpea quae virgis sirpatur, id est, colligando implicatur, in qua stercus aliudue quid euehitur.* Cato saepius vtitur. *Graeuius.*

7 *nocte a praedictis*] Lege *nocte praedicta,* Gronouius.

adulterare cum Graeco adolescente solita, in amplexu iuuenis, miserata formae eius, insidias aperuit, *periculumque declinare* iubet. 9 Ille rem statim ad magistratus defert: atque ita patefactis insidiis, cuncti Ligures comprehenduntur, latentesque de sirpeis protrahuntur. 10 Quibus omnibus interfectis, insidianti regi insidiae tenduntur. Caesa sunt cum ipso rege hostium septem millia. 11 Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris obseruare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac, veluti bellum habeant, sic vrbem pacis temporibus custodire. 12 Adeo illic bene instituta, non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine, seruantur.

V

1 Post haec magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis, fuere bella: quae res et vrbis gloriam auxit, et virtutem Graecorum, multiplicata victoria, celebrem inter finitimos reddidit. 2 Carthaginiensium quoque exercitus, cum bellum captis piscatorum nauibus ortum esset, saepe fuderunt, pacemque victis dederunt: 3 cum Hispanis amicitiam iunxerunt: cum Romanis prope ab initio conditae vrbis foedus summa fide custodierunt, auxiliisque in omnibus bellis industrie socios iuuerunt. Quae res illis et virium fiduciam auxit, et pacem ab hostibus praestitit. 4 Cum igitur Massilia fama rerum gestarum, et abundantia opum, et virium gloria virente floreret, repente finitimi populi ad nomen Massilienium delendum, veluti ad commune extinguendum incendium, concurrunt. 5 Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur, qui, cum magno exercitu lectissimorum virorum vrbem

8 *miserata formae eius*] Iuntae, vt coniecerat Modius: *miserata formam eius*. Mox iidem: *insidias aperit*. Graeuius.

hostium obsideret, per quietem specie toruae mulieris, quae se deam dicebat, exterritus, vltro pacem cum Massilienſibus fecit; [6] petitoque vt intrare illi vrbem, et deos eorum adorare liceret, cum in arcem Mineruae veniſſet, conſpecto in porticibus simulacro deae, quam per quietem viderat, repente exclamat, *Illam esse, quae se nocte exterruisset; illam, quae recedere ab obsidione iussisset.* [7] Gratulatusque Massilienſibus, quod animaduerteret, eos ad curam deorum immortalium pertinere, torque aureo donata dea, in perpetuum amicitiam cum Massilienſibus iunxit. [8] Parta pace, et securitate fundata, reuertentes a Delphis Massilienſium legati, quo missi munera Apollini tulerant, audierunt vrbem Romanam a Gallis captam incensamque. [9] Quam rem, domi nuntiatam, publico funere Massilienſes prosequuti sunt: aurumque et argentum publicum priuatumque contulerunt, ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognouerant. [10] Ob quod meritum et immunitas illis decreta, et locus spectaculorum in senatu datus, et foedus aequo iure percussum. [11] In postremo libro Trogus maiores suos a Vocontiis originem ducere; auum suum Trogum Pompeium, Sertoriano bello, ciuitatem a Cn. Pompeio percepisse dicit: [12] patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse, patrem quoque sub Caio Caesare militasse, epistolarumque et legationum, simul et anuli, curam habuisse.

LIBER XXXXIIII

BREVIARIVM CAPITVM

I *Hiſpaniae nomen, ſitus, fertilitas, amnes, clauſtra, forma, ſalubritas.*
II *Hiſpanorum mores; primus dux Viriatus.*
III *Equarum Luſitanicarum fabula. Gallaecorum origo, diuitiae, et miranda.*
IIII *Habidis, Gallaeciae et finitimarum regionum principis, hiſtoria, ſeu fabuloſa narratio, et prudens adminiſtratio. Geryonis, qui triplex fabulis dictus, regnum.*
V *Carthaginienſium imperium: praeclari eorundem duces violenta morte pereunt. Hiſpanos domat Caeſar Auguſtus.*

I

[1] Hiſpania ſicuti Europae terminos claudit, ita et huius operis finis futura eſt. [2] Hanc veteres ab Ibero amne primum Iberiam, poſtea ab Hiſpano Hiſpaniam, cognominauerunt. [3] Haec inter Africam et Galliam poſita, Oceani freto et Pyrenaeis montibus, clauditur. Sicut minor vtraque terra, ita vtraque fertilior. [4] Nam neque, vt Africa, violento ſole torretur, neque, vt Gallia, aſſiduis ventis fatigatur, ſed media inter vtramque, hinc temperato calore, inde felicibus et tempeſtiuis imbribus, in omnia frugum genera fecunda eſt; adeo vt non ipſis tantum incolis, verum etiam Italiae vrbique Romanae, cunctarum rerum abundantiam ſufficiat. [5] Hinc enim non frumenti tantum magna copia eſt, verum et vini, mellis, oleique; nec ferri ſolum materia praecipua eſt, ſed et equorum perni-

4 *tempeſtiuis imbribus*] Apuleius de Mundo p. 71 ed. Elmenh. *Hinc tempeſtiui imbres, et ſpiritus infoecundi.* et Apolog. p. 289 *Ad tempeſtiuum imbrem agellum exarabat.* Lucret. II, 877 et 928 *Intempeſtiui imbres.* Leuit. XXVI, 18 ὑετὸς ἐν καιρῷ δωτῆ. Deuteron. XI, 14 ὑετὸς καθ' ὥραν πρώϊμος καὶ ὄψιμος. Neque aliter D. Iacob. Ep. 5, 2. Heſiod. Ἔργ. 410 ὥριος ὄμβρος. Athenaeus XIIII Deipnoſ. 29 ὡραῖα ἔδατα. *Gronouius.*

ces greges ; [6] nec ſummae tantum terrae laudanda bona, verum et abſtruſorum metallorum felices diuitiae. Iam lini, ſpartique vis ingens : minii certe nulla feracior terra. [7] In hac curſus amnium non torrentes rapidique, vt noceant ; ſed lenes, et vineis campiſque irrigui, aeſtuariiſque Oceani affatim piſcoſi ; plerique etiam diuites auro, quod in paludibus vehunt. [8] Vno tantum Pyrenaei montis dorſo adhaeret Galliae, reliquis partibus vndique in orbem mari cingitur. [9] Forma terrae prope quadrata, niſi quod artantibus freti litoribus in Pyrenaeum coit. Porro Pyrenaei montis ſpatium ſexcenta millia paſſuum efficit. [10] Salubritas caeli per omnem Hiſpaniam aequalis, quia aëris ſpiritus nulla paludium graui nebula inficitur. Huc accedunt et marinae aurae vndique verſus aſſidui flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus, euentilato terreſtri ſpiritu, praecipua hominibus ſanitas redditur.

II

6 *nec ſumma tantum terrae laudanda bona*] Scribe, *nec ſummae tantum terrae laudanda bona. Summae terrae bona* ſunt quae naſcuntur in terrae ſuperficie, vt oleum, vinum, frumentum, fruges, atque opponuntur metallis, quae in mediis terrae viſceribus abdita latent. Seneca IIII de Benef. 6 *Latentium diuitiarum in ſumma terra ſigna diſpoſuit.* et Ep. 90 *Cum incendio ſiluarum, aduſta tellus in ſummo venas iacentes liquefacta ſumſiſſet.* Varro de Re R. I, 29 *Seminaria omne genus vt ſerantur. Putari in primis, circum vites ablaqueari, radices quae in ſumma terra ſunt, praecidi.* Plin. XXI, 2 *Abrotono radix vna, et alte deſcendens : caeteris in ſumma terra leuiter haerens.* Strabo III p. 147 Τὸν δὲ κατύτερον ὀκ ἐπιπολῆς ἐυρίσκεσθαι φησὶν, ἀλλ' ἐρύττεσθαι. *Gronovius.* Gronouius ſcribendum praecipit: *nec ſummae tantum terrae laudanda bona*, quae in ſummitate terrae proueniunt, quibus opponuntur *abſtruſorum metallorum latentes venae.* Graeuius.

7 *diuites auro, quod in paludibus vehunt*] Nihil verius Salmaſiana emendatione: *quod in halucibus vehunt.* Vide Exercitat. Plinianas. Tale eſt, quod nunc ex Guinea in Europam adfertur aurum. *Graeuius.*

II

[1] Corpora hominum ad inediam laboremque, animi ad mortem, parati. Dura omnibus et adstricta parcimonia. [2] Bellum, quam otium, malunt; si extraneus deest, domi hostem quaerunt. [3] Saepe tormentis pro silentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitae. [4] Celebratur etiam bello Punico serui illius patientia, qui vltus dominum inter tormenta risu exultauit, serenaque laetitia crudelitatem torquentium vicit. [5] Velocitas genti pernix, inquies animus: plurimis militares equi, et arma, sanguine ipsorum cariora. [6] Nullus in festos dies epularum apparatus. Aqua calida lauari, post secundum bellum Punicum a Romanis didicere. [7] In tanta saeculorum serie nullus illis dux magnus, praeter Viriatum, fuit: qui annis decem Romanos varia victoria fatigauit; adeo feris propiora, quam hominibus ingenia gerunt; quem ipsum, non iudicio populi electum, sed vt cauendi scientem, declinandorumque periculorum peritum, sequuti sunt. [8] Cuius ea virtus continentiaque fuit, vt, cum Consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutauerit: sed in eo habitu, quo primum bellare coepit, perseuerauerit; vt quiuis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

III

[1] In Lusitanis iuxta fluuium Tagum vento equas fetus concipere multi auctores prodidere: quae fabulae ex equarum secunditate, et gregum

3 *fortior taciturnitatis* etc.] Scribe, *Fortior taciturnitatis cura*. Gronouius.

mu'titudine, natae sunt: qui tanti in Gallaecia, et Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immerito vento ipso concepti videantur. [2] Gallaeci autem Graecam sibi originem asserunt. Siquidem post finem Troiani belli, Teucrum, morte Aiacis fratris inuisum patri Telamoni, cum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi vrbem nomine antiquae patriae Salaminam condidisse. Inde, accepta opinione paternae mortis, patriam repetisse. [3] Sed cum ab Euryface, Aiacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniae litoribus appulsum, loca, vbi nunc est Carthago noua, occupasse: inde Gallaeciam transisse; et positis sedibus genti nomen dedisse. [4] Gallaeciae autem portio, Amphilochi dicuntur. Regio cum aeris ac plumbi vberrima, tum et minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit. [5] Auro quoque ditissima, adeo, vt etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. [6] In huius gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur: sed si quando fulgure terra prosciss est, quae in his locis assidua res est, detectum aurum, velut dei munus, colligere permittitur. [7] Feminae res domesticas, agrorumque culturas, administrant: ipsi armis, et rapinis seruiunt. [8] Praecipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento eius ferrum acrius redditur: nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut Bilbili fluuio, aut Chalybe tinguatur. [9] Vnde etiam Chalybes fluuii huius finitimi appellati; ferroque caeteris praestare dicuntur.

IIII

2 *Salaminam*] Iuntae: *Salamina*. Graeuius.

8 *aut Chalybe tinguatur*] Isaacus Vossius, vir magnus, in notis ad Catullum *Chalybem* ait *fluuium esse inter Anam et Tagum*, qui a Ptolemaeo et Martiano dicatur Καλίπης vel Κάλιτος. Quod credo verum esse. *Graeuius*.

IIII

[1] Saltus vero Tarteſiorum, in quibus Titanas bellum aduerſus deos geſſiſſe proditur, incoluere Cunetes: quorum rex vetuſtiſſimus Gargoris, mellis colligendi vſum primus inuenit. [2] Huic cum ex filiae ſtupro nepos proueniſſet pudore flagitii variis generibus extingui paruulum voluit: ſed per omnes caſus fortuna quadam ſeruatus, ad poſtremum ad regnum tot periculorum miſeratione peruenit. [3] Primum omnium, cum eum exponi iuſſiſſet, et poſt dies ad corpus expoſiti requirendum miſiſſet, inuentus eſt vario ferarum lacte nutritus. [4] Deinde relatum domum, tramite anguſto, per quem armenta commeare conſueuerant, proiici iubet: crudelis prorſus, qui proculcari nepotem, quam ſimplici morte interfici, maluit. [5] Ibi quoque cum inuiolatus eſſet, nec alimentis egeret, canibus primo ieiunis, et multorum dierum abſtinentia cruciatis, mox etiam ſuibus obiecit. [6] Itaque cum non ſolum non noceretur, verum etiam quarundam vberibus aleretur: ad vltimum in Oceanum abiici iuſſit. [7] Tum plane manifeſto quodam numine inter furentes aeſtus, ac reciprocantes vndas, velut naue, non fluctu, vehere-

1 *incoluere Curetes*] Nihil hic Curetibus loci. Corrige cum Iſaaco Voſſio: *incoluere Cynetes*. Sic dicebantur incolae Cunei promontorii proprie, qui poſtea fines ſuos protulerunt. Vide notas eius ad Mel. III, 1. Graeuius.

2 *huic cum ex filiae ſtupro nepos proueniſſet*] MS. *ex filiae aeſtu*. Scripſiſſe Iuſtinum cenſeo: *ex filiae inceſtu*. Inde ſequitur *pudore flagitii*. Graeuius.

ad regnum tot periculorum miſeratione peruenit] Iuntae: *tot periculorum admiratione peruenit*. Vt paullo poſt: *Admiratione tot caſuum periculorumque ab eodem ſucceſſor regni deſtinatur*. Graeuius.

veheretur, leni salo in litore exponitur: nec multo post cerua affuit, quae vbera paruulo offerret. [8] Inde denique, conuersatione nutricis, eximia puero pernicitas fuit; interque ceruorum greges diu montes saltusque, haud inferior velocitate, peragrauit. [9] Ad postremum laqueo captus, regi dono datus est. Tunc et lineamentorum similitudine, et notis corporis, quae inuitae paruulo fuerant, nepos agnitus. [10] Admiratione deinde tot casuum periculorumque, ab eodem successor regni destinatur. [11] Nomen illi impositum Habidis: qui vt regnum accepit, tantae magnitudinis fuit, vt non frustra deorum maiestate tot periculis ereptus videretur: quippe barbarum populum legibus iunxit; et boues primus aratro domari; frumentaque sulco quaerere docuit; et ex agresti cibo mitiora vesci, odio eorum, quae ipse passus fuerat, homines coegit. [12] Huius casus fabulosi viderentur, nisi et Romanorum conditores lupa nutriti, et Cyrus, rex Persarum, cane alitus proderetur. [13] Ab hoc et ministeria seruilia populo interdicta, et plebs in septem vrbes diuisa. [14] Mortuo Habide regnum per multa saecula a successoribus eius retentum est. In alia parte Hispaniae, et quae ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli laetitia est, vt nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. [15] Inde denique armenta Geryonis, quae illis temporibus solae opes habebantur, tantae famae fuere, vt Herculem ex Asia praedae magnitudine illexerint. [16] Porro Geryonem ipsum non triplicis naturae, vt fabulis proditur, fuisse ferunt, sed tres fratres tantae concordiae extitisse,

9 *laqueo captus*] Vid. Not. ad Senec. Octau. 412. *Gronouius.*

se, vt vno animo omnes regi viderentur: nec bellum Herculi sua sponte intulisse: sed cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

V

[1] Post regna deinde Hispaniae, primi Carthaginienses imperium prouinciae occupauere. [2] Nam cum Gaditani a Tyro, vnde et Carthaginiensibus origo est, sacra Herculis, per quietem iussi, in Hispaniam transtulissent, vrbemque ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouae vrbis finitimis Hispaniae populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses misere. [3] Ibi felici expeditione et Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, et maiorem partem prouinciae imperio suo adiecerunt. [4] Postea quoque hortantibus primae expeditionis auspiciis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus, occiditur. [5] In huius locum gener ipsius, Hasdrubal, mittitur; qui et ipse a seruo Hispani cuiusdam, vlciscente domini iniustam necem, interfectus est. [6] Maior vtroque Annibal imperator, Hamilcaris filius, succedit. Siquidem vtriusque res gestas supergressus, vniuersam Hispaniam domuit: inde Romanis illato bello, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigauit: [7] cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus, primo Poenos prouincia expulerunt: postea cum ipsis

1 *post regna deinde Hispaniae*] Atqui dixit in alia Hispaniae parte regnasse Habidem, in alia Geryonem. Est tamen hic locus ὕπτιλος *Gronovius.*

ipsis Hispanis grauia bella gesserunt. [8] Nec prius, perdomita prouincia, iugum Hispani accipere potuerunt, quam Caesar Augustus, perdomito Orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultiorem vitae vsum traductum, in formam prouinciae redegit.

[8] *nec prius, perdomita provincia* etc.] Certissima est haec Fabri elegantissimi coniectura [delentis verba, *perdomita prouincia*]. Graeuius.

FINIS

PROLOGI

HISTORIARVM PHILIPPICARVM POMPEII TROGI

E RECENSIONE

IACOBI BONGARSII

LECTIONIS VARIETATEM

CONIECTVRASQVE VIRORVM DOCTORVM

ADIECIT

IOH. FRIDER. FISCHERVS

FRANCISCO ROSAEO AMBIANO
S
IACOBVS BONGARSIVS

Recte iudicas, Franciſce, eum Qui mores hominum multorum vidit et vrbes, *ad iudicandum ſapientiorem, et ad agendum paratiorem fore. Vidiſſe autem non is ſolum putandus eſt, qui oculatus teſtis, regiones longinquas et vltimas peragrauit: ſed et is, qui et mores hominum, et regionum ſitus, et rerumpublicarum conuerſiones, animo tenet. Sedentibus nobis, id praeſtant hiſtoricorum libri.* Vnde enim, *vt eſt apud M. Tullium,* facilius, quam ex annalium monumentis, aut bellicae res, aut omnis reip. diſciplina cognoſcitur? *Itaque, dum tu Italiae, diſcendi et cognoſcendi cauſſa, inhaeres; et doctorum qui illic ſunt hominum, doctis colloquiis frueris: ego hiſtoricos Graecos et La-*

tinos magnam partem percucurri. Hi mihi Iustinum emendanti, et quam plurimis locis caecutienti, facem praetuleruńt. Reliqui erant in Pompei historias prologi, Latine, arbitror, nunquam editi: e quibus stercoris plus exhausi, quam olim ex Augiae cloacis Hercules ipse: Sed ita contaminata erant omnia, et foede conspurcata, vt caeteris historicis, tanquam auxiliaribus copiis, inter medios hostes destitutus, coactus tandem sim, victus, manum dare. Tu nobis isthic alterum Herculem quaerito. Eos interim tibi, amplissime Franciscę, amicitiae nostrae testificandae, lub. mer. do dico. Gozio et Puchotio multam a me salutem. Vale.

LIBER HISTORIARVM PHILIPPICARVM ET TOTIVS MVNDI ORIGINES ET TERRAE SITVS

[1] Primo volumine continentur haec. Imperium Assyriorum a Nino rege, vsque ad Sardanapallum. [2] Post quem translatum est per Arbacem ad Medos, vsque ad vltimum regem Astiagen. [3] Is a nepote suo Cyro pulsus regno: et Persae regno potiti. Vt Croeso, Lydiae regi, bellum intulit Cyrus: victumque cepit. [4] Hic in excessu dicti Aeolicarum et Ionicarum vrbium situs; origineſque Lydorum, et in Italia Tuscorum. [5] Post Cyrum filius Cambyses Aegyptum domuit. Repetitae Aegypti origines vrbium. [6] Extincto Cambyse, Darius occisis Magis regnum Persicum accepit; captaque Babylone, bella Scythica molitus est.

PROLOGVS LIBRI II

[1] Secundo volumine continentur haec. Scythiae et Ponti situs: origineſque Scythiae, vsque ad bellum, quo est inde pulsus Darius: qui post hanc

Cc 2

I

[1] *Sardanapallum*] Cod. Maximianus, et duo Abr. Gronouii: *Sardanapalum.*

[3] *regno*] Modius: *regno est.*

II

[1] *Scythiae - ad bellum*] Cod. Perizonii: *Scythiae res vsque ad bellum.* Pro *origines* in Codd. quoque Romanis omnibus erat *res.*

hanc fugam Graeciae bellum intulit, per Datin et Tisafernem, quod soli Athenienses tenuere. [2] Hic origines Athenarum repetitae, et reges vsque ad Pisistrati tyrannidem, qua extincta ratione vicere Persas. [3] Vt mortuo Dario filius eius Xerxes bellum Graeciae intulit: ac repetitae origines Thessaliae: expulsoque Graecia Xerxe, bellum ab Athenienſibus translatum in Asiam, vsque ad Xerxis interitum.

PROLOGVS LIBRI III

[1] Tertio volumine continentur haec. Vt mortuo Xerxe filius Artaxerxes, pulso interfectore patris, Artabano, bellum cum defectore Aegypti habuit: primoque dux eius Acchaemenes victus est: iterum per Agabazum Aegypto recepta. [2] Vt

Tisafernem] Cod. Vatic. 1 *Tipharnem.* Sed Bongarsius, Longeruaeus, et Abr. Gronovius, legendum recte viderunt: *Artaphernem.*

tenuere] Cod. Regius, Vaticani duo, Maximianus, et Leidenses duo: *sustinuere.* quam lectionem Vulgatae praeferebant Freinshemius, Vorstius, Longeruaeus.

2 *qua extincta ratione*] Cod. Perizonii: *qua exstincta, Marathone,* sicut iam Longeruaeus emendandum censuerat. Cod. Fuldensis: *qua exstincta radione vincere Persas.* Bongarsius coniiciebat, *qua exstincta, ad Marathonem v. P.*: quod Freinshemio quoque placebat: aut *tyrannidem exstinctam. Qua ratione v. P.* quam eius coniecturam probabat Modius.

III

1 *pulso interfectore*] Bongarsius reponendum coniiciebat: *interfecto interfectore.* Membranae Fuldenses: *pulsus interfectorem patris Artabanum.* vnde Modius legebat, *vltus interf. p. A.*: quam eius coniecturam et Freinshemius probabat, et auctoritas Cod. Perizonii, in quo diserte legitur *vltus*, confirmat. Cod. alter Colbertinus: *Artabano interfecto.* vnde Longeruaeus volebat legi: *pulso interfectore patris ab Artabano, et interfecto.*

Achaemenes] MS. Bongarsii exhibebat: *Acchaemenes.* Cod. Vatic. 1 *Achamenes.* In Membranis Fuldensibus totus locus sic legitur: *primo duce dux Acthamenes victus est, iterum per Agapaxum Aegyptus recepta.* Sed pro *Agabazum* recte

[2] Vt Graecis cum rege pacificatis, bella inter ipsos orta sint. [3] Inde repetitae Peloponnensium origines: vt ab Herculis posteris Dorico populo sit occupata. [4] Deinde bella Argolica et Messiania: coalitique Sicroniae et Corinthio tyranni. [5] Bellum Crisaeum: et quod Athenienses primo cum Boeotis, dein cum Peloponnesiis, gesserunt.

PROLOGVS LIBRI IIII

Quarto volumine continentur res Siculae, ab vltima origine, vsque ad deletam Syracusis Athenienſium classem.

PROLOGVS LIBRI V

[1] Quinto volumine continentur haec. Bellum inter Athenienses et Lacedaemonios, quod Deceleicum vocatur, vsque ad captas Athenas. [2] Vt expulsi sunt Athenis triginta tyranni. [3] Bellum quod Lacedaemonii in Asia cum Artaxerxe gesserunt, propter Grissum initum. [4] Hinc repetitum in excessu Cyri cum fratre bellum; et Graecorum, qui sub eo militauerunt.

recte Bongarsius restituendum e Diodoro docuit, *Megabazum*. Longeruaeus et *Megabyzum* rescribi posse putabat.

3 *Peloponnensium*] Longeruaeus malebat: *Peloponnesi. Dorico*] Cod. vnus Colbertinus: *pro Dorico*.

4 *Messiania*] Freinshemius: *Messenica*, aut *Messeniaca*. Posterius probat Longeruaeus.

coalitique Sicroniae et Corinthio] Longeruaeus e Codd. Romanis corrigebat: *alitique Sicyone et Corinthi*.

Sicroniae] Bongarsius iam rescribendum monuit: *Sicyoniae et Corinthi*. Longeruaeus: *Sicyonii et Corinthii*.

5 *Crisaeum*] Bongarsius coni. *Thyreum*. Rutgersius Var. V, 7 *Crissaeum*. Codd. MSS. Longeruaei omnes: *Crisaeum*.

V

3 *Grissum*] Bongarsius coni. *Cyrum*; quod et Longeruaeus probabat. Codd. Vaticani duo et Maximianus: *Cyricum*.

PROLOGVS LIBRI VI

[1] Sexto volumine continentur haec. Bellum Lacedaemoniorum gestum in Asia cum Persicis praefectis, ducibus belli Herculide et Agesilao, vsque ad praelium nauale factum Cnido: quo victis illis, Athenienses repetiere imperium. [2] Dein bellum Corinthiacum, et bellum Boeotium, quo et euctrix et Mantinae victi Spartani, amisere imperium. [3] In Thessalia deinde Iasonis et post illum Alexandri Epirei coalitum atque extinctum imperium. [4] Tum sociale bellum gestum aduersus Athenienses Achaeis, et Phodiis, et Byzantiis. Transitus hinc ad res Macedonicas.

PROLOGVS LIBRI VII

Septimo volumine continentur origines Macedonicae, regesque a conditore gentis Carano vsque ad magnum Philippum: ipsius Philippi res gestae vsque ad captam vrbem Mothonem. Additae in excessu Illyriorum et Poenum origines.

PRO

VI

1 *Herculide*] Cod. Perizonii, *Hercilide*. Longeruaeus e Cod. Vatic. 1, Xenophonte item Diodoroque et Plutarcho legebat: *Dercyllide*, vel *Dercullide*.

Cnido] Modii editio: *Cnidi*. sine caussa.

2 *euctrix*] Bongarsius emend. *Leuctris et Mantineae*. Et sic habent Codd. Romani tres.

3 *Epirei*] Bongarsius corrig. *Pheraei*: merito applaudentibus Vorstio et Longeruaeo.

4 *Achaeis et Phodiis*] Cod. Vatic. 1 *ab Achaeis et Rhodiis et Byzantiis*. Cod. Vatic. 2 *ab Achaeis et Phocensibus et Byzantiis*. Longeruaeus censebat legendum: *a Chiis et Rhodiis et Byzantiis*: quam eius emendationem in contextum recepit Gronouius. *Rhodiis* Bongarsius iam restituerat.

VII

Poenum] Codd. Colbertini duo: *Poenorum*. Bongarsius coniecerat, *Poconum*: quod recepit Gronouius.

PROLOGVS LIBRI VIII

[1]Octauo volumine continentur res gestae Philippi magni, post captam vrbem Mothonem, a principio belli Phocensis, quod sacrum vocant, vsque ad finem eius: interfectumque huic bellum, quod Philippus cum Calchidoniis vrbibus gessit, quorum clarissimam deleuit Olynthon. [2] Vt Illyrici reges ab eo victi sunt; et Thracia atque Thessalia ab eo subactae: et rex Epiro datus Alexander, electo Aryba: et frustra Perinthos oppugnata.

PROLOGVS LIBRI VIIII

[1]Nono volumine continentur haec. Vt Philippus a Perintho summotus. Bizanti origines, a cuius obsidione summotus Philippus, Scythiae bellum intulit. [2] Repetitae inde Scythicae res, ab his temporibus, in quibus illa prius finierant, vsque ad Philippi bellum, quod cum Mathea, Scythiae rege, gessit. [3] Vnde reuersus, Graeciae bellum intulit: victusque Cheroneae, cum bella Persica moliretur,

VIII

1 *interfectumque*] Bongarsius corrig. *interiectumque*. quae est lectio Cod. Regii, et trium Romanorum.

Calchidoniis] Bongarsius censebat legendum, *Chalcidoniis*. Freinshemius et Vorstius: *Chalcidicis*. quod et Longeruaeus sequitur, et Gronouius recepit.

2 *ab eo*] Absunt haec verba in membranis Fuldensibus, et libris scriptis Leidensibus duobus.

electo] Bongarsius corrig. *eiecto*. Longeruaeus malebat, *deleto*.

VIIII

1 *Bizanti*] Modii editio: *Bizantii*.

2 *in quibus illa prius finierant*] Codd. Modii: *in quibus illas prius finieramus*, *quae ad* etc. Ipse Modius censebat legendum: *in quibus illas prius finierat*. Freinshemius Vulgatam probabat.

Mathea] Bongarsius emend. *Athea*. quod Longeruaeus probabat, et recepit Gronouius.

3 *Graeciae*] Longeruaeus malebat: *Graecis*. eumque sequutus Gronouius recepit in contextum.

victorque] Bongarsius coni. *victusque*. Cod. Vatic. 1 *victisque*

praemissa classe cum ducibus, a Pausania occupatis angustiis nuptiarum filiae occisus est, priusquam bella Persica inchoaret. [4] Repetitae res inde Persicae a Dario Notho, cui successit filius Artaxerxes cognomine nemone: qui post fratrem Cyrum victum, pulsaque Cnido per Conona classe Lacedaemoniorum bellum cum Euagora, rege Cyprio, gessit: originesque Cypri repetitae.

PROLOGVS LIBRI X

[1] Decimo volumine continentur Persicae res, vt Artaxerxes Annemon pacificatus cum Euagora, rege Cyprio, bellum Aegyptium in vrbe Ace compararit: ipse in Caduſiis victor: effectores in Asia purpuratos suos persequutus, primum Dopanem, praefectum Paphlagonaon origo repetita. [2] Dein praefectum Hellesponti Ariobarzanen: deinde in Syria praefectum Armeniae Orontem, in omnibusque victis decesserit, filio successore Ocho. [3] Is

Etisque Ceroneae. Et Gronovius se e duobus MSS. recepisse ait hanc ipsam lectionem, *victisque.*

occupatus angustiis] Codd. Romani omnes: *occupatis angustiis nuptiarum filiae occisus est.* Nomen *die* deesse, iam Bongarsius viderat.

4 *nemone*] Hic, et sequenti libro, leg. *Mnemon*, monente Bongarsio.

X

1 *Annemon*] Codd. Vaticani, *Mnemon.*

Ace] Codd. quidam Longeruaei, *Accon.*

effectores] Bongarsius ex coniectura, et Longeruaeus e Cod. Maximiano, *defectores.* quod recepit Gronouius.

Dopanem] *Datamem* legendum docuerunt Freinshemius, et Longeruaeus. Et Gronovius recepit.

Paphlagonaen] Bongarsius, Freinshemius, et Longeruaeus: *Paphlagonum.* quos sequutus est Gronouius.

origo repetita] Bongarsius: *origo Paphlagonum repetita.* Freinshemius: *eorum or. rep.* Vorstius et Longeruaeus: *quorum or. rep.*: quod recepit Gronouius. Modius repetit *Paphlagonum* bis.

2 *in Syria*] Longeruaeus: *Syriae.*

Armeniae] Idem Vir doctus corrig. *ac Mysiae.*

in omnibus] *In* delendum esse, monuit iam Bongarsius.

[3] Is deinde occisis optimatibus Sidon accepit; Aegypto bellum ter intulit. [4] Vt post mortem Ochi regnarit Arsen. Deinde reus, qui cum Alexandro, Macedonum rege, bello conflixit.

PROLOGVS LIBRI XI

Vndecimo volumine continentur res gestae Alexandri Magni, vsque ad interitum regis Persarum Darii. Dictaeque in excessu origines et reges Cariae.

PROLOGVS LIBRI XII

[1] Duodecimo volumine continentur Alexandri Magni bella Bactriana et Indica vsque ad interitum eius. Dictaeque in excessu res a praefecto eius Antipatro in Graecia gestae, et ab Archidamo, rege Lacedaemoniorum, Molloſſaque Alexandro in Italia, quorum ibi est vterque cum exercitu deletus. [2] Additae his origines Italicae Apulorum, Samnitum, Sabinorum; et vt Zopyrion in Ponto cum exercitu periit.

3 *Sidon accepit*] Bongarsius et Longeruaeus coni. *Sidona cepit*. Gronouius id recipere non dubitauit.

ter] Freinshemius coni. *tertium*, vel *tertius*.

4 *Arsen*] Longeruaeus, et Gronouius ex Epitoma Hist. MS. *Arses*.

deinde reus] Bongarsius iam emendabat, *dein Dareus*, quam emendationem et Longeruaeus probabat. Gronouius: *DeinDarius*.

XII

1 *Molossaque*] Bongarsius corrig. *Molossoque*.

quorum ibi est vterque] Quidam perperam legunt: *vbi est cum exercitu deletus*.

2 *origines Italicae - Samnitum*] Cod. Maximianus: *Italicae populorum*, [pro *Apulorum*] *Lucanorum*, *et Samnitum*. *Lucanorum* addiderat iam e suis membranis Modius. Codd. Vaticani duo: *Italiae populorum* etc.

PROLOGVS LIBRI XIII

[1] Tertio decimo volumine continentur haec. Vt mortuo Alexandro optimates castrorum eius prouinciarum imperia sint partiti : vt veterani, qui ab eodem lecti erant in colonias, moliti relictis illis in Graeciam redire a Phithone sint deleti. [2] Bellum Lamsacum, quod Antipater in Graecia gessit. [3] Bellum quo Perdiccas regem Ariaratem occidit, et occisus est. [4] Bellum, quo Eumenes Neoptolemum et Craterum occidit. Additae in excessu origines regesque Cyrenarum.

PROLOGVS LIBRI XIIII

[1] Quarto decimo volumine continentur haec. Bellum inter Antigonum et Eumenem gestum. Quem vt Cappadocia expulit Antigonus, sic Phrygia maiore Aridaeum et Cliton : victus in Hellesponto nauali bello. [2] Repetitum rursus bellum ab Eumene per Argyraspidas ; quo victus ab Antigono interiit. [3] Vt in Macedonia Cassander, victo Polyperchontere, captaque ad fatorem mychia, matrem

XIII

1 *Phithone*] Longeruaeus emend. *Pithone*. Eum sequutus ita edidit Gronouius.

2 *Lamsacum*] Bongarsius, et Longeruaeus : *Lamiacum*. quam lectionem recte recepit Gronouius.

3 *bellum quo - occisus est*] Bongarsius coni. *occidit, is vt deinde occisus est*. Longeruaeus: *occidit, et vt ipse Aegyptum cum exercitu petens occisus est*. Gronouius edidit: *occidit, et vt occisus est*.

XIIII

1 *sic Phrygia maiore - Cliton*] MS. Lugdunensis et duo Colbertini pro *maiore* exhibebant *minore*. vnde Vossius coni. *quem vt Cappadocia expulit Antigonus, sic Phrygia minore Aridaeum. Vt Clitus victus* etc. Assentiebatur Vossio Vorstius. Longeruaeus volebat : *et Lydia Cliton : et vt a Clito victus* etc. MS. Perizonii : *et Cliton victos*. vnde Gronouius fecit : *et Clitos victus*.

3 *Polyperchontere, captaque*] Bongarsius locum deprauatum corrigebat sic : *Polyperchonte, receptaque a def. Mumychia, mat. Al. Olympiada, Pydnae obs. interf.* Codd. Vatic. duo, et Maximianus : *Receptaque a Nicanore Micina*

PROLOGVS LIBRI XVI

[1] Sexto decimo volumine continentur haec. Vt mortuo Cassandro, ortisque inter filios eius certaminibus, Demetrius adiutor alteri adhibitus, occiso eo, Macedoniae regnum tenuit: quo mox euictus a Pyrrho, Epiri rege, translatis in Asiam bellis, captus a Seleuco decessit. [2] Ptolemaeus nuncupato succedente filio Filadelpho decessit. [3] Vt Lysimachus in Ponto captus ac missus Andromache; rursus in Asia ciuitates, quae sub Demetrio fuerant, et in Ponto Heracleam occuparit. [4] Repetitae inde Bithyniae et Heracleoticae origines; tyrannique Heracleae Clearchus et Satyrus et Dionysius, quorum filiis interfectis Lysimachus occupauit vrbem.

PROLOGVS LIBRI XVII

[1] Septimo decimo volumine continentur haec. Vt Lysimachus, occiso filio Agathocle, per nouercam Arsinoën, bellum cum rege Seleuco habuit, quo victus interiit: vltimumque certamen commilitonum Alexandri fuit. [2] Vt Seleucus amissis in Cappadocia cum Diodoro copiis, interfectus est ab Ptolemaeo fratre Arsinoës vxoris Lysimachi, in cuius

XVI

1 *euictus*] Modius coni. *ejectus*. quod est in Cod. Reg. et probabant Freinshemius et Vorstius. Gronouiusque recepit adeo in contextum. Sed Codd. Romani exhibent Vulgatam. Longeruaeus volebat inde: *a quo mox euictus*.

3 *Andromache*] Bongarsius coni. *ab Dromichaete*. Codd. Vaticani: *a Romiche*. Maximianus: *a Romuche*. Longeruaeus emend. *ac dimissus est a Dromichete*. Recepit hanc coniecturam Gronouius.

4 *quorum filiis*] Sic omnes libri scripti, quos inspexit Longeruaeus. Ipse coni. *cuius filiis interfectis* etc.

XVII

1] *vltimumque*] Ioh. Frid. Gronouius, coni. *quod vltimum*.

2 *vt Seleuc.*] *amissis*] Sic Mod. et MS. Perizonii. Gronouius deleuit particulam *vt*.

matrem Alexandri Olympiadanae obsessam interfecit.

PROLOGVS LIBRI XV

[1] Quinto decimo volumine continentur haec. Vt Demetrius, Antiochi filius, Gazae victus est ab Ptolemaeo. [2] Vt Cassander in Macedonia filium Alexandri regis interfecit: ac alterum Polyperconutes. [3] Vt Ptolemaeum vicit classe Demetrius: idemque ab obsidione Rhodi summotus est. [4] Repetita in excessu origo Rhodiorum: vnde digressus Demetrius liberauit a Cassandro Graeciam. [5] Dein pater eius Antigonus bellum cum Lysimacho et Seleuco habuit. [6] Repetitae Seleuci res, et regis Indiae Sandrocotti. [7] Vt victus bello Antigonus interiit; reliquiaeque imperii sunt a filio collectae: et Leonimidiae inde Spartani res gestae Corcyrae et Illyrico, et in Italia: qui ablata Corcyra, rex Cassander interiit.

PRO

Micina matrem Alexandri Olympiadem interfecit. leg. *rec. a Nicanore Munichia.* Codd. Colbertini duo post *obsessam* inserunt haec: *et captam ad fauorem populi interfecit.* Quae verba et Gronouius in libris scriptis tribus inuenit et in contextum recepit non minus, quam lectionem *Olympiada Pydnae obsessam*, ex edit. Mod.

XV

1 *Antiochi*] Bongarsius corrig. *Antigoni.* quod exhibet Cod. Reg. Eandem emendationem et Longeruaeus probabat.

2 *Polyperconutes*] Freinshemius emend. *Polyperchontes.*

7 *Sunt a filio collectae*] Cod. Maximianus: *collecta a Demetrio.* Colbertini, et Thuaneus: *a filio eius sunt collectae Demetrio.* Et sic edidit Gronouius.

Leonimidiae] Bongarsius rescrib. *Leonidae.* Longeruaeus: *Cleonymi deinde Spartani res gestae Corcyrae et in Illyrico, et in Italia.* nam Cod. Vatic. 1 *Et Leonymi deinde Spartani.* Recepit Gronouius.

qui ablata] Freinshemius: *cui ablata.* quod recepit Gronouius. Longeruaeus coni. *vtque abactus Corcyra r. C. i.*

ius vicem Ptolemaeus cognomine Ceraunus, creatus ab exercitu rex, Macedoniam occupauit: bella cum Antiocho et Pyrrho compoſuit, datis Pyrrho auxiliis, quibus iret contra Romanos, defenſum Tarentum. 3 Inde repetitae origines regum Epiroticorum, vſque ad Pyrrhum: ipſiuſque Pyrrhi res geſtae, priuſquam in Italiam traiecit.

PROLOGVS LIBRI XVIII

1 Octauo decimo volumine continentur res a Pyrrho Epirota in Italia geſtae contra Romanos. 2 Poſtque id bellum, tranſitus eius in Siciliam aduerſus Carthaginienſes. 3 Inde origines Phoenicum, et Sidonis, et Veliae, Carthaginumque res geſtae in exceſſu dictae.

PROLOGVS LIBRI XVIIII

1 Vndeuicesimo volumine continentur res Carthaginienſium in Africam per rubellum annorum geſtae: et in Siciliam, cum Selinum Temetegantum

Ptolemaeus] Longeruaeus cenſebat legendum: *Ptolemaeus ille, cogn. Cer.*

Antiocho] Longeruaeus et hic volebat ex Plutarcho legi: *cum Antiocho, Antigono, et Pyrrho.*

XVIII

3 *Sidonis*] Cod. Maximianus, *Sidoniorum.* quod praeferebat Vulgato Longeruaeus, et recepit e MS. Perizonii Gronouius.

Veliae Carthaginumque] Sic habent Codd. omnes. Sed Longeruaeus poſt Bongarſium corrig. *Vticae Carthaginienſiumque.* Recepit Gronouius. Alii pro *Veliae* edidere *Tyri.*

XVIIII

1 *in Africam*] Bongarſius corrig. *in Africa*; et mox, *in Sicilia.*

per rubellum annorum] MS. Pe. Pithoei habebat adſcriptum, *per Aſdrubalem, Amilcarem et Annonem,* quod probabat Bongarſius, et Longeruaeus reperit in Codd. Colbertinis. Recepit Gronouius. In Vatic. 2 erat, *per Amonem.* Membranae Modii, *per ſu bellum annonum geſtae.* Alii edidere: *per numerum multorum annorum.*

Selinum] Bongarſius coni. *cum Selinuntem, et Agrigentum, et Gam. et Gel. cep.* quam emendationem et Longeruaeus

tum et Gamerinam et Gelam ceperunt: quo bello Dionysius Syracusanus Siciliae regnum occupavit. [2] Bellum quod cum eo Phoeni per Homilconem gesserunt, quod obsidione Syracusarum exercitum et classem amisit.

PROLOGVS LIBRI XX

[1] Vicesimo volumine continentur res gestae Dionysii Siculi patris. Vt pulsis Poenis Italica bella sit molitus. [2] Inde repetitae origines Venetorum, et Graecorum et Gallorum, qui Italiam incolunt. [3] Deductisque Dionysii rebus ad interitum eius, dictae quas Anno magnus in Africa gessit.

PROLOGVS LIBRI XXI

[1] Vno et vicesimo volumine continentur haec. Vt in Sicilia Dionysius filius a patre amisso tractarit imperium. [2] Per Dionysius iectus bellum cum Siculis gessit; donec amissis liberis et fratribus Corinthum statim oleonthe Carthaginiensium bello

geruaeus protulit, nisi quod pro *Gamerinam* legit *Camarinam*. Codd. Vaticani non habebant *Gelam*, et in Colbertino altero erat *Geram*. *Selinuntem* reperit Gronouius in MS. Perizonii. Ipse recepit lectionem Longeruaei.

2 *Phoeni per Homilconem*] Bongarsius leg. *Poeni per Imilconem*. Cod. Maximianus; *Poeni per Himilconem gesserant, quo* etc.

quod obsidione] MSS. Modii: *quaadsidione*. vnde Modius faciebat: *quoad obsidione*. Ioh. Frid. Gronouius coni. *qui obsidione*.

XXI

1 *a patre*] Bongarsio redvndare videbatur τὸ *a*.

2 *per Dionysius iectus*] Bongarsius totum locum ita legebat: *per Dionem eiectus bellum cum Sic. gessit: don. am. lib. et fratre Corinth. fecessit: vt a Timoleonte* etc. Cod. Vatic. 2 et Maximianus: *perinde eiectus*. vnde Longeruaeus: *Per Dionem inde eiectus*. quod recepit Gronouius

Corinthum statim oleonthe] Modius malebat: *Corinthum abiit, vt a Timol.* etc. In Cod. Vatic. 1 erat, vt edidit Bongarsius. Vatic. 2 et Maximianus: *statim proficiscitur, vt*

ab

bello sit liberata Sicilia: mortuoque Pisistrato iterum facta seditione arcessiti quam ad bello Carthaginienses obsederunt Syracusas: quo bello Agathocles nanctus imperium est.

PROLOGVS LIBRI XXII

[1] Secundo et vicesimo volumine continentur haec. Res gestae Agathoclis; vt a Poenis nanctus imperium bellum cum ipsis gessit, primum in Sicilia, dehinc victus, traiecit in Africam, vbi possessa prouincia Opellam, regem Cyrenarum, interfecit. [2] Vt rursus in Siciliam reuersus, occupata totius insulae dominatione, cum reuertisset in Africam, amissis copiis, solus inde profugit in Siciliam: belloque ibi repetitus, et cum Poenis pacem composuit, et dissidentes a se Siculos subiecit.

PROLOGVS LIBRI XXIII

[1] Tertio et vicesimo volumine continentur haec. Vt Agathocles, domita Sicilia, bellum in Italia Bruttiis intulerit. [2] Repetitae inde Bruttiorum origines; omnibus subactis rex, seditione filii exheredati ac nepotis oppressus, interiit. [3] Inter peregrinos deinde milites eius et Siculos bellum motum:

ab Agathocle Carthaginensium. Longeruaeus emend. *Corinthum succesſit, vt a Timoleonte Carth. bello lib. fit Sicil.*, vt coniecerat Bongarsius. Recepit Gronouius.

Pisistrato] Longeruaeus reposuit: *Sosistrato.* quem sequutus est Gronouius. Idem Longeruaeus deinde leg. *arcessit adiutores belli Carth. seditioſi obſ. Syr.*

arcess. quam] Bongarsius leg. *arcessiti ad bellum.* Gronouius e MS. Perizonii edidit: *arcessitique.* Ioh. Frid. Gronouius leg. *mortuoque eo, ab Sosistrato iterum facta seditione, arcessiti cum Hannibale Carthaginienses obsederunt Syracusas.*

XXII

1 *Opellam*] Longeruaeus corrig. *Ophellam*, Recepit Gronouius.

2 *repetitus, et cum*] Alii perperam: *repetito, cum.*

motum: quae causſa Pyrrhum, regem Epiri, in Siciliam adduxit: bellaque Pyrrhus cum Poenis et Mamertinis ibi gessit: et a Sicilia reuersus in Italiam victus praelio a Romanis reuertit in Epirum.

PROLOGVS LIBRI XXIIII

[1] Quarto et vicesimo volumine continentur bellum, quod inter Antigonum Gonatam, et Antiochum Seleuci filium in Asia gestum est. [2] Bellum, quod Ptolemaeus Ceraunus in Macedonia cum Monio Illyrio et Ptolemaeo, Lysimachi filio, habuit: vtque Arsinoën sororem suam imperio Macedonicarum vrbium exuit. [3] Ipse, cum Belgio, Gallorum duce, congressus, interiit. [4] Repetitae inde Gallorum origines, qui Illyricum occuparant, atque vt ingressi Graeciam, Brenno duce, Delphis victi deletique sunt.

PROLOGVS LIBRI XXV

[1] Quinto et vicesimo volumine continentur haec. Vt Antigonus Gallos deleuit: deinde cum Apollodoro, Cassandreae tyranno, bellum habuit. [2] Vt Galli transierint in Asiam, bellumque cum rege Antigono et Bithynio gesserunt: quas regiones selini

XXIII

3 *bellaque Pyrrhus*] Modius edidit: *bella quae Pyrrhus*. quae est ipsa lectio MS. Reg.

et a Sicilia] Freinshemius malebat: *vt a Sicilia*. Idem videbatur Vorstio.

reuertit] Colbertini Codd. duo: *reuertitur*.

XXIIII

1 *continentur*] Modii aliaeque editt. *continetur*. Freinshemius probabat Vulgatam.

2 *Monio Illyrico*] Cod. Colbertinus alter: *Myrilo*. quam lectionem veram esse putabat Longeruaeus.

XXV

2 *Antigono*] Longeruaeus rescrib. *Antiocho*, vt erat in Codd. Vaticanis duobus. Et mox inter *Bithynio* et *gessérunt* volebat inseri, *Zypoete*.

Bithynio] Freinshemius malebat: *Bithynis*.

felini occuparunt. [3] Vt Pyrrhus ex Italia reuersus, regno Macedoniae Antigonum exuerit, Lacedaemoniam obsederit; Argis interierit; filiusque eius Alexander Illyricum cum Mytilo bellum habuerit.

PROLOGVS LIBRI XXVI

[1] Sexto et vicesimo volumine continentur haec. Quibus in vrbibus Graeciae dominationem Antigonus Gonatas constituerit. [2] Vt defectores Gallos Megaris deleuit: regemque Lacedaemoniorum, Area, Corinthi interfecit. [3] Dehinc cum fratris sui Crateri filio Alexandro, bellum habuerit. [4] Vt princeps Achaiae Aratus Sicuonem et Corinthum et Megara occuparit. [5] Vt in Syria rex Antiochus, cognomine Soter, altero filio occiso, altero rege nuncupato Antiocho, decesserit. [6] Vt in Asia filius Ptolemaei regis socio Timarcho desciuerit a patre. [7] Vt frater Antigoni Demetrius, occupato Cyrenis regno, interiit. [8] Vt mortuo rege Antigono, filius eius Seleucus Gallinicus regnum acceperit.

PROLOGVS LIBRI XXVII

[1] Septimo et vicesimo volumine continentur haec. Seleuci bellum in Syria aduersus Ptolemaeum. [2] Item

felini] Longeruaeus coni. *Galli*. In Codd. tamen scriptis omnibus erat *Felini*, vel *Selini*.

3 *Lacedaemoniam*] Modius edidit, *Lacedaemonem*.

XXVI

2 *Area*] Codd. Colbertini, *Arean*: sicut iam ediderat Modius.

4 *Sicuonem*] Modius: *Sicionem*. Idem mox pro *Megara* edidit *Megaram*.

8 *Antigono*] Longeruaeus emend. *Antiocho*: deinde *Callinicus* pro *Gallinicus*.

XXVII

1 *Ptolemaeum*] Longeruaeus censebat addendum, *Typhonem*, e Cod. Maximiano. Quod ipsum cum Gronouius in MSS. duobus reperisset; non dubitauit recipere.

[2] Item in Asia aduersus fratrem suum Hieracem: quo bello angurae victus est a Gallis. [3] Vtque Galli Pergamo victi ab Ataloziae lambitunum occiderint. [4] Vt Ptolemaeus eum denuo captum interfecerit: et Antigonum andro praelio nauali prona vicerit: et a Gallinico fusus, in Mesopotamia Antiochus insidiantem sibi effugit Artamenem. [5] Dein postea custode Stryponio, quo a Gallis occiso Seleucus quoque frater eius decesserit, maioremque filiorum eius Epacorios occiderit.

PROLOGVS LIBRI XXVIII

[1] Octauo et vicesimo volumine continentur haec. Vt mortuo rege Epiri Alexandro, Laudamiam Epirotae occiderint. [2] Dictique in excessu Bastarnici motus.

2 *Hieracem*] Edit. Mod. *Antiochum Hieracem.* quod ipsum Gronouius inuenit in iisdem duobus MSS.

Angurae] Cod. Maximianus, *Ancyrae.* quod recepit Gronouius.

3 *ab Ataloziae lambitunum*] Modius edidit: *ab Attalo Lambitunum.* Freinshemius corrig. *ab Attalo, Zybaeam,* vel *Zielam, Bithynum,* vel antiquo more, *Bithunum.* Recepit Gronouius. Longeruaeus: *Victi ab Attalo, Zyelam Bithynium,* vel *Bithunium.* nam sic distingui locum ait in Cod. Maximiano et Colbertino vno.

4 *Ptolemaeus eum denuo*] Longeruaeus coni. *Ptolemaeus Ptolemaeum denuo.*

prona vicerit] Edit. Modii, *Oprona.* Longeruaeus: *peruicrit.* In Codd. eius erat *Oprona,* vel *Oppiona. Peruicerit* recepit Gronouius.

et a Gallinico] MS. Reg. *vt a Gallinico.* Longeruaeus, *et a Callinico.*

Artamenem] Vossius coni *Ariamenem.* Freinshemius: *effugit Artamenem: dein postea custodes Tryphonis.* Longeruaeus: *Antiochus insidiantem sibi effugit Ariamnem.* sic scriptum nomen inuenit in Codd. Vaticanis, in quibus ipsis erat *custodes Tryphonis.* quam lectionem etiam Gronouius in MS. Perizonii reperit. vnde illam recepit.

5 *Epacorios*] Codd. Romani, *Epatorius.* Colbertini, *Epicarium,* aut *Epacorium.* Leg. Freinshemius et Longeruaeus, *Apaturius.*

XXVIII

2 *Basternici*] Modsiu edidit, *Bastarnarum.* Ioh. Frid. Gronouius volebat, *Bastarnaci.*

motus. [3] Vt ex Macedonia Demetrius ſit a Dardanis fuſus; quo mortuite Kc filii eius Philippi ſuſcepit, Antigonuſque Theſſaliae in Aſiam Cariam ſubiecit: et adiutis Achaeis contra regem Spartanum Cleomenem, coepit Lacedaemona: amiſſoque regno Cleomenes Spartanos conſufugit Alexandriam, atque ibi interiit. [4] Dictum in exceſſu bellum Illyricum, quod Romani geſſere cum Teuta.

PROLOGVS LIBRI XXVIIII

[1] Vndetriceſimo volumine continentur haec. Res geſtae Philippi regis aduerſus Dardanos, et Aetulos. [2] Repetitaeque inde Creticae origines: [3] Poſt cuius inſulae ſocietatem, Philippus cum Illyriis, et Dardanis, et rurſus Aetolis bello congreſſus eſt: adiuuantibus Aetolos Romanis: Quo finito intulit Aetolis bellum.

3 *vt ex Macedonia - Cariam*] Longeruaeus emend. *vt exiens e Macedonia Demetrius ſit a Dardanis fuſus. Quo mortuo tutelam filii eius Philippi ſuſcepit Antigonus, qui Theſſaliam, Moeſiam, Dardaniam, ſubiecit.* Cod. Maximianus: *quo mortuo filius eius Philippus ſuſcepit Antigonus.* Etiam Cod. Perizonii exhibebat, *tutelam filii eius Philippi.*

ex Macedonia] Edidit Modius: *rex Macedoniae.* Recepit Gronouius.

quo mortuite] Bongarſius coni. *quo mortuo tutelam filii eius Philippi ſuſcepit Antigonus, qui Theſſaliam, Moeſiam, Cariam ſubiecit.* MS. Voſſii: *quo mortuiteem filii eius.* vndè faciebat Voſſius: *quo mortuo, tuitionem filii eius Philippi ſuſcepit Antigonus, qui Theſſaliam, Moeſiam, Daciam ſubiecit.*

Lacedaemona] MS. Voſſ. *Lacedaemoniam.*

Cleomenes Spartanos conſufugit] Modius: *Spartanus*, vt eſt in Cod. Maximiano. Longeruaeus: *Cleomenes Spartanus cum coniuge fugit Alexandriam.* Gronouius edidit, *Spartanus confugit.*

Teuta] Florus II, 5, 2 habet *Teuca.* Sed in MSS. eſt *Teutana.*

XXVIIII

1 *Aetulos*] Edidit Modius: *Aetolos.* Codd. Colbertini duo, *aduerſus Romanos et Aetolos.*

2 *Aetolis*] Longeruaeus emend. *Athenienſibus.*

PROLOGVS LIBRI XXX

[1] Triceſimo volumine continentur haec. Vt mortuo Ptolemaeo Vtrufphonae, filius eius Philopater Antiochum regem vicit, rapi ei poeamare gathocleae corruptus deceſſit, relicto filio pupillo: in quem cum Philippo rege Macedonum conſenſit Antiochus. [2] Philippi deinde geſta in Aſia, cum mouiſſet Aetola bella. A quibus reuerſus bellum habuit cum ducibus Romanis Sulpicio et Flaminio, quibus victus, pax. [3] Tranſitus deinde ad res Antiochi, qui poſt regnum acceptum perſequutus defectores in Media Molonem, in Aſia Maccheum, quem obſedit Sardibus: pacata ſuperiore Aſia Bactris tenus, in Romana bella deſcendit.

PROLOGVS LIBRI XXXI

[1] Vno et triceſimo volumine continetur bellum, quod cum Lacedaemonio Nauide Titus Flamininus et Philopoemen dux Achaichorum geſſit. [2] Item bellum, quod cum Antiocho in Achaia per Achilium conſulem, et in Aſia per Scipionem geſtum

XXX

1 *Ptolemaeo Vtrufphonae*] Rutgerſius Var. V, 7 leg. *Tryphone*. rectiſſime. nam in Codd. Romanis hanc lectionem reperit Longeruaeus: et Gronouius in MS. Perizonii. vnde et illam recepit.

vicit rapi ei poeamare] Voſſius coni. *Antiochum regem vicit turpique poſtea amore Agathocleae corruptus deceſſit*. Valeſius [ad excerpta Polyb. 12] legit *Raphiae ipſe amore*. Et ſic edidit Gronouius fide duorum Codd. MSS. Longeruaeus volebat: *Vicit rapiturque ipſi praemium Agathocleae amore corrupto. Deceſſit.*

2 *Flaminio*] Bongarſius corrig. *Flaminino, a quibus victus*. Longeruaeus: *a quibus victus pax tranſigitur.*

3 *Maccheum*] Freinshemius et Longeruaeus: *Achaeum*. Codd. Colbertini duo: *in Aſiam Achaeum.*

XXXI

1 *Nauide*] Edit. Modii, et Longeruaeus: *Nabide.*

Achaichorum] Bongarſius, et Longeruaeus: *Achaeorum.*

gestum est. [3] Denique Annibalis ad regem ab Carthagine fuga. [4] Bellum cum Acholis gestum per eundem Achilium, qui Antiochum Graecia expulerat.

PROLOGVS LIBRI XXXII

[1] Secundo et tricesimo volumine continentur haec. Defectio ab Achaeis Lacedaemoniorum et Messeniorum, qua Philopoemen interiit. [2] Romanorum in Asia ducem ambo, aduersum Gallos bellum. [3] Regis Philippi, propter ablatas sibi ciuitates, alienatus in Romanos animus; et ob hoc alter filiorum Demetrius occisus: Concitatique ab eo Basternae, transire conati in Italiam. [4] Inde in excessu dictae res Illyricae: vt Galli, qui occuparant Illyricum, rursus redierunt in Galliam, originesque Pannoniorum, et incrementa Daciorum, per Ruboboston regem. [5] In Asia bellum a rege Eumene gestum aduersus Gallium Ortiagonem, Parnecem Ponticum, et Prusiana, adiuuante Prusiam Annibale Poeno. [6] Res gestae Annibalis post victum Antiochum. Et mox mortuo Seleuco filio magni Antiochi successit regno frater Antiochus.

3 *ab Carthagine*] Modius: *a Carthagine.*

4 *Acholis*] Bongarsius et Longeruaeus: *Aetolis.* Idem mox pro *Achilium* rescrib. *Acilium.*

XXXII

2 *in Asia ducem ambo*] Bongarsius, et Longeruaeus: *duce Manlio.* Recepit Gronouius. Pro *aduersum* idem Longeruaeus leg. *aduersus*: vt etiam est in edit. Modii.

4 *redierunt*] Editio Modii, *redierint.*

5 *Gallium Ortiagonem*] Bongarsius emend. *Gallum Ortiagontem, et Pharn. Pont. et Prusiam.* Etiam Longeruaeus corrig. *Gallum Ortiagontem*; et mox, *Pharnacem.* Vtrumque recepit Gronouius. Sed Freinshemio ferendum tamen videbatur τὸ *Gallium.*

6 *Antiochum. Et mox*] Editio Modii, *Antiochum, et mors.* quod probabat Freinshemius.

PROLOGVS LIBRI XXXIII

[1] Tertio et tricesimo volumine continentur haec. Vt cum Perse, Philippi filio, rege Macedonum, Romani bellum gesserint: quo capto deleta est Epiros. [2] Aetolicae ciuitates ab vnitate corporis deductae, inter Achaeos et Lacedaemonios certamine orto: Bellum rursum in Macedonia gestum a Romanis cum seu Philippo.

PROLOGVS LIBRI XXXIIII

[1] Quarto et tricesimo volumine continentur haec. Bellum Achaicum, quod Romani per Macellum et Mummium gessere: quo diruta est Corinthus. [2] Bellum regis Eumenis cum Gallograecis et in Pisidias cum Selegensibus. [3] Res quas gessit Syriae rex Antiochus, et rex Aegypti Ptolemaeus. [4] Repetitae inde origines regum Cappadocum. Epiphanes, vt mortuo Ptolemaeo, relicti ab eo filii duo Filometor et Euergetes, primum cum Antiocho habuere bellum: quod per Romanos finitum est; deinde inter se, quo maior est expulsus: restitu-

XXXIII

2 *Aetolicae*] Bongarsius emend. *Achaicae.*

ab vnitate corporis deductae, inter etc.] Bongarsius legebat, et distinguebat verba sic: *deductae: inter Achaeos et Lacedaemonios certamen ortum.*

cum seu Philippo] Bongarsius, et Longeruaeus: *Pseudophilippo*; sicut diserte legitur in Cod. Maximiano.

XXXIIII

1 *Macellum*] Bongarsius repon. *Marcellum.* Cod. Reg. *Metillum.* vnde Freinshemius faciebat, *Metellum.* quod recepit Gronouius.

2 *in Pisidias cum Seleg.*] Longeruaeus cum Bongarsio corrig. *in Pisidia cum Selgensibus.*

Ptolemaeus. Repetitae] Bongarsius leg. *Ptolemaeus Epiphanes. Repetitae inde orig. reg. Cappadocum. Vt mortuo Ptol.*

4 *repetitae inde origines regum*] MS. Voss. *repetitae inde res rerum Cappadocum.* Pro *rerum* monebat rescribendum *regum.*

Epiphanes, vt mortuo Ptolemaeo] Longeruaeus: *vt mortuo Epiphane Ptolemaeo.*

reſtitutoque, Romani inter fratres regna diuiſerunt. [5] Vt mortuo rege Syriae Antiocho, Demetrius, cognomine Soter, qui Romae fuerat obſes, clam fugit; occupataque Syria bellum cum Timarcho, Medorum rege, habuit, Ariarathe rege Cappadocum. [6] Vt habita inter Ariaten et Orphernem regni certamina. [7] Vt mortuo rege Aſiae Eumene, ſuffectus Attalus bellum cum Selegenſibus habuit, et cum rege Pruſia.

PROLOGVS LIBRI XXXV

[1] Quinto et triceſimo volumine continentur haec. Bellum Ripaticum inter Cretas et Rhodios: ſeditio Chidiorum aduerſum Cerinenſes. [2] Et aduerſus Demetrium Sotera ſubornatus eſt Alexander, tamquam genitus Epiphane Antiocho: quo bello victus Demetrius inuiſum ſtultitia Alexandrom bello vicit, adiuuante Ptolemaeo Filometore, qui eo bello interiit. [3] Vt deinde orta Demetrio bella ſint cum Diotoro Tryphone: expulſuſque a Try-

5 *cum Timarcho - Ariarathe*] Longeruaeus leg. *cum Timarcho rege Macedonum, et Ariarathe.* Particulam *et* inſerendam, iam Bongarſius monuerat.

6 *vt habita* etc.] Longeruaeus cum Bongarſio leg. *Vt habita inter Ariarathem et Orophernem* etc.

Selegenſibus] Longeruaeus corrig. *Selgenſibus.*

XXXV

1 *Ripaticum*] Leg. cum Bongarſio, *Piraticum*: vt vidit quoque Longeruaeus.

ſeditio Chidiorum adu. Cerinenſes] Modius edidit, *Cuidiorum.* Probat hoc Longeruaeus, et pro *Cerinenſes* reſtituit *Ceramenſes*; quod reperit in Cod. Perizonii Gronovius, et recepit. Cod. Vatic. 2 *ſeditio Eginorum aduerſus Catanenſes.* Cod. Maximianus: *ſeditio Egniorum adverſus Ceranenſes.*

2 *victus Demetrius*] Longeruaeus leg. *victus Demetrius. Filius eius Demetrius inuiſum ſtultitia Alexandrum bello vicit.*

Alexandrom] Edit. Modii, *Alexandrum.*

3 *Diotoro*] Bongarſius et Longeruaeus leg. *Diodoto.*

phone regno Syriae Demetrius. [4] Repetit inde superioris Asiae motus, factos per Areteum et Asacem Phartum.

PROLOGVS LIBRI XXXVI

[1] Sexto et tricesimo volumine continentur haec. Vt Cypro pulsus Syria Demetrio, captaque a Parthis, bellum gessit cum fratre eius Antiocho cognomine, sed vt Antiochus interfecto Hyrcano, Iudaeos subegit. [2] Repetita inde in excessu origo Iudaeorum. [3] Vt rex Asiæ Attalus Cenostracas subegit: succesforemque imperii Attalum Philometora reliquit. [4] Mortuo denique Philometore regno Asiae occupato, bellum cum Romanis gessit, qua pactus est.

PROLOGVS LIBRI XXXVII

[1] Septimo et tricesimo volumine continentur haec. Repetitis regum Ponticorum originibus, vt vltimum Mithridatem neupatora series imperii deducta

4 *Areteum*] Edit. Modii, *Aretheum*. Freinshemius coni. *Aretam*. Sed Longeruaeus: *Ariarathem, et Arsacem Parthum*.

XXXVI

1 *vt Cypro ... subegit*] Bongarsius emend. *vt Trypho, pulso Syria Demetrio, captoque a Parthis, bel. gess. cum fr. eius Ant. cognomine Sedete. Vt Antiochus* etc. Longeruaeus sic restituit locum: *vt Trypho, pulso Syria Demetrio, captoque a Parthis, bellum gessit cum fratre eius Antiocho, cognomine Sidete. Vt Antiochus, interfecto Tryphone, Hyrcanum et Iudaeos subegit.*

3 *Cenostracas*] Vossius leg. *Thynos Thracas*. Longeruaeus: *Caenos, Thracas*. Recepit Gronouius.

4 *mortuo - pactus est*] Coniiciebat Bongarsius: *Aristonicus regno Asiae o. b. c. R. g. quo captus est*. Longeruaeus: *Mortuo denique Philometore Aristonicus, regno Asiae occupato, bellum cum Romanis consulibus gessit, quo captus est*. Tò *consulibus* addidit e Cod. Maximiano.

XXXVII

1 *vt vltimum Mithrid. eup.*] Bongarsius coni. *vt vltimum ad Mithr. Eup.* Freinshemius: *vt*

cta sit: [2] Atque vt ingressus ille regnum, subegit Pontum et Paphlagoniam, priusquam in bella Romana descendit. [3] Dictaeque in excessu regnum Bosphoranorum et Colchorum origines, et res gestae.

PROLOGVS LIBRI XXXVIII

[1] Octauo et tricesimo volumine continentur haec. Vt Mithridates eupatore occiso Arathe Cappadociam occuparit; victoque Nicomede et Malthino Bithyniam. [2] Vt mortuo Ptolemaeo Philometore. Ac frater eius Ascon accepto regno Aegypti seditione populi: deinde bellum cum vxore sua Cleopatra et cum rege Syriae Demetrio habuit. [3] Inde repetitum, vt Demetrius captus sit a Parthis, [bellumque] intulerit, qui cum exercitu suo deletus est.

vt ad vltimum Mithrid. in Eupat. Longeruaeus: *vt ad vltimum Mithr. Eupat.* In eiusdem Longeruaei Codd. erat *Neupatora*, vel *Neopatora*. Modius: *vltimum in Mithr.* Cod. Perizonii: *vt in vltimum Mithr.* quod recepit Gronovius.

3 *in excessu*] Codd. Leidenses duo, *in excursu.*

XXXVIII

1 *Eupatore*] Bongarsius et Longeruaeus leg. *Eupator.* *Arathe*] Freinshemius et Longeruaeus: *Ariarathe.* quod erat in Cod. Maximiano. *occuparit*] Longeruaeus: *occupauit.*

2 *Ptol. Philom. Ac fr. eius Ascon*] Bongarsius leg. *vt mort. Ptol. Philometore, frater eius Physcon accepit regnum Aeg.* Freinshemius: *accepto regno Aegypti, seditionem populi; deinde bellum* etc. Longeruaeus: *frater eius Physcon accepto* etc. Codd. Vaticani duo: *Ascon.*

3 *bellum intulerit* etc.] Bongarsius: *bellumque iis intul. Antiochus, qui* etc. Longeruaeus e Codd. Vaticanis et Maximiano: *vt Demetrius captus sit a Parthis; et frater eius,*

PROLOGVS LIBRI XXXVIIII

[1] Nono et triceſimo volumine continentur haec. Vt extincto a Parthis Antiocho Sidete, frater eius Demetrius dimiſſus regnum Syriae recepit; ſubornatoque in bellum aduerſus eum Alexandro Zabbineo interiit: filiuſque Antiochus Grypos, victo Zabbineo regnum occupauit. [2] Dehinc cum fratre ſuo Antiocho Yzigeno bellum in Syria Ciliciaque geſſit. [3] Vt Alexandria, mortuo rege Ptolemaeo Phyſcone, filius eius Ptolemaeus Latyros, accepto regno expulſus eſt a matre Cyprum; et in Syria bello petitus ab eadem, ſuffecto in locum eius Alexandrone, occiſa per Alexandrum matre recepit Aegypti regnum. [4] Vt poſt Laphyrum filius Alexandri regnarit, expulſoque eo ſuffectus ſit Ptolemaeus Nothus. [5] Vt Syriam Iudaei et Arabes terreſtribus latrociniis infeſtarint. [6] Mari Cilices Piraticum bellum mouerunt, quod in Cilicia Romani per

eius, victo in Syria Tryphone, bellum Parthis intulerit, qui cum exercitu ſuo deletus eſt. Addicit MS. Perizonii, et recepit Gronouius.

XXXVIIII

1 *Sidete*] Editio Modii, *Sedete*. Eadem mox *Grypos* exhibet pro *Gryppos*.

2 Yzigeno] Bongarſius corrig. *Cyzicene*. Cod. Maximianus exhibebat, *Cyzigeno*.

3 *Alexandria, mortuo*] Freinshemius malebat, *Alexandriae mortuo*.

Latyros] Edit. Modii: *Lathyros*. Longeruaeus totum locum ita legebat: *expulſus eſt a matre in Cyprum, et in Syriam, bello petitus ab eadem, ſuffecto in eius locum Alexandro, donec occiſa per Alexandrum.*

Alexandrone] Codd. Leidenſes duo, *fratre Alexandro*, Bongarſius coni. *Alexandro, donec occ.*

4 *Laphyrum*] Bongarſius emend. *Lathyrum*.

5 *infeſtarint. Mari*] Freinshemius legebat, et diſtinguebat ita: *infeſtarent, mari Cil. pirat. bellum mouerint.*

per Antonium gesserunt, [7] Vt in Syria eracleo post mortem regis occuparint imperium.

PROLOGVS LIBRI XXXX

[1] Quadragesimo volumine continentur haec. Vt mortuo Cypro rege, Cizycenus cum filiis eius bello congressus, interiit. [2] Hii deinde a filio Cizyceni esebe extinctaque regubi Antiochorum domo, Tigranes Armenius Syriam occupauit. [3] Quo mox victo, Romani abstulere eam. [4] Vt Alexandriam post interitum Ptolemaei Latirii substituti sint: eius filia alteri data Cypros, cui post Claudii rogationem Romani abstulerunt eam; alter seditione flagitatus Alexandreae Romae

6 *per Antonium*] Ita Bongarsius edidit, et legitur in Cod. Perizonii. Longeruaeus volebat, *cum duce Antonio*. Alii, *per Antigonum*.

7 *eracleo*] Freinshemius ex Iosepho, *Heracleo*. Cod. Vatic. 1, *vt in Syriam edeo post*. Vatic. 2, *vt in Syriam ebeo post*. Longeruaeo locus videbatur ita restituendus: *vt in Syria Arabes Antiocho (occiso) post mortem regis imperium occuparint*.

XXXX

1 *Cypro*] Leg. cum Bongarsio et Longeruaeo, *Grypo*. Mox pro *Hii* edit. Modii *Hi*.

2 *a filio Cizyceni* etc.] Bongarsius coni. *a filio Cyziceni Eusebe interfecti*: *extinctaque regali* [vt est in edit. Modii] aut *regum*, *Antiochorum*. Codd. Romani, *extincta regum Antiochorum*. vnde Longeruaeus: *a filio Cyzicene Eusebe*; *vtque ext. reg. Ant. domo*.

3 *quo*] Bongarsius malebat, *Quoi*, aut *cui*.

4 *vt Alexandriam* etc.] Bongarsius coni. *vt Alexandreae post int. Ptol. Lathyri subst. sint eius filii, alteri* etc. Idem probabat Longeruaeus.

Claudii] Codd. Vaticani duo, et Maximianus: *Publii Claudii rogatione*. quod probabat Longeruaeus.

flagitatus] Bongarsius coni. *exagitatus*, *Alexandrea Romam*. Modius edidit: *agitatus Alexandria Romam*. Longeruaeus: *exagitatus Alexandriae*, *Romam*. Vulgatam *flagitatus* tuetur Ioh. Frid. Gronouius Obseru.

mam profugit : belloque per Gabinium gesto recepit imperium : quo mortuo successit filius, qui cum sorore Cleopatra certamine insumpto, et Pompeium magnum interfecit, et bellum cum Caesare Alexandriae gessit. [5] Vt successit eius soror regno Cleopatra, quae inligato in amorem suum M. Antonio, belli Actiaci fine extinxit regem Ptolemeicorum.

PROLOGVS LIBRI XXXXI

[1] Vno et quadragesimo volumine continentur res Parthicae et Bactrianae. [2] In partilis, vt est constitutum imperium, per Assacem regem. [3] Successores deinde eius Artabanus, et Tigranes cognomine Deus : a quo subacta est Media et Mesopotamia. [4] Dictusque in excessu Arabiae situs. [5] In Bactrianis autem rebus, vt a Diudoto rege constitutum est : deinde quo repugnante Scythicae gentes Sarancae et Asiani Bactra occupauere Socdianos. [6] Indicae quoque res additae, gestae per Apollodotum et Menandrum reges eorum.

PRO

serv. ad script. Eccles. p. 149, et retinuit nepos.

insumpto] Freinshemius coni. *sumpto*.

5 *regem*] Bongarsius refcrib. *regnum*. Pro *Ptolemeicorum* in editione Modii est *Ptolemaicorum*.

XXXXI

2 *in partilis*] Bongarsius corrig. *in Parthicis - Arsacem*. Vorstius coni. *in Parthis*. quod et Longeruaco placebat.

3 *Tigranes*] Longeruaeus: *Mithridates*.

5 *a Diodoto*] Bongarsius emend. *vt a Diodoto regnum const. est*. Idem arridebat Longeruaeo.

quo repugnante] Longeruaeus : *quo rege pugnante*.

Sarancae] Longeruaeus : *Saracancae et Asiani Bactros occupauere et Sogdianos*. Bongarsius coni. *Arriani Bactra occupauere et Socdianos*.

6 *Indicae quoque* etc.] Longeruaeus : *Indicae res addi-*

PROLOGVS LIBRI XXXXII

[1] Secundo et quadrageſimo volumine continentur Parthicae res. [2] Vt praefectus Parthis Apraeteus Meſſenis bellum intulit in Babylonios et Seleuciniſſe, victuſque Phyratis ſucceſſit rex Mithridates cognomine Magnus, qui Armenis bellum intulit. [3] Inde repetitae origines Armeniorum, et ſitus. [4] Vt varia complurium regum in Parthis ſucceſſione, imperium accepit Orodes, qui Graſſum deleuit et Syriam per filium Pacorum occupauit. [5] Illi ſucceſſit Phraates, qui et cum Antonio bellum habuit, et cum Tiridate. [6] Additae res Scythicae. Reges Thoclarorum Aſiani, interituſque Sarducarum.

PROLOGVS LIBRI XXXXIII

Tertio et quadrageſimo volumine continentur origines [Priſcorum] Latinorum, ſitus vrbis Romae:

tae ex Apollodoro, geſtae per Menandrum et Eucratidam reges eorum.

XXXXII

2 *Apraeteus* etc.] Longeruaeus: *a Phraate Imerus Meſſ. bi i., vtque in Babyl. et Seleucienſes ſaeuiit, vtque Phraati ſucceſſit.* Etiam Valeſius [ad exc. Diod. Sic. p. 581 pro *Apraeteus* reſtituit *Phraate Himerus*, et ex MS. legit, *Meſenis bellum intulit, et in Babylonios ac Seleucenſes ſaeuiit.*

Phyratis] Bongarſius coni. *Phrahati.* Mox pro *Armenis* editio Modii *Armeniis.*

4 *Graſſum*] Editio Modii, *Craſſum.*

5 *Phraates*] Bongarſius coni. *Phrahati.* Editio Modii, *Phrahates.*

6 *Thoclarorum*] Bongarſius coni. *Thocariorum.* Longeruaeo placebat, *Tacharorum.*

Sarducarum] Freinshemius coni. *Carduccborum.* Longeruaeus: *Sacarancarum.*

Romae : et res vſque ad Priſcum Tarquinium. Origines [deinde] Liguriae , et Maſſilienſium res geſtae.

PROLOGVS LIBRI XXXXIIII

Quarto et quadrageſimo volumine continentur res Hiſpaniae et Punicae.

XXXXIII

et res] Cod. Vatic. 2, *et reges.*

Liguriae] Cod. Vatic. 2, *Hiſpanicae. Ligurum.*

XXXXIIII

Hiſpaniae] Editio Modii,

FINIS

IACOBI BONGARSII

EXCERPTIONES CHRONOLOGICAE

AD

IVSTINI HISTORIAS

ACCOMMODATAE

AD

IOANNEM NOELIVM

Quod oculus olim Polyphemo, id nobis in hiſtoriarum lectione notatio temporum: quae apud Iuſtinum nulla eſt. Quid itaque aliud eſſe dicemus, quam

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum?

Trogum ipſum negligentiae accuſandum, nemo mihi perſuadeat: Iuſtini abbreuiatoris facinus eſt. Ergo ne quid huic auctori a me deeſſet, ex Euſebii et Hieronymi Chronico, ad optima et antiquiſſima exemplaria MSS. Clariſſimi Viri Claudii Puteani, et doctiſſimi mihique amiciſſimi P. Danielis, a me collato, excerpſi et exſcripſi, quae lucis aliquid afferre Iuſtino noſtro poterant: non quidem omnia, ſed ſumma faſtigia rerum. Nam illud iniuriam eſſet facere amico noſtro Laur. Bochello, a quo

veteres Chronologos emendatiores et auctiores exſpectamus. Comparaui autem cum Euſebio Georgium Monachum, cuius Graecum codicem mecum vir eruditionis ſingularis Franciſcus Pithoeus communicauit; et e noſtris Beroaldum, Funccium. Illi LXX Interpretes, hi Hebraeos ſequuntur Codices: tanta opinionum varietate, vt Euſebio Nini regis annus primus incurrat in annum mundi $\overline{III}$ CXXXXI, Georgio in $\overline{III}$ CCLXXI, Beroaldo in annum MDCCCCLXV, Funccio in MDCCCCVI. Huius varietatis originem pluribus perſequerer, niſi laborem iſtum mihi amici illius noſtri leuaret labor. Interim lumen hoc tibi, cariſſime Noëli, accendi, ne forte in hiſtoriae huius tenebris aberres: et vt illius

Trunca manum pinus regit, et veſtigia firmat;

ita haec velim amplectaris excerpta, quo tutius poſſis et firmius ingredi. Adferent tibi fortaſſe in huius auctoris lectione non paruum adiumentum. Ad hiſtoriarum ſtudium vt accedas, requirit aetas tua; requirunt haec tempora, quibus mature firmare animum expedit conſtantibus exemplis. Ea vnde petas, niſi ex hiſtoriis?

Hiſto-

Hiſtoriarum autem cognitionem ſi inchoare a Salluſtii, Liuii, Taciti lectione volueris, neque recte feceris, neque ordine: abrupta eſt, aut interrupta, in eorum libris hiſtoriae ſeries. Ab hoc tibi auctore principium ſit hiſtorici ſtudii. Hic a Nino, qui primus eſt τῶν εἰς ἱστορίαν καὶ μνήμην παραδεδομένων, ad Auguſtum Caeſarem, non, vt Atticus apud M. Ciceronem, ſeptingentorum; ſed vt Cornelius Nepos omne aeuum, id eſt, duum millium annorum memoriam, vno libro colligauit. Tu, Noëli dulciſſime, vtere, fruere hac qualicunque opera mea; quae ſi promouendis ſtudiis tuis fuerit, ſatis magnum laboris mei fructum tulero. Vale.

EXCERPTIONES

CHRONOLOGICAE

EVSEBIVS

Cum diuinam Scripturam diligenter euolueris, a natiuitate ABRAHAM vsque ad totius Orbis DILVVIVM, inuenies retrorsum annos DCCCCXXXXII. Item a DILVVIO vsque ad ADAM II CCXXXXII

Anni Mundi	REGNVM ASSYRIORVM	
3141	*Primus omni Asia, exceptis Indis, regnauit* NINVS F. *Beli, annis*	52
	de quo Iustinus I, 1.7	
3193	II. SEMIRAMIS I, 1. 10	42
3235	III. *Zameis, qui et Ninyas*, ibid.	38
3273	IIII. *Arius*	30
3303	V. *Aralius*	40
3343	VI. *Xerxes, qui et Balaeus*	30
3373	VII. *Armamitres*	38
3411	VIII. *Belochus*	35
3446	VIIII. *Balaeus*	52
3498	X. *Altadas*	32
3530	XI. *Mamithus*	30
3560	XII. *Macchaleus*	30
3590	XIII. *Sfaerus*	20

Anni Mundi	REGNVM HEBRAEORVM ET ATHENIENSIVM	
3184	*Nini* XXXXIII *anno natus* ABRAHAM, *vixit annos*	175
	de eo Iustinus XXXVI 2. 3	
3283	*Zoroastres clarus habetur* I, 1. 9	
	Abraham, cum centenarius esset, genuit filium ISAAC. *is vixit annos*	180
3344	*Sexagenario Isaac nascitur* IACOB, *qui postea Israbel, a quo Israhelitae, qui nunc Iudaei. vixit annos*	147
3435	*de eo* XXXVI, 2. 3 *Ioseph nascitur: vixit venditur a fratribus annum agens* XVII. XXXVI, 2.6	110
3609	MOYSES *nascitur: vixit annos*	120

Anni

Anni Mundi	REGNVM ASSYRIORVM		Anni Mundi	REGNVM ATHENIENSIVM	
3610	XIIII. *Mamilus*	30	3644	XXXV *anno Moysis Cecrops regnat in Attica* II, 6. 7	50
3640	XV. *Sparaethus*	40			
3680	XVI. *Ascatades*	40	3689	*Moyses* LXXX *ann. agens dux itineris ex Aegypto Hebraeorum gentis efficitur* XXXVI, 2. 11	
	Diluuium sub Deucalione Eusebius retulit in ann. XXXV *Cecropis. Iustinus ad tempora Amphyctionis refert* II, 6. 10		3694	*Athenienſ.* II *Cranaus* II, 6. 8	9
			3703	III. *Amphictyon* II, 6. 16	10
			3713	IIII. *Erichthonius*	50
3720	XVII. *Amyntes*	45	3763	V. *Pandion*	40
3765	XVIII. *Belochus*	25	3803	VI. *Erichtheus Triptolemus frumenta distribuit* II, 6.12	50
3790	XVIIII. *Bellepares*	30			
3820	XX. *Lamprides*	32			
3852	XXI. *Sosares*	20	3853	VII. *Cecrops secundus. Huius ann.* XXII *Dionysius, qui et Liber pater, aduersum Indos dimicans, Nisam vrbem iuxta Indum flumen condidit* XII, 7. 6	40
3872	XXII. *Lampares*	30			
3902	XXIII. *Pannias circa an. huius* XVI *Tyrus condita. vide* XVIII, 3. 1	45			
			3893	VIII. *Pandion*	25
3947	XXIIII. *Sosarmus*	19	3918	VIIII. *Aegeus Pandionis F.* II, 6. 14	48
3966	XXV. *Mithraeus Vexoris rex Aegypti. secundum Oros. lib.* I *cap.* 34, *de quo* III, 1.8 *Is I, 1. 6 antiquior Nino dicitur*	27		*Sub quo Argonautarum nauigatio* XXXXII, 2. 12	
				Hercules consummat certamina II, 4. 18	
			3966	X. *Theseus* II, 6. 15 *Cocalus in Sicilia* IIII, 2. 2	50
3993	XXVI. *Tautanes*	32		XI. *Menesthеus Peteo, Amazones Priamo tulere subsidium* II, 4. 31	23
	LATINIS, *qui post ea Rom. nuncupati sunt, post tertium annum captiuitatis Troiae. sive vt quidam volunt post annum* VIII, *regnauit* AENEAS, *annos* III. *Ante Aeneam Ianus, Saturnus*		4019	TROIA CAPTA. *Colligitur omne tempus a* XXXXIII *ann. regni Nini, ad captam Troiam, anni* DCCCXXXV *A natiuit. Moysis an.* CCCCX	

Anni Mundi		
	nus, Picus, Faunus, Latinus, in Italia regnauerunt, annis circiter CL. 43, 1. 6 *Post Aeneam Ascanius an.* XXXVIII : 43. 1. 13	
4025	XXVII. *Teutaeus*	40
4065	XXVIII. *Thineus*	30
4095	XXVIIII. *Dercylus*	40
4135	XXX. *Eupales*	38
4173	XXXI. *Laoſthenes. Huius anno* XIIII *Carthago conditur a Didone. vide* XVIII, 5. 14	45
4218	XXXII. *Piritiades*	30
4248	XXXIII. *Ofrataeus*	20
4268	XXXIIII. *Ofrataees*	50
4318	XXXV. *Acrazapes*	42
4360	XXXVI. *Thonos Concoleros, qui vocatur Graece Sardanapalus* I, 3. 1	20
4380	*Regnum Aſſyriorum deſtructum.*	

4019	XII. *Demophoon Theſei F.* II, 6. 15 *Pyrrhus Delphis in templo Apollinis ab Oreſte occiditur, proditione ſacerdot. Machaer.* XVII, 3. 7	33
4042	XIII. *Oxynthes*	12
4054	XIIII. *Aphidas*	1
4055	XV. *Tibimoetes*	8
4063	XVI. *Melanthus*	37
4110	XVII. *Codrus Melanthi F.* II, 6. 19	21
4131	*Hoc interemto, regnum Erechthidarum deſtructum eſt, quod* CCCCLXXXVII *annis perſeuerabat Poſt Codrum, Principes quos mors ſiniebat, quorum primus Medon Codri F.*	

Omnes anni regni Aſſyriorum, a primo anno Nini ſupputantur MCCXXXX, inquit Euſebius: ex ipſa ratione vno anno minus prodit. Iuſtinus habet MCCC: Georgius Monachus, alia regum ſerie, MCCCLX

Anni Mundi	REGNVM MEDORVM *Medorum primus* ARBACES *annis* I, 3. 6	28
4409	II. *Soſarmus*	30
4439	III. *Medidus*	40

Anni Mundi	*Olympiades*	GRAECORVM ET LYDORVM *Lycurgi leges in Lacedaemone, iuxta Apollodori ſententiam, hac aetate ſuſceptae* II, 3. 7 etc.
4400	1	OLYMPIAS PRIMA *a captiuitate Troiae an.* CCCCV. *Hic initium habet vera hiſtoria. nam ſuperiora variis ſunt implicita fabulis. Varro apud Cenſor.*

Anne

Anni Mundi					
	Circa Olymp. VIIII *Lacedaemonii contra Messenios vicennale bellum habent* III, 4 etc.		4449	6	*Athenis principes qui vsque ad mortem praeerant, esse desierunt. Et in* X *annos magistratuum consuetudo versa est: regnauitque primus Charops F. Aeschyli*
			4480	14	*Bellum, quod in Thyria inter Lacedaemonios et Argiuos gestum est. de quo Prolog.* III
4493	V. *Deioces*	54	4484	16	CANDAVLES, IIII *rex Lydorum, regnavit annos* XVII: I, 7. 14
			4501		*Lyd:* V *Gyges, an.* XXV
4546	VI. *Fraortes*	24	4517	24	*Athenis annui principes constituti sunt.* II, 7. 2
4570	VII. *Cyaxares*	32	4605	46	*Solon leges scripsit Athenienſium, vt Gell.* XXXIII *Tarquinii.* II, 7. 4
4602	VIII. *Astyages*	38			

Anni Mundi	MACEDONVM		Anni Mundi	Anni ab vrbe condita	LATINORVM ET ROMANORVM	
4387	*Macedonum primus* CARANVS, *annis* VII, 1. 7	28	4381		XIIII. *Latinorum rex*, PROCAS *Siluius, an.* XV. *Amulius, pulso Numitore.* XXXXIII, 2. 1	23 44
4415	II. *Coenus*	12	4404		*Huius anno* XXIIII *Remus et Romulus generantur Marte et Ilia.* XXXXIII, 2. 3	
4427	III. *Tyrimmas Theraei Cyrenen condiderunt circa* IIII *Olymp.* XIII, 7 *Olymp.* VIIII MIDA *regnavit in Phrygia* XVII, 7. 14	38	4446		*Anno* III *Olymp.* VI, *vt alii* VIII, ROMA *Parilibus, qui nunc dies festus est, condita.* XXXXIII, 3. 1 *Primus rex Romanus*	

Anni Mundi		
4465	IIII. *Perdicca* VII, 2. 1	51
4516	V. *Argaeus* VII, 21. 2	36
4554	VI. *Philippus* VII, 2. 5	38
4592	VII. *Europus*, ibid.	26

Anni Mundi	*Anni ab V. C.*	ROMVLVS, *vt alii*, XXXVII: *et inter-regnum vno anno*	38
4484	38	II. *Numa Pompilius*, *vt alii* XXXXIII	41
4527	79	III. *Tullus Hostilius*	32
4557	111	IIII. *Ancus Martius*, *vt alii* XXIIII	23
4580	134	V. *Tarquinius Priscus*, *vt alii* XXXVIII *Massilia condita*, 43, 3. 4	37

Omnes anni regni Medorum CCLVIIII, si Eusebii λογισμὸν sequamur. Diodoro et Georgio in regum appellationibus, et temporibus non conuenit cum Eusebio, neque ipsi inter se consentiunt.

Anni Mundi	REGNVM PERSARVM		*Anni Mundi*	*Olympiad.*	LYDORVM ET GRAECORVM
4640	CYRVS *regnauit Persis, subuerso Astyage.* I, 6. 17	30	4638	54	*Croesus Lyd.* VIIII *an.* 15. 1, 7. 3
				55	*Pisistratus Atheniensium tyrannus* II, 8. 6
4670	II. *Cambyses.* I, 9. 1	8	4653	58	*Croesus a Cyro captus est, et Lydorum regnum destructum, quod stetit ann.* CCXXX
4678	III. *Fratres Magi, mensibus* 7. I, 9. 9				
4679	IIII. *Darius.* I, 9. 10	36	4709	72	*Darii ann.* XXX. *Bellum quod in Marathone gestum est* II, 9. 7, *circa an. V. C.* CCLX. *Gellius, cui cum nostra ratione non conuenit*
4715	V. *Xerxes F. Darii.* II, 10. 9	20			
4735	VI. *Artabanus, de quo* III, 1. 2: *menses* 7		4721	75	*Xerxis an.* VI. *Bellum in Thermopylis et apud Salaminam, nauale certamen* II, 10. 12 *et* II, 12. 21, *An. ab V. C.* CCXXII, *vt Gellius: et insequenti anno in Plataeis et in Mycale* II, 14. 7 *Pausan damnatus* II, 15. 16
4736	VII. *Artaxerxes, qui Longimanus cognominabatur.* III, 1. 3	40			

Anni

Anni Mundi			Anni Mundi	Olympiad.	
	VIII. *Xerxes II, mensibus* 2				*Artax. ann.* IIII. *Cimon iuxta Eurymedontem Persas nauali pedestrique certamine superat, et Medicum bellum conquiescit.* II, 15. 18. *Diod. retulit in an.* III *Ol.* LXXVII
4776	VIIII. *Sogdianus, mens.* 7				
4777	X. *Darius cognomento Nothus*	19			
			4769	87	*Eius an.* XXXIII *initium belli Peloponnesiaci: quod Gellius refert in an. V. C.* CCCXXVIII, *nisi legas* CCCXVIII. 3, 6. 8
4796	XI. *Artaxerxes, qui cognominatus est Mnemon, Darii et Parisatidis F.* V, II. 2	40	4782	90	*Darii an.* V *clades, quae Athenientibus accidit in Sicilia.* IIII, 5
	Cyri regis ascensus, de quo scribit Xenoph. V, II. 5		4786	91	*Eiusdem an.* VIIII *Alcibiades profugus abit ad Tisapher.* V, 2. 5
			4801	94	*Artax. an.* V *Athen. sustinent tyrannidem, ad an. fere V. C.* CCCXXXXVII, *vt Gell.* V, 8 2
	Conon classi Persicae praeficitur VI, 1. 9				
4836	XII. *Artaxerxes, qui et Ochus.* X, 3. 1	26			*Alcibiadem Pharnabazus interficit* V, 8. 14
			4802	95	*An.* I, *qui fuit* VI *Artax., Tyranni Athenis oppressi* V 10. 9
4862	XIII. *Arses Ochi F.*	4			
4866	XIIII. *Darius Arsami F.*	6		104	*Clearchus Heracleae Tyrannus, annis* XII. *Diod.* XVI, 4. 6

Anni Mundi	MACEDONVM		Anni Mundi	An. ab V. C.	ROMANORVM ET SICVLORVM	
4618	VIII. *Alcetas*	29				
4647	VIIII. *Amyntas* VII, 2. 13	50	4617	171	VI. *Seruius Tullius.*	34
			4651	205	VII. *Tarquinius Superbus*	35
					Pythagaras in Italiam venit, auctor Gellius. Laërtius Olymp. LX *floruisse scribit, vtde Sol. c.* 21: *Plin. l.* 2 *c.* 8: *Iust.* 20, 4. 2	
4697	X. *Alexander* VII, 2. 1	43	4686	240	*Pulsi vrbe reges*	

Anni Mundi			*Anni Mundi*	*An. ab V. C.*	*Rom. reges imperauerunt ann. CCXXXX siue, vt quibusdam placet CCXXXXIII*
4740	XI. *Perdicca*	28	4700	254	*Circa Olymp. 70, 71 etc. Anaxilaus in Sicilia regnat, et post eum Mycithus, Olympiad. 76*
4768	XII. *Archelaus*	24			*Diod. XI: Iust. IIII, 2. 4*
					Eodem fere tempore Gelo obtinuit Syracusas, a quo victi Carthaginienses XXIII, 4. 4
4792	XIII. *Oreſtes*	3		*O-*	
4795	XIIII. *Archelaus*	4		*lym-*	*Circa finem imperii*
4799	XV. *Amyntas*	1		*piad.*	*Darii Nothi, Dionysius in Sicilia tyrannidem exercet, ann. XXXVIII: 20, 1 etc.*
4800	XVI. *Pausanias*	1	4794	93	
4801	XVII. *Amyntas VII, 4. 3*	6			*Anno ab vrb. cond. CCCXXXXVII*
4807	XVIII. *Argaeus*	2			*Gellius*
4809	*rursum Amyntas*	18	4811	97	*Vt Diodor. et Halic. XCVIII, Galli Senones Romam inuaserunt VI, 6. 5. Ab V. C. an. CCCLXV.*
4827	XVIIII. *Alexander VII, 4. 5*	1			*Liuius*
4828	XX. *Ptolemaeus Alorites*	4		103	*Vt Diodor. CV, Dionysius rex Siciliae an. XXXVIII moritur.*
4832	XXI. *Perdicca VII, 4. 5*	6			*Post quem Iunior Dionysius regnum inuadit XXI, 1. 1*
4838	XXII. *Philippus circa ann. V. C. CCCC, vt Gellius: VII, 5. 10*	10			*Is Ochi an. X Sicilia pellitur XXI, 2. 8*
4864	XXIII. ALEXANDER *Phil. F. Olymp. CXI. an. 12, mens. 6: XI, 1. 7*				*Et eiusdem XXI, Corinthum sub foedere nauigat XXI, 5. 2*

Anni Mundi	*Olympiadis*	
		PERSARVM regnum stetit annis CCXXXII, XI, 14. 7 etc.
		Interfecto Dario, ALEXANDER regnum Asiae,
4872	113 *a. 4*	anno regni sui VII, occupat. Is XXXII aetatis
4876	114	suae anno moritur in Babylone: XII, 16. 1. Post quem, translato in multos imperio, regnauit

Anni

Anni Mundi	Oly.	AEGYPTO		Anni Mundi	Oly.	MACEDONIBVS	
						XXIIII. *Philippus; qui et Aridaeus, frater Alexandri*	
4876	114	I. *Ptolemaeus Lagi F.* XIII, 4. 10	40	4876	114	XII, 3. 1	7
		Lydiam et Thraciam et Hellespontum Lysimachus tenuit XIII, 4. 16				*Bellum Lamiacum* XIII, 5. 1	
				4883	115	XXV. *Cassander* XV, 2. 12	19
		a quo Lysimachia in Thracia condita XVII, 1. 2		4902	120	XXVI. *Filii Cassandri Antigonus (Iustino est Antipater, et Georgio) et Alexander* XVI, 1. 1 etc.	4
				4906	121	XXVII. *Demetrius* XVI, 1. 18	6
4916	124	II. *Ptolemaeus Philadelphus* XXVI, 2. 7	38	4912	122	XXVIII. *Pyrrhus, mens.* 7: XVI, 2. 3	
				4913		XXVIIII. *Lysimachus* XVI, 3. 2	5
				4918	124	XXX. *Ptolemaeus cognomento Ceraunus* XVII, 2. 4 et XXIIII, 1. 8	1
4954	133	III. *Ptolemaeus Euergetes, de quo* XXVI, 2. 1	26	4919		XXXI. *Meleagrus, mens.* 2	
						XXXII. *Antipater dies* 45	
						XXXIII. *Sosthenes* XXIIII, 5. 13	2
4980	140	IIII. *Ptolemaeus Philopater* XXVIIII, 4. 5	17	4921	125	XXXIIII. *Antigon. Gonatas* XXV, 1. 1	
						XXVI, 3. 8	36
				4957	134	XXXV. *Demetrius* XXVIII, 1. 1	10
				4967		XXXVI. *Antigonus* XXVIII, 1. 16	15
4997	144	V. *Ptolemaeus Epiphanes* XXX, 2. 6 et XXXI, 1. 1	24	4982	140	XXXVII. *Philippus* XXVIII, 4. 16	42
				4997		*cum quo Romani bellum gesserunt ab V. C.* DLI. *Eutr.*	
				5024	151	XXXVIII. *Perses* XXXII, 3, 4 et XXXII per tot.	10
5021	150	VI. *Ptolemaeus Philometor* XXXIIII, 2. 7	35	5026		*ab V. C.* DLXXX *bellum Persicum.*	
				5034	153	*Macedonum regnum defecit*	

Anni Mundi	*Oly.*	SYRIAE ET BABYLONIAE.		*Anni Mundi*	ASIAE	
				4874	*Agathocles Syracusis tyrannidem exercet:* XXII	
4888	117	I. *Seleucus Nicanor* XV, 4. 1 etc.	32	4882	*In Asia primus regnavit Antigonus* XIII, 4. 14 etc.	18
4917	124	*Seleucus, capto Demetrio in Cilicia*, SYRIAE *et* ASIAE *pariter imperauit* XVI, 2. 6		4900	II. *Demetrius, qui et Poliorcetes* XII, 4. 22 etc.	
4920	125	II. *Antiochus Soter* XVII, 2. 10	19			
4939	29	III. *Antiochus, qui vocabatur Theos*	15			
4954	133	IIII. *Seleucus Callinicus* XXVII, 1. 1	20	4954	*Parthis a Macedonum imperio recedentibus, primus regnavit* ARSACES XXXXI, 4. 6	
4974	138	V. *Seleucus Ceraunus*	3			
4977	139	VI. *Antiochus Magnus* XXVIIII, 1. 3	36	4963	*Anno ab V.C.* DXVII *vt Eutrop., Hamilcar occisus, cui successit Hasdrubal* XXXXIIII, 5. 6 et 7	
5006		*Bellum Rom. cum Antiocho, anno ab V. C.* DLX. *Eutr.*				
				4980	*ab V. C.* DXXXIIII *Annibal Imperator Carth.* XXXXIIII, 5. 8	
5013	148	VII. *Seleucus qui et Philopater*	12			
5025	151	VIII. *Antiochus Epiphanes* XXXIIII, 2. 7	11	5011	*ab V. C.* DLXV *Bellum cum Gallograecis*	

Anni

Anni Mundi	Oly.	AEGYPTO		Anni Mundi	Oly.	SYRIAE ET ASIAE	
				5036	154	VIIII. *Antiochus Eupator* XXXIIII, 3. 1	e
5052	159	*Ab V. C. DCVI bellum Achaicum* XXXIIII, 1		5038		X. *Demetrius Soter* XXXIIII, 3. 9	12
				5050	157	XI. *Alexander* XXXV, 1. 7 : *m.* 10	9
5056		VII. *Ptolemaeus Euergetes*	29	5060	160	XII. *Demetrius* XXXV, 2. 2	3
				5063		XIII. *Antiochus Sidetes* XXXVI, 1. 8	9
5085	166	VIII. *Ptolemaeus Fyscon, qui et Soter* XXXVIII, 8. 2 etc.	17	5072	163	XIIII. *Demetrius iterum* XXXVIII, 10. 11	4
				5076	164	XV. *Antiochus Grypus* XXXVIIII, 1. 9	12
5102	170	VIIII. *Ptolemaeus, qui et Alexander* XXXVIIII, 4. 1	10	5088	167	XVI. *Antiochus Cyzicenus* XXXVIIII 1. 16	18
				5106	171	XVII. *Philippus Antiochus in Parthos fugiens, Pompeio se deinceps tradidit, post quem Philippus captus est a Gabinio*	2
5112	173	X. *Ptolemaeus Fyscon, qui a matre fuerat eiectus* XXXVIIII, 5. 1	8	5108		*Hucusque Syria possessa per reges in Romanam ditionem cessit*	
5120	175	XI. *Ptolemaeus Dionysius*	30			*Bellum Mithridaticum anno ab V.C. DCLXII, vt Eutr.* XXXVII, 1. 7	
5150	182	XII. *Cleopatra*	22	5153	183	*Primus Rom. singulare imperium arripuit* C. IVLIVS CAESAR *mens.* 6	4
5172	187	*Cleopatra et Antonius semet interficiunt; et Aegyptus fit Romana prouincia*		5157	184	*Rom. II Octauian. Caesar* AVGVSTVS *mens.* 6	56
		Lagidaei in Aegypto regnaverunt ann. CCXCV				*Ab eo, an. ab V.C. DCCXXVI, vt Eutr. Hispania domita, Janus clausus* XXXXIIII, 5. 8	

HACTENVS EX TROGO IVSTINVS

7 *Eurymedon.* Eurimedon *Ald.* Eurilogus *MSS. B.* Eurilocus *al. MS. B.* Eurylochus *MS. B. et C.*
triginta. vndecim *Oroſ.*
8 *Nicias.* Nicaeas *Med. Pariſ.*
et ipſi. ſed et ipſi *MS. B.* etiam ipſi *Edd. B. Med. Pariſ. Ald. Col.*
itinere. in itinere *MS. B. et C.*
9 *centum triginta.* C et XXX *Col.* CXXX *Ven.*
inſequitur: *fugientes.* inſequitur fugientes: par. *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
partim caedit. Ita MSS. B. *Sed* caedit partim *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*
10 *Demoſthenes.* Demoſthenis *MS. B.*
Nicias. Nicaeas *Med. Pariſ. Caeterum totus locus in MS. N. ita legitur*: Nicias vero, etiam Dem., vt ſibi conſuleret, exemplo cladem ſ. captiuitatis dedecore cumulauit.
quidem. Deerat in Edd. B.
11 *Nicias - cumulauit.* Nicias vero, etiam Demoſthenis, vt ſibi conſuleret, admonitus exemplo, cladem ſuorum captiuitatis dedecore cumulauit *Angl.*

LIBER V

Cap. I, 1 *dum.* cum *Med.*
Sicilia. Siciliam *Med.*

felicius.

felicius. foelicius *Pariſ.*

concitor. conditor *MSS. B.* concitator *al. MS. B. et Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* conſitor *al. MS. B.*

inſimulatur. inſimulat *Med.*

init. ſacra. ſacro initiorum *Ald. Sed* ſacra *deerat plane in uno MS. B. Berneccero, et poſt eum Fabro quoque, verba* myſteria Cereris *videbantur gloſſema reliquorum eſſe, aſſentiente Graevio, Freinshemius diſtinguebat ita*: myſteria Cereris Initiorum, ſacra nullo magis. *Vorſtius verba cenſebat transponenda hunc in modum*: myſteria Initiorum Cereris. *Scheffer. leg. coni.* myſt. Cer. Initiorum, ſacro nullo magis *etc.*

2 *a bello.* bello, *omiſſo τῷ* a, *Med. Ven. Ald.*

indignitatem. indignationem *MS. Bodl.*

tacitus. damnatus *MS. B.*

3 *diris.* diis iras *MSS. B. et C.* diis iratis *al. MS. B., probante Scheffero.* diis *Edd. B. Pariſ. Col.* eis *Med.*

4 *ibique.* ibi et *Pariſ.*

inferre. inferre parant Lacedaemonii *MS. B.* eis parant Lacedaemonii *MS. C. Scheffer. conſtituebat locum ſic*: ibique regem Lacedaemoniorum impellit turbatis Athenienſibus aduerſo Siciliae praelio, vitro bellum inferre. Parent Lacedaemonii. Quo facto *etc.*

5 *omnia Gr. regna.* omnis ad Graeciae *MS. B.* omnis Gr. multitudo *MS. N.*

concurrunt. concurrit *MS. B.*: *vnde pro* omnis ad Gr. *Bongarſius coniiciebat legendum* omnis Graecia. *Vorſtius malebat*, omnia Graeciae oppida. *Scheffer.*: omnes ad Graeciae regnum.

6 *odii.* Ita Ald. et Iunt. *Sed* odium *Med. Pariſ. Ven. Col. Bongarſ.*

crudelitate. Haec erat lectio etiam duorum MSS. Mo. *Sed* cupiditate *MS. B. et Col. in marg.*: *vnde Berneccerus et Vorſtius volebant legi*: immoderata imperii cupiditate. *Scheffer. tamen et ſic praeferebat τὸ* immoderati.

contraxerant. contraxerunt *Col.*

7 *Tiſſaſernem.* Tiſaſernem *MSS. Gron. Med. Ven.* Tiſaphernem *Pariſ.* Tiſſaphernem *Ald.*

8 *hic quidem.* quidem hic *Ald. Col.*

timebat. timebant *Pariſ.*

ne victis Athen. ad ſe Laced. ne victis Lacedaemoniis, ad ſe Athenienſes *coni. Gronouius anus.*

9 *ruiſſe.* fuiſſe *Edd. B. Col.*

vires. vrbes *Med. et Pariſ.*: *in quo mox legitur* concurrent, *operarum ſine dubio errore.*

10 *neque.* nec *MS. B.*

vi victi. victi, *omiſſo τῷ* vi, *Bongarſ.*

11 *ab his etiam.* etiam ab his *Edd. B. Med. Col. In Pariſ. τὸ* etiam *prorſus deeſt.*

fortuna - fauor. fortunae - fauori *MS. B.*

Cap. II, 1 *imperatoris.* Ita MS. B. et libri editi noſtri omnes, probantibus Berneccero, Scheffero, Fabro. *Sed ipſe Bongarſius edidit* imperatoriis, *quae eſt etiam lectio Ven.*

adiuuat. adiuuabat *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Pariſ. Col.*

2 *quippe.* nempe *Edd. B. Med. Pariſ. Col.*

auctoritate. authoritate *Ald.*

3 *partaque.* parataque *MS. C. et Bongarſ.*

cum amiſſis. cum amicis *Edd. B.*

penſabant. Ita Col. *Sed* penſaret *MSS. B. et C.* penſare *Bongarſ.*: *probante Gronouio auo.* penſarent *Med. Bechar. Pariſ.* penſantem *Ven. Ald. Iunt. Sichard. et Col. in marg.*: *quod placebat Graeuio.*

Agidis. Agiſdis *MS. B.*

Tiſſaſernem. Tiſaſernem *Med. Pariſ.* Tiſſaphernem *Ald. Et ſic vbique.*

Darii. Darei *MSS. B.*

cui ſe. cùi, *omiſſo τῷ* ſe, *Pariſ.*

officii comitate. officio comitante *MSS. B.*

6 *etiam inter.* inter, *omiſſo τῷ* etiam, *MS. C.*

7 *conciliandis.* reconciliandis *Edd. B. Med. Pariſ. Ven.*

ſtudiis. ſtudioſus *MS. B.*

quia morum vitia. cui morum vita *MS. B.* cui morum vitia *MSS. Leidd. duo et Medic.*

9 *muneris.* oneris *coni. Scbiſius. perperam.*

Ionios. Iones *MS. B.* Ionas *Ald. Iunt.*

11 *diſſidentibus.* Sic Angl.: quod genuinum putabat Schefferus. *Sed* diſſentientibus *Med. Pariſ. Ven Ald. Col. Bongarſ. Gronou.* deficientibus *MS. Bodl.*

quos. quod *MS. B.*

poſſit. poſſet *MS. B.*

12 *atterendam.* obterendam *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.* exercendam *MS. B.*: *quod primo vnice placuerat Scheffero*: *deinde idem praeferebat, cum Graeuio, τὸ* atterendam.

externis. exterius *Med. Ven. Col.*, *ſed in marg.* externis.

exacquandasq. exequandasq. *Pariſ.* execandaſq. *Ven.* exequendasq. *MSS. B. et Edd. quidam.* exaequandiſq. *Ald.*

13 *qui.* quia *MSS. B.*

ſint. ſunt *Ven. Ald. Col. Bongarſ.*

14 *totam.* Deeſt in MS. C. Bodl. et Ald. Bongarſ.: non repugnante Vorſtio.

Cap. III, 1 *venditabat.* vendicabat *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*: *quod verum cenſebat Scheffcrus.* indicat *Ald. Iunt.*

2 *reſp. a pop.* res a pop. *MS. B.* res populo *al. MS. B. et Bodl. C. Vnde etiam Scheffero videbatur expungendum τὸ* publica.

3 *ſperans vt aut.* ſperans aut *MS. B.*

ordines. omnes *MS. Bodl.*

5 *itaque.* ita *Ald.*

6 *genti-*

6 *genti.* gentis *Edd. B. Faber locum ita emendabat*: imperium in senatum transfertur, qui cum, insita nobilitati superbia, crudeliter in plebem etc. *Scheffero videbatur* τὸ genti *mutandum in* gentili, *et* τὸ insita *delendum.*

consuleret. consulerent *MS. B.*

tyran. sibi impot. tirannides siue impot. *MS. B.* tyrannidis sibi potentiam *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

vindic. vendicantibus *Med. Paris. Ven. Col.*

Alcibiades. Alcibiadis *MS. B.*

classi. classis *MS. B.*

7 *mittit.* scribit *MSS. B. C. et Ald. Iunt., Scheffero non prorsus repudiante. Et quia id Gronouius nepos in suis quoque libris reperit, non dubitauit recipere.*

quadring. quadrigentis *Paris.*

8 *prodere.* Deerat in vno MS. B.

dein. deinde *Med. Ven. Col.*

nequissent. Ita MSS. B. et Ed. Ven. *Sed* nequiuissent *Med. Bong.* nequiuisset *Paris.*

9 *instruit.* instituit *MS. Bodl.*

ita. Deest in MS. C.

Cap. IIII, 1 *eam Sestο Mindarus.* Ita primus rescripsit Vorstius. *Sed* iam Zestromindareus *MSS. B.* Lanzestromindarus *al. MS. B.* iam Zestromindarus *Med. Ven. Ald.* iam Zestrominidarus *Paris.* iam Zestromidarus *Bechar. Iunt. Sichard. et Col. in marg.* iam Mindarus *Col. et Bongars.* iam Sesti Mindarus *Voss.*

Pharnabazus. Pharnabasus *Med. Paris. Ven.*

2 *in eo bello.* in eo proelio *Edd. B.*

4 *fracti.* tracti *MSS. B.*

petiere. petiuere *MS. B.*

praestabat. Ita MS. et Edd. B. *Ipse edidit* praebebat: *quod exstat etiam in MS. C. et Gronouius reperit in MS. Medic. Magliab. et Leidd. duobus. vnde etiam recepit.*

5 *illatum - reuocauit.* propter inl. - reuocantur *MS. B.*

domum. Deerat in MSS. B. et C.: *probante Scheffero.*

6 *Asiam vastat; multis.* plurimas ciuit. vastat, iam multis *MS. B. et C. et Leidd. duo.* vestat *Paris.*

recipit. recepit *Med.*

adiicit. adicit *MS. B.* addicit *MSS. Mo. Ald. Bongars.* reducit *Paris.* aducit *Ven., haud dubie operarum errore pro* adiicit.

7 *vindicata.* vendicata *Med. Paris. Ven. Col.*

desiderατus. desyderatus *Paris.*

8 *capta.* captae sunt *MS. B.*

9 *Alcibiadem.* Alcibiaden *Paris.*

mirantur. miratur *MSS. Mo. Med. Ald.*

10 *suspensa ora.* vniuersa hora *MS. B.* vniuersa et ora *MS. Bodl.*

de caelo. deum de caelo *MS. N. Non probabat Schefferus.*
et vt. et velud *MS. B.*
11 *laudant.* laudantes *MS. B. et C.* laudans *al. MS. B.*
quae. que *Paris.*
contra gesserit. gesserit contra *MS. B.*
ipsi. ipsum *Edd. B. quidam.* ipsis iratum *Col.*
12 *recepti.* incepti *MSS. B.*
auctor. author *Ald.*
13 *omnibus.* omnis [h. e. omnes] *MSS. B.* omnes *MS. C.*
verum et. verum etiam et *MS. B. Med. Paris. Ald. Col.*
onerant. honerant *MSS. B.*: *quod probat Acidalius* [ad Vell. 2, 124. 6], *dictumque ait pro* honorant, *quod erat in Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald.*
renocauerint. reuocarint *Paris.*
14 *ipsos illi.* ipsos illos *coni. Freinshemius.*
17 *ore.* hore *MS. B.* ora *Col.*
Graeciae. gratiae *Col.*
amissae. admissae *MS. B.*
Syracusarum. Syracusanorum *Col.*
Ioniae. Ioni *MSS. B.* ioheni ell. *al. MS. B.*
18 *in offensa.* in offensam *MSS. B. Med. Paris. Ven. Ald. Iunt. Col.*
in fauore. in fauorem *MSS. B.* fauorem *Med. Paris. Ven. Iunt. Col.*
exceptus. acceptus *Col.*

Cap. V, 1 *a Lac.* et a Laced. *Bongars.*
belloque. bellique *MS. B.*
2 *in Asiam.* Desunt in MS. C.
cum agros. dum agros *Bongars.*
securius. securus *Paris. Ven. Ald. Col. Bongars. et MS. Bodl.* securos *Med. Sed in MS. C. prorsus deest.*
populatur. popularetur *Ald.*
habet. haberet *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
3 *caedes.* caedis *MS. B.*
palantium. populantium *MS. Bodl.* pallantium *Med. Paris.*
4 *erat.* esset *MS. B. et MS. 1 Voss.*
Conone mutarent. Conon mutarent *MSS. B.* Conone commutarent *al. MS. B. et Bodl. C.* Conone duce commutarent *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
5 *valuisset.* voluisset *Col.*
6 *vicisse.* fecisse *MSS. B.*
eis. eius *MS. B.*
venderet. vaenderet *Med.*
7 *et morum.* et vitiorum amor, et morum *Edd. B. Med. Paris. Ven. Col.*

Cap. VI,

Cap. VI, 1 *habens.* habet *MS. B.*
exornat. adornat *Edd. B. Col. in marg.*
3 *aut imp.* ac imp. *MS. Bodl.*
4 *fecit imbellis.* fecit. Imbelles aut *Edd. B. Med. Paris. Ven. Col.* imbelles autem *MS. Bodl.*
caeduntur. aut caeduntur *Ald.*
ant occisorum. occisorum *MS. C.*
6 *ex qua colluu.* Ita MS. B. *Sed* eaque colluuione *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col. et MS. Bodl.* eaque in colluuione *Bongars.*
consecr. ex dom. ant. Gr. dom. antea Gr. consecr. exercitu *Med. Paris. Ven. Ald. Col. Bongars. Sed primus ille verba ordini suo restituit Berneccerus.*
8 *erat, vt.* fuit, vt *MS. B.*
desperauerint - victoriam. post sperauerint victoriam *MS. B.* desperauerint victoriam *MSS. B.* desper. vict. paulo post sperarent *al. MS. B. In MS. Leid. Boxhorn. leg.* vt paullo ante salutem, post sperauerint victoriam: *quod Boxhornius probabat.*
9 *neque is.* nequis *MSS. B.* neque his *Edd. B. Paris.*
eae vires. hae vires *MSS. B. Med. Ven. Ald. Col.*
quibus. quae *MS. B.*
consuerant. consueuerant *Edd. B. Paris. Ven. Ald. Col.*
continuerant. continuerunt *MS. B. et Ed. Paris.* constituerant *al. MS. B.*
10 *eo praelio.* praelio *MS. C. et Med. Paris.*
superfuisset solus. superfuisset: solus *Med.*
Cyprium. Cyprum *MSS. B.* Cyprom *Ald.*
concedit. contendit *Edd. B. Ven. Ald. Col.* concessit *MS. C.*
Euagoram. contendit. Euagoras autem dux *MSS. B. et Bodl. C. Med. Paris. et Col. in marg.*

Cap. VII, 2 *mittit.* immittit *Ald.*
Lacedaemona. Lacedaemonia *Paris.*
3 *ac tribut.* at tribut. *MS. B.*
metus. Deerat in vno *MS. B.*
belli. Deest in MS. C.
recepit. recipit *Ald. et MS. C. Medic. et duo Leidd.: probante Freinshemio, ita vt etiam Gronouius nepos in contextum receperit.* Ven. *receperit.*
aliud. aliut *MS. B.*
ditionis. ditioni *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Paris. Ald. Col.*
reliquit. relinquit *MS. B.: probante Freinshemio. Recepit Gronouius nepos.*
4 *scisitari.* sisitari *Med.*
5 *imbecillitas.* imbecillis *Edd. B. quidam, Med. Paris. Col. in marg.*

penetrauerat. penetrarat *Ven. Ald. Col.*
6 *queſtibus.* quaeſtibus *Med.*
iterant. fuerant *MS. B.* onerant *MS. N.*, *vt Scheffero coniecerat.*
7 *cogn. cariores.* cariores cognatis *Med. Col.*
querelam. quaerelam *Med.*
8 *iudicantes.* iudicant *MS. N.*: *quod non diſplicebat Vorſtio.*
9 *proponentes.* proponens *Col. Faber legebat*: et ſup. victorem proponentes, *deletis verbis* que hoſtem.
10 *incendia.* incendium *MS. Bodl.*
11 *feliciores.* foeliciores *Pariſ.*
priores. prioris *Edd. B. Ven.*
ducentes. dicentes *MS. N. Ven.*
ruina. ruinae *MSS. B.*
12 *autem.* auertere *MSS. B.*
ſeruati. ſuperati *MS. B.*
extruere. inſtruere *MS. C.*

Cap. VIII, 1 *circumdatos.* Ita Ald. et Iunt. *Sed* circundatos obſeſſos *Med. Ven.* circundatos et obſeſſos *Edd. B. Pariſ. Col.* circumdata obſeſſos *Bongarſ.*
fame. famae *Ald.*
vrgent. vrguent *Bongarſ.*
2 *copiis.* Deerat in MSS. B.: *probante Scheffero, ſed tum* noua *recte cenſebat reponendum pro* nouae.
nouae. noua *MS. C.* nec nouae ad que ve i poſſent *MS. B.* ne nouae aquae poſſent *al. MS. B.*: *cui ſupra ſcriptum leg.* ne noua aduehi poſſ.
3 *malis.* Ita MSS. B. *Sed* malis rebus *Med. Pariſ. Ven. Bongarſ. Alterutrum gloſſema videbatur Berneccero et Scheffero: et huic quidem τὸ* malis: *illi τὸ* rebus.
deliberatum. deliberatum eſt *MS. et Edd. B. Ven. Ald. Col.*
4 *negarunt.* negauerunt *MS. B.*
demiſſa Pirae. dimiſſa in Pyrae. *MS. B.*
Piraeum. Ita Ald. et Iunt. *Sed* pyraeum *Med. Pariſ. Ven. Col.* Pyreum *Bongarſ.*
muri brachia. miri braeci *MSS. B.*
deiicerent. adiecerent *MSS. B.* deiecerint *Edd. B. Med. Pariſ. Col.*
7 *et expugnatione.* Ita MS. et Edd. B. *Sed Bongarſius tamen omiſit in ſua editione τὸ* et.
regis. Deeſt in MS. C.
9 *trig. rectores.* rectores triginta *Med. Pariſ. Ald. Col.* triginta tyranni *MS. B.*
12 *auſpicantur.* auſpicatur *MSS. B. et C.* ſuſpicantur *Med.*
liberationis. liberatoris *MS. B.*

Cap. VIIII, 1 *hoc vltoris.* vltoris huius *MS. N.*
exhauriunt. exauriunt *MSS. B.*

2 *quod-*

2 *quod.* quae *MS. Bodl.*

Therameni. Pyrameni *MS. B.* Pirameni *MS. Bodl.* Tyramni *Ven.*

ipſ. qu. ad terr. o. ipſum quoque ad documentum ceterorum, et terrorem omnium *Angl. Praeferebat hanc lectionem Vulgatae Scheſſerus.*

4 *etiam ipſum - eriper.* cum etiam i. a. vnicum miſeris erip. *Iunt.* cum et i. a. vnicum miſ. erip. *Ald.* etiam ipſ. aux. vnic. a miſeris eriper. *Col.* etiam ipſ. aux. a miſeris eriper. *Pariſ.* etiam i. a. a miſeris eripitur *Edd. B. Med.* et. ipſ. aux. vnicum cum miſ. erip. *Bongarſ.* etiam ip. aux. cum miſ. erip. *MSS. B.* e. i. a. vnicum miſeris eriper. *al. MS. B. Ven.*

ciuitates. ciuitatis *Pariſ.*

6 *Phylen.* filen *MS. B.* fynen *al. MS. B.* Finen *Med.* Philem *Ven. Ald.* Philen *Col.*

7 *ciuitatium.* ciuitatum *Med. Pariſ. Ald. Col.*

crudeles. crudelis *MS. B. et Med. Pariſ. Ven. Col. Bongarſ.*

caſus miſ. fauor. It. caſui miſerantium. Fauorem itaque *MS. B.*

8 *itaque Iſmenias.* cum itaque inmenias *MS. B.* Itaque hiſmoenias *al. MS. B.* Itaque et Iſmenias *Ald.* Itaque et Hiſmenias *Ven. Col.* Itaque et his Menias *Med. Pariſ.* eos Menias *Col. in marg.*

viribus. auxiliis *Edd. B. quidam, Ven. Col.*

9 *exul tunc.* exultans *MS. B. Scheſſerus coni.* exul, tamen.

milites. Deerat in MSS. B. et C.

10 *ſecurius.* incurius *Edd. B. quidam, Siebard. Col. in marg. Vnde Freinshemius leg.* incuriosius.

11 *refugiunt.* Ita coni. Sebiſius, et ediderunt quoque Angli. *Sed* refugerunt *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*

caedibus ſuis etiam. Gronouius auus ita diſtinguebat: *caedibus, ſuis et. a. ſp.* Et ſic eſt in Ven.

12 *diruta.* dirupta *MS. B.*

tuentes. tuentibus *MSS. B. et Bodl.*

14 *contigiſſet.* contingiſſet *MS. B.*

accitis. acceptis *coni. Sebiſius.* excitis *malebat Scheſſerus.*

15 *Critias.* Eritias *MSS. B.*

Hippolochus. Hippolocus *MSS. B.* Ippolitus *al. MS. B.* Hippolytus *MS. Bodl.* Hippomachus *Edd. B. Col.*: *ſed in huius margine eſt* Hippolochus.

Cap. X, XXIII, 35] 1 *pars.* Deeſt in Med. *Gronouius auus* [ad Liu. *coni.* ex quibus m. p. Athenienſes erant.

victorem. victore *MSS. B. et Med.*

2 *meminerint.* meminerant *Col.*

ademta. adepta *Pariſ.*

inferre. Admonet de. inferre admonens. De. *MS. B.* inferre admonet. De. *Med. Pariſ. Schefferus coni.* Admonens deinde cognationis etc.: *quod recepit Gronouius.*

3 *communium.* Deeſt in MS. C. et Med. Pariſ. Bong.

tum vetuſti. vetuſti *MS. B.*: *in quo etiam mox ſic erat*: commilitii orat. Miſereantur.

miſereantur. vt miſereantur *Ven. Ald. Col.*

patienter - ſeruiant. ſeruitutem pati nec eripi ſi ſeruiant *MS. B. Schefferus coni. totum locum ita eſſe conſtituendum*: ſi tamen ſeruitutem patiantur ipſi, non eripi ſe ſinant, ſerviant, reddant ſibi patriam, aut patriae acceptam libertatem.

patriam. patriae *MS. B.*

promotum. permotum *Ven.*

4 *emigrare.* migrare *Edd. nonnulli.*

Eleuſina. Eleuſinam *MS. B. et Bodl.* Eleuſin *Edd. B. quidam.* Eleuſim *Ven.*

remp. rem *MS. B.*: *probante Scheffero.*

5 *dominationis.* dominatus *MS. B.*

6 *Lacedaemone.* Lacedaemonae *Med.*

bellum Athenis. Ita Britani e MS. primi repoſuere. *Sed* in bellum Athenienſes *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*

7 *permotus.* motus *MS. C.*

patriam. ſet patriam *MS. B. Bongarſius coni.* et patr.: *quae coniectura probabatur Scheffero.*

Eleuſina. Eleuſinae *MS. B.*: *vnde Bongarſ. coni. leg.* Eleuſina emigrare: *probante eodem Scheffero.* Eleuſinam *Ven.*

8 *ſtatuta.* reſtituta *MS. B.*

diebus. rebus *Pariſ. In Ven. deſunt verba*: quibus - ſtatuta eſſet.

actos. miſſos *MS. B.*

indignantes. indignantur *Edd. B. Col.*

aliorum. aliena *MS. Bodl.*

bellum. etiam bellum *MS. B.* et bellum *Edd. B. Med. Pariſ. Col.*

Athenienſibus. Athenienſes *Med.*

9 *comprehenſi.* cumpraehenſi *Med. Faber leg.* et per inſid. compreh. *In Ven. pro* in vrbem reuocatur *eſt* euocatur.

10 *diſſipata.* diuiſa *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Pariſ. et Col. in marg.*

tandem. Ita Ald. Iunt. Sichard. et Britani ex MSS. Et Freinshemius ſic leg. ſponte iam, vt videtur, viderat. *Sed* tantum *Med. Pariſ. Ven.*

12 *Corinthiiq.* Corynthiiq. *Med.*

13 *tantam iram.* tantum irae *Ald.*

poſſet. poſſent *Pariſ.*

Cap. XI, 1 *fere.* forte *MS. C. Bongarſ.*

Darius. Dareus *MSS. B.*

Artax. - relictis Deerant in MSS. B. et MS. Bodl. C.

2 *regnum*

2 *regnum Artax.* Artaxerxi regnum *MS. B.*
3 *occulte.* occulto *MS. B.*
4 *arceſſitum.* accerſitum *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
5 *auxilia.* Schefferus putabat ante hoc vocabulum excidiſſe τὸ et. Faber coni. *auxiliis vndique contractis.*
6 *enixe ſe eius.* enixe eius *MSS. B. et Ed. Ven. Gronouius auus malebat* enixa: *quod reperit eius nepos in MSS. Oxon. et Florent.*
velut. vel *Bongarſ.*
praeretur. paretur *MS. C.*
7 *apud.* et apud *Edd. B. Pariſ. Col.*
8 *fors.* ſors *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Iunt. Col.: quod probabat, ſed, Graeuio iudice, perperam, Vorſtius.*
praelii. praelium *Pariſ.*
vtrumque. vtrinque *coni. Schefferus.*
10 *auxilio.* auxilia *MSS. B. et C. Schefferus malebat* auxilio *ſine τῷ* in.
a tanto. tanto *MSS. B. et Med. Pariſ. Ven.*
neque. nec *Col.*
11 *reuertentesque.* reuertentes *Ald.*
sor. Deerat in MSS. B. et C.
et barb. et et barb. *Ald.*
vſque terminos. vſque ad terminos *MS. B.*

LIBER VI

Cap. I, 1 *Lacedaemonii.* Lacedaemoniorum *Pariſ.*
quo pl. hab. eo ampl. cup Graeuius poſt Boxhornium malebat, *quo plura habet, eo ampliora cupientis*: in alia omnia euntibus Scheffero et Fabro.
2 *Hercyllides.* Hercylides *MSS. B. et Bodl. Med. Pariſ. Ven. Ald.* Dercylides *Edd. B. quidam.* Dercyllides *Col.: ſed in marg.* Hercylides. *Leopardus probabat τὸ* Dercyllides. *MS. Medic. et duo Leidd.* Herculides.
Artaxexis. Artax. regis *MS. N. et Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*
Pharnabazum. Pharnabaſum *Med. Pariſ. Ven.*
Tiſſafernem. Tiſafernem *Med. Ven.* Tyſaſernem *Pariſ.* Tiſſaphernem *Ald.*
pacificari. pacificandum *Bongarſ. et MS. C.* pacificare *MS. Bodl.*
3 *quondam regis.* Haec verba vt gloſſema inducenda cenſebat Graeuius: repugnante Gronouio nepote.
4 *aluerit.* adiuuerit *MS. N. Schefferus habebat pro gloſſemate.*
5 *quae differant.* Ita coni. Gronou. auus, et e MS. Oxon. recepere. *Sed* vt differant *MS. Bodl. C. W. et Edd. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ. Probabat Vorſtius.* quae diff. potius *MS. B.*

quae gerant. Ita coni. Gronouius auus, et e MS. Oxonienſes: et legitur ſic in Ald. Iunt. *Sed* quam gerant *MS. Bodl. C. IV. et Bong.* quae gerantur *Edd. B. quidam.*

peruenias. peruenires *Pariſ. Faber coni.* merceturque ab iis, vt differat potius ipſe bella, quam ipſe gerat.

6 *bella.* bellum *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

7 *a Tiſſaferne.* Ita iidem Oxon. e MS. *Sed* Tiſſaferni *Med. Pariſ. Ald. Col. Bongarſ.* Tiſſaferni Cononem qui *MS. B.*

locum eius. eius locum *Pariſ.*

eligat. eligant *Edd. B. Pariſ.*

Conona. Cononem *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

amiſſa. amiſſo *Edd. B. Placebat Scheffero.*

Cypri. Cypro *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col. Delendum cenſebat Scheffer.*

8 *ſint.* ſunt *Med. Pariſ. Ven. Ald.*

opes. res et opes *MS. N. Alterutrum gloſſema videtur eſſe.*

Cap. II, 1 *Hercyniane.* mercimonii *MSS. B.* mercimoni *al. MS. B.* hereſniona *al. MS. B. et Bodl.* inercinioni *al. MS. B.* Hercymonem *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.* Hercynio *Ald.*

auxilia. in auxilium *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

2 *ſexcenta.* ſexcentum *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.* ſexaginta *MS. Bodl.*

modiorum. modium *Ald. Bongarſ.*

3 *exercitui.* exercitu *Pariſ.*

4 *Ageſilaum ducem.* Ageſ. regem *MSS. B.* Hagiſilaum *al. MS. B. Etiam in MS. C. deeſt* τὸ ducem. *Vnde ex gloſſa huc irrepſiſſe id arbitrabatur Scheffer.*

tunc. Deeſt in MS. C.

reſponſum. reſponſa *MS. C.*

deliberauerunt. dubitauerunt *Ald.* diſtulerunt *Edd. B. quidam, Ven.*

5 *regium.* rege *MSS. B. et C.* regum *al. MS. B. Scheffer. coni.* in rege.

pede. pedes *MSS. B. et C.*

6 *inceſſu.* ingreſſu *MS. B.* inceſſum *Pariſ.*

regem. regis *Ald.*

7 *imperio regnum.* imperatore regnum *MS. N.*: *quod non placebat Scheffero.* imperio regem *MS. Bodl.*

poſteaquam. poſtquam *Pariſ. Bongarſ.*

8 *vtrique.* verumque *MS. B.*

9 *vtrumque.* verumque *MS. B. idem.*

10 *fuerunt.* fuere *MS. B.*

11 *inſtantius.* conſtantius *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

poſcentibus. poſcentium *Ald.*

quo grau. quod grauiorem *MS. B.*
12 *fruſtra.* Deerat in MSS. B.
13 *a cuius.* cuius *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
nollet. nolit *MS. B.* nollent *Pariſ.*
14 *queritur.* quaeritur *Pariſ.*
dilabi. Ita MSS. B. *Sed* delabi *Med. Pariſ. Ven. Col. Bongarſ.*
15 *dari ſibi.* ſibi dari *Ald. Col.*
miniſtrum. miniſterium *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
mandare. mandari *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
16 *facit.* fecit *MS. B.*
feliciter. foeliciter *Pariſ.*
vrbes. vrbem *Med. Pariſ. Ven.*
17 *Ageſilaum.* Hageſelaum *MS. B.*

Cap. III, 1 *Piſandrus.* Ita MSS. B. omnes. *Sed* Lyſander *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
2 *nec non et Conon.* nec non et ipſe Conon *Edd. B. Pariſ. Ald. Col.* nam et ipſe Conon *al. Edd. B. Med. Ven.*
magna cura. ex magna cura *MSS. B. et C., probante in primis Scheffero.* et magna cura *al. MS. B.*
ordinat ſuos. ſuos ordinat *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
3 *non tam ducum.* Ita Maior et Bong. *Sed* non ducum tantum *MSS. B. Mo. et C. et Edd. Med. Bechar. Pariſ. Ven. Ald. Iunt.* non ducum *MS. Bodl. Et ſic coniecerat legendum Modius. Sed in MS. N. deeſt τῶ* non: *quam lectionem ſecuti ſunt Angli. Freinshemius coni.* non tam militum in eo praelio, quam ducum. *Berneccerus malebat* tam duc. in eo pr. quam mil., *vel* non tantum d. i. eo pr., ſed et militum. *Vorſtius:* omiſſo *τῶ* ſed *ſimpliciter* etiam, mil. *Schefferus:* non magis tantorum ducum i. e. pr. quam mil. *Boxhornius denique:* non tant. duc. in e. p., etiam mil.
militum. vulgi *MS. Bodl. et C.*
aemulatio. aemulatus *MSS. B. et MS. C.*
4 *et ipſe.* ipſe *Med. Ven. Ald. Col.* ipſe et *Pariſ.*
5 *ſicut.* ſicuti *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
6 *imperii.* proelii *MS. et Edd. B. Med. Pariſ. Ven.* alienis viribus praelio *Ald.* alienis viribus *Iunt.*
pugnaturus. et pugnaturus *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*
quam prior. plus quam priores *MS. Bodl.*
7 *ſe Perſas.* Deerat *τὸ ſe* in Edd. B. Med. Pariſ.
8 *Piſandrus.* Lyſander *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
pro coniunctione. propter coniunctionem *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
gloriae ſplend. deced. gloria et ſplendore diſced. *MS. Oxon. Gronouius auus coni.* ne reb. g. e. et gl. ſplendori deced.
neue. neu *MSS. B.* ne vt *al. MS. B.*
breuis. breuiſſimi *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

9 *eadem mil. et o. r. c.* eadem et omnium regum c. *MSS. B.*: *e quo Bong. faciebat*: eadem et omnium et regum c. *In MS. C.* eadem et omnium cura. *Ald.* eadem mil. et ciuium omnium. *MS. N. et Iunt.* ead. mil. et omnium ciuium. *Sebisius pro* regum *reponebat* remigum, *applaudente Berneccero, et Graevio. Recepit Vorstius. Schefferus*: eadem omnium gregariorum. *Faber*: eadem militum et omnium ducum. *Angli cum Iuntis*: ead. mil. et omnium ciuium.

quos mai. etc. Berneccerus coni. *quos m. foll. cr. ne ipsi*, vel *qu. sol. cruc. non tam ne ipsi.*

ne prist. vt pristinas *Edd. B. Ven. Col.* ne ipsi ptist. *Med.*

pristinas Athenienses. Athen. pristinas *Med. Ald.*

10 *et clarior.* clarior *MSS. B.*

11 *capessunt* capessierunt *Bongarf.*

Athenis. Athenas *MS. et Edd. B. Parif. Col.*

conditio. condicio *Med.*

Cap. IIII, 2 *velut.* veluti *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

4 *infimis.* finitimis *MSS. B. omnes et Bodl. C.* infinitis *Med. Parif. Ven. Col. Schefferus coni.* eximiis.

Epaminondae. Epaminundae *Med. Parif. Ven. Ald.*

Graeciae. Deest in MS. Bodl.

5 *terrestre.* terrestrae *Med.*

6 *in eo bello.* in eo proelio *MS. Bodl. et C. Sed in MS. N. deest* τὸ bello.

duce. Deerat in MSS. B.

7 *abiit.* habiit *MS. B.*

8 *victoriam.* victoria *MS. et Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald.*

facilem. vt facilem *MSS. B.*

9 *qui ibi.* vbi *MS. N.*

gerebat. agebat *MSS. B. et C.*

arcessunt. accersunt *Med. Parif. Ven. Ald. Col.* accesserunt *MS. B.* accersiunt *al. MS. B.*

10 *alterius.* Deest in MS. C. et MSS. B.

12 *nec animus.* animus *Edd. B.* nec animi *Col.*

13 *igitur.* itaque *MS. B.*

non difficulter. haud non diffic. *MS. B.*

Cap. V, 2 *Boeotiorum.* Boetiorum *Parif.*

per Iphicratem. per Ipicraten *MS. B.* Phiphicratem *Med.* per Hyphicratem *Ven.*

5 *imperatoriae.* imperare *MS. B.*

et. etiam *MS. Mo. Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

artes. artes magnae *MS. Mo. et duo Leidd.*

6 *depopulandos.* populandos *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

8 *gaudio.* aegrae odio *MS. B.*

ipse. ipsi *MS. B.* ipsa *al. MS. B.* ipsi et ex *Med. Parif.* ipse et ex *Edd. B. Ven. Col.*

diruta.

diruta. dirupta *MS. B.*
laetitiae. laeticiae *Med. Pariſ.*: *in quo mox eſt* coepit.
9 *praedarum.* pridem *coni. Voſſius*: *quod Faber probabat, non item Vorſtius.*
ſumtu. ſumta *MS. B.*
et exerc. exercitu *MSS. B.* ab exercitu *al. MS. B.*
exercitu. exercituum *Edd. B. Ven. Col. Caeterum in Ald. hic ordo verborum eſt*: reſtituit et ex. Perſarum.
diruta. diruta fuerant *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.* dirupta fuerant *Ald.*
reficit. refecit *MSS. B.*
10 *manibus.* manubiis *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col. Defendit Rycquius Cent. II ep.* 25
11 *verſa quoque.* verſaque *MSS. B.*
habuerant. habuerunt *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald.*
arctiſſimis. kariſſimis *MSS. B.* cariſſimis *MS. Bodl. C. et Ed. Med. Ven.*

Cap. VI, 1 *geruntur.* Ita MSS. B. *Sed ipſe Bongarſius edidit* gererentur. *In MS. Bodl. et Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* agumtur.
Artax. rex Perſ. Artaxerxes Perſarum *Col. in marg.*
2 *interneciuis.* interne ciuis *MSS. B.* inter ciues *MS. Bodl. Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* inter cuius *MS. C. Schefferus coni.* interue neciuis.
3 *ne occupato ſibi.* nec occupationis ibi *MS. B.*
Graecia. Graeciam *Med. Ven.*
diſtinerentur. Ita Iuntina. *Sed* detinerentur *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*: *quod probabat Vorſtius.*
5 *tantum.* Deerat in MS. B.
tota. in tota *Edd. B. Pariſ. Col.*
6 *Lacedaemonii.* Lacedaemoniis *MSS. B.*
ſecuris inſidiantes. ſecuri inſidianter [*f.* inſidiantes] *Edd. B.* ſecuri inſidiantes *Col.* ſecuti inſid. *Med. Pariſ.*
Arcadum. Archadum *Med. Pariſ. Et ſic quoque mox f.* 6
7 *amiſſo bello.* amiſſo bello *MS. et Edd. B.* amiſſum bellum *al. MS. B. et C. Schefferus inde coni.* amiſſum bello.
8 *Archidamus.* Argadamus *MS. B.*
9 *et victos.* Ita Angl. Ald. et Iunt. *Sed* vt victos *Med. Pariſ. Ven. Col. Bong. et Gronouius nepos e ſeptem MSS. Faber coni.* cedere ſuos vt victos.
poſcit. popoſcit *MS. Medic.*

Cap. VII, 1 *paucis de. p. d.* poſt paucis diebus *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*
quaſi tacito conſenſu. qu. conſenſu tacito *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* quaeſitae cito conſenſu *MS. B.* concurſe ita cito conſenſu *al. MS. B.* qu. ex tacito *MS. N.* quaſi conſenſu *MS. Bodl.*

aduerſus

aduerſus finitimos. animi finitimis *MS. B.*
Epaminonda. Epaminunda *Med. Pariſ. Ven. Ald.*
ceperunt. coeperunt *Pariſ.*
2 *Lacedaemona.* Lacedaemonis *MS. B.*
incautos. incaptos *MSS. B.*
3 *praeſenſiſſent.* perſenſiſſent *Med. Pariſ. Ven. Ald.*
4 *ſe offerunt.* Ita MSS. B. *Ipſe edidit* ſeſe offerunt.
5 *penatium.* penatum *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
ſubminiſtrat. ſumminiſtrat *Ven. Ald.*
tantoque. tantaque *Col.*
ſpiritus. ſpem *Med.*
6 *videre, inter quae.* viderunt intra quae *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
7 *ante diem.* ante dies *MS. B. et Bodl.*: *probante Gronouio auo.* ante die *Ald.*
vniuerſa. ſui verſa *MSS. B. In MS. Bodl. deeſt.*
9 *aduentu nuntiato.* aduentus nunciatur *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.* adu. nuntiaretur *Ald.*
10 *teneri.* tenere *Col. Mox Bongarſ. malebat verba ſic diſtingui*: decerneret, cum vict. Theb. eſſet Epamin.
11 *Epaminondas.* Epaminonda *MSS. B.* et Epamin. *Med. Pariſ. Ven. Col.*
12 *quo audito, his.* quod audito et his *MS. B.*
illis. Ita ex coniectura Faber, quam confirmant Ald. et Iunt. *Sed* et illis *Med. Pariſ. Ven. Col. Bongarſ.*
iniicitur. iniciatur *MS. B.*
veluti. Deeſt in MS. Bodl. et Edd. Med. Pariſ.
ex placito. Berneccerus corrig. *ex tacito.* Sed Scheffer us *τὸ placito*, vt gloſſema *τῶ conſenſu*, cenſebat tollendum omnino.
diſceditur. ceditur *MS. B.*

Cap. VIII, 1 *quoque.* Deeſt in MS. C. *Gronouius aut paullo ante pro* poſt p. d. d. Ep. *volebat legi* poſt paulo deinde Epam.
2 *telo.* taelo *Pariſ. vbique.*
praefregeris. Ita MSS. B. *Sed* perfregeris *Bongarſ.*
reliquo ferro. relico ferrum *MS. B. Vtrumque et* ferrum *et* ferro *gloſſema putabat eſſe Scheffer us.*
quoque. Deerat in Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Caeterum Graeuius volebat ita diſtingui, *ablato duce, Thebanorum rei q. p.* Sed Faber verba, *velut mucrone teli*, vt gloſſemate orta, induci ducebat oportere.
interiiſſe. interiſſe *Med. Bong.*
3 *hunc ante.* ante hunc *Edd. B.*
4 *eſſet.* Deerat in vno MS. B.
5 *ſed patr. ſemper.* Ita Iunt. *Sed* ſemper, ſed patriae *Med. Pariſ. Ald. Col. Bongarſ. Sebiſius, probante Berneccero, coni. leg.* ſemper non ſibi, ſed patr. *Scheffer us*: non ſibi, ſemper ſed patr. *Faber*: nec ſibi imper. vnquam, ſed patr. ſemp. quaeſ.

6 *fuiſſet.*

6 *funeri.* funeris *MS. B.*
defuerit. defuerint *MS. et Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
8 *honoresque.* honores quoque *MS. B.*
ornamentum. ornatum *MSS. B.*
ipsi dignitati. ipsis dignitatem *MS. N. Vnde leg. Scheffe-rus putabat simpliciter* ipsis, *omisso τῷ* dignitati.
11 *semianimis.* semianimus *Edd. B.*
12 *allatum.* allatumque *Bongarf.*: *quod Vorstius postpone-bat Vulgatae.*
vtri. vtrum *MSS. B.*

Cap. VIIII, 2 *siquidem.* vt si quid *MSS. B.*
cui. quem *Col.*
segnitiam. segnitiem *Ven. Ald. Col.*
3 *exercitusque.* et exercitus *Bongarf.* exercitus *Med. Paris.*
reditus. redditus *Med. Ald.* reditos *MS. B.*
4 *auctoribus.* auctoribus *MSS. B. et Med. Paris.*
nobilissimis poëtisque. nobilissimisque poëtis *Iunt.*
scenam. Med. Paris.
verificatoresque mel. verificatores oratoresque meliores *Edd. B. Paris. Ald. Iunt. Col.*
5 *milites.* ante milites *Med. Paris. Ven. Ald. Col.* antea m. *Bongarf.*
cum vrbano pop. vrbano populo *Sebis.*, *probante Bernec-tero, et Fabro, sed non item Vorstio.*
coeptum. coeptum est *Paris. Col. Bongarf.*
6 *otia.* ocia *Med.* vitia *MS. B.*
7 *et Phil.* Philippus *MSS. B.*
Pelopidae. Pelopidarum *MSS. B. omnes et Edd. B. Med. Paris. Col.*
velut. veluti *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

LIBER VII

Cap. I, 1 *ante a.* Ita Sebisius leg. coniecit primus. *Sed* antea *MSS. B. et Med. Paris. Ven. Ald. Col.* ante *MS. N. C. et Bongarf. Schefferus coni.* ante e, *vt Vorstius* ante ex.
Emathia. Emattia *MS. B.*
ita. et ita *MS. B.*
3 *populus.* populi *Paris.*
Pelasgi. Pelagis *MS. B.* Pelasgus *Bongarf.*
regio Paeonia. Ita primus emendauit locum Peyraredus. *Sed* et regio regis Boetia *MS. B. Et in vno MS. B. erasa antiqua lectione legebatur*: Paeonius, regio Boetia. *Edd. Med. et Paris.* regio Boetia. *Ald. Bongarf.* regio Boeotia. *Col.* et regio Boeotia. *Ven.* et regio Boetia.

4 *sub-*

4 *ſubactis.* ſubtractis *MSS. B.*
vſque extremos. vſque ad extremos *Edd. B. Col.*
prolatum. prolatum eſt *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
5 *Poeonia.* paeoniae *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Iunt.* Pelagoniae *Ald.* Poeoniae *Col.*
Pelegonus. Ita e coniectura emendauit Leopardus [Emendatt. 17, 10]: quam confirmant quoque Edd. Ald. et Iunt. *Sed* Telegonus *MS. B. C. Med. Pariſ. Ven. Col.*
Aſteropoei. Aſterorei *MS. B.* Aſtriopaei *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*
accepimus. accipimus *MS. B.*
6 *Europa.* Europia *coni. Voſſius, aſſentiente Fabro.*
regnum Eur. nom. Europus nomine regnum *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
7 *Caranus.* Ceranus *MS. B. et C.* Ceraunus *al. MS. B.* Caranaus *Col., et in marg.* Cranaus.
cum in Emath. cum Emathiam *MSS. B. Med. Pariſ.*
Edeſſam. Aedeſſam *Bongarſ.* Edeſſen *MS. B.* Ediſſan *al. MS. B.* Edyſſam *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*
ſecutus. Deeſt in MS. C.
regni. ibi regni *coni. Faber.*
9 *religioſ.* relligioſ *Med.*
quas. quos *Ven. Col.*
10 *Edeſſam.* Ita Ald. Iunt. *Sed* Edyſam *Med. Pariſ. Col.* Aedeſſam *Bongarſ.* Edyſſam *Ven.*
Aegeas. egeam *MS. et Edd. B.* aegaeam *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
Aegeadas. Aegeades *MS. B. Ven. Col.* Aegaeadas *Med. Pariſ. Ald.* Aegeatas *Berneccer.*
11 *deinde Mida; nam is quoque.* deinn cominadam is quoque *MS. B.* deinde mida namo qui quintam port. *al. MS. B.* deinde Mida nanus qui quint. p. *al. MS. B.* deinde Midanamis quoque *Med. Pariſ.*
portionem. quintam portionem *Pariſ.*
pulſis. Deeſt in MS. N.: *quod iam Berneccero redundare viſum erat, probantibus Scheffero et Graeuio.*

Cap. II, 1 *Perdicca.* Perdicas *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
et vita. vita *Edd. B. Med. Pariſ. Ald. Col.*
mortis. morientis *coni. Berneccerus.*
2 *Argaeo filio monſtr.* Argeonlion monſtr. *MSS. B.* Argeoſylion *al. MS. B.* Archeo filio monſtr. *Edd. B. quidam.* ibique Argaeo f. m. *Col.*; *ſed in marg.* Archaeo.
ibique. Deeſt in Col.
ſed et. ſed etiam *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald.*
regum. in regnum *MS. Bodl. C. et MSS. Gronou. ſex, et Med. Pariſ. Ven. Ald. Iunt. Col. Bong.*
3 *quoad ibi.* ivb *MS. B.*

poſtero-

posterorum. posteriorum *Med. Paris. Ven. Ald.*
reliquiae. relliquiae *Med.*
in familia. familiae *MSS. B.* familia *al. MS. B.* ei familiae *coni. Scheffer.*
4 *hac superstit.* hanc superstitionem *MSS. B. Putabat Scheffer. aliena esse verba haec.*
in Alex. stirpem. in Alexandri stirpe *MS. B.: quod idem Scheffer. Vulgatae praeferebat.*
5 *Argaeus.* Argaeos *MS. B.*
moder. - succeff. moderato regno succeff. *MS. B.*
popularium. populi *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
reliquit. relinquit *MS. B.*
Aeropum. Ita Ald. et Iunt. *Sed* Europum *Med. Paris. Ven. Col. Bongars.*
heredem. haeredem *Med. Paris. Ald.*
6 *quotidiano.* cotidiano *Ald.* quottidiano *Med. Paris.*
8 *pone aciem.* Ita Ven. *Sed* ante aciem *MS. Bodl. et Ald.* pugnae ante aciem *Paris. Col.* pugne ante aciem *Med.*
repetiuere. repetiuerunt *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
9 *sibi.* Deerat in vno MS. B. *Sed in Paris. et Ven. mox deest* τὸ sui.
11 *miseratio eos.* miseratione hos *MS. B.*
12 *priore.* priori *MS. B.*
14 *omnium virt. natura.* omnium natura *MS. B.* omnium virt. naturae *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col. Faber leg.* ornamenta a natura data sunt.
Olympio. Olympico *MSS. B.*
contenderit. contenderet *MS. B.* contendit *Med. Ven.* victor contendit *Edd. B.*

Cap. III, 1 *ab Scyth.* a Scythia *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
summotus. remotus *MS. B. et C.*
Megabyzum. Ita Ald. et Iunt. *Sed* Magabasum *MS. B.* Megabarum *al. MS. B.* Megabazum *Paris. Col. Bongars.* Megabasum *Med.* Megabuzum *coni. Scheffer.* Nezabyzum *Ven.*
subigendam. subiciendam *MS. B.*
2 *in pignus.* pignus *coni. Gronouius pater, omissa praepositione.*
dari sibi. sibi dari *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
3 *adiiciat.* adiitiat *Med.*
adhibitis. adhibitisque *MS. B.*
suis ac fil. vx. Ita MSS. duo Modii. *Sed* suis hac [*leg. Bong.* ac] filii vxoribus *MS. B.* suis filiis ac vxoribus *MS. Bodl.* suum filiis et vx. *MS. C.* suum filiis et vxoribus et filiabus *Med.* [*Paris. Ven. Col. Bong.* suis ac filii vxoribus et filiabus *Ald. Iunt.*
id apud. id enim apud *malebat Faber.*

hospitii.

hoſpitii. hoſpiti *MSS. B.*

4 *quae.* qui *Edd. B. Med. Pariſ. Col.*

petul. Perſis eas contr. filius Am. petul. contr. filios Am. *MSS. B.* filiis Am. *al. MS. B. Verba* Perſis eas *deſunt etiam in MS. Bodl. et Ald. Et pro* contrectantibus *in MS. Bodl. eſt* pertrectantibus.

abiret conu. abire e conuiuio *Med. Pariſ.* abiret e conu. *MS. Bodl.*

hoſpitum. hoſpitium *Pariſ. et Ven.*: *non male, vt ſupra* principium. *Col.* hoſtium.

temperaturum. tentaturum *Edd. B. Pariſ. Ven.* penſaturum *al. Edd. B.* iocos temperaturum *Ald.*

5 *quo digreſſo.* quod ingreſſo *MS. B.*

paullulum. paulum *Edd. B. Ald. Col.*

euocat. euocatas *MS. B.*: *e quo Bongarſ. faciebat* euocat eas.

exornaturus. exornatas *MS. N.*: *quod probabat Scheffers.*

reductiurus. rediturus *MS. B.* redituras *MS. N.*

6 *hab. exorn.* exornatos habitu *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

ſupponit. opponit *MSS. B.*

7 *interfectis.* interfectae *Col.*

Megabyzus. Ita Ven. *Sed* Megabaſus *Med. Pariſ.* Megabazus *Col. Bongarſ.*

foedae. ſordidae *MS. N.*: *quae Scheffero genuina lectio videbatur.*

Bubares. Bubaris *MS. B.*

captus. capt. cui nomen erat Gygea *MS. Magliab. et Ed. Rom.*

Cap. IIII, 1 *adeo concil.* conciliauit *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

inter. intus *Med. Pariſ.*

3 *fratris.* fratrem *Col.*

filium. Deeſt in MS. C.

4 *imperatoriis.* imperatoris *MSS. B.*

5 *Perdiccam.* Perdicam *Med. Pariſ.*

Macedonis. Fabro videbatur inducendum verbum hoc.

Eurynoem. Eurynoem *Ald. Iunt.*: *vnde Graeuius faciebat* Eurynoen. *Faber malebat* Eurynomen.

Gygaea. Ita reſcripſit Voſſius, et legitur in Ald. et Iunt. *Sed* ichea *MS. B.* cingea *al. MS. B.*, *in quo adſcriptum erat* cinnea. *Edd. B. Ven. Col.* Cygaea. *Pariſ.* Cygea. *Med.* Cigaea. *Bongarſ.* Cygnaea.

Archideum. Arcideum *MS. B.* Archidaeum *Col. in marg.* Aridaeum *Med. Ald. Col.* Arideum *Iunt.*

6 *cum.* qui cum *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

et cum. cum *Edd. B. Pariſ.*

7 *autem.* etiam *MS. Bodl. C.* Ius. etiam Eurydicis *MSS. B.*

generi. generis *MSS. B.*

8 *deceſſit.*

8 *deceſſit.* receſſit *MSS. B. Med. Ven.*
ex filiis. filiis, *omiſſo* τῷ ex, *Ald.*

Cap. V, 2 *maxima incr. e. i. dedit.* ad max. i. e. ind. fuit *Edd. B. quidam, Col.* max. i. e. ind. fuit *Med. Ven. Ald. In Pariſ. eſt* egregie. *Et in MS. B. vno erat* graeciae ind.
3 *Thebis trien.* triennio Thebis *Med. Pariſ. Ald. Col.*
domo. modo *MSS. B.*
4 *Eurydices.* Eurydicis *MSS. B.*
5 *deprehenſae.* deprehenſae *Med. Pariſ.*
6 *Perdicca.* Perdica *Med. Pariſ. vbique.*
7 *ſcelerum.* a ſcelerum *leg. Sebiſius, probante Scheffero: quod et Britani repererunt in MS. Bodl. Vtrumque bene habet, Fabro iudice.*
ſuppliciis. ſuppliciis hoc *Ald.*
8 *hoc indignior.* haec indignior *Med. Pariſ. Ven.* hoc indignior *Edd. B. quidam.* indignior, *omiſſo* τῷ hoc, *Ald.*
nec. ne *Ald.*
9 *non regem.* non ſe regem *Edd. B. Med. Ald. Col.* ſe non regem. *MS. Bodl. Scheffernus coni.* non regem ſe, ſed.

Cap. VI, 1 *vt eſt.* vt, *omiſſo* τῷ eſt, *Pariſ.*
2 *fata.* facta *MSS. B.*
cui ſpei. cuius ſpei *MS. B.*
3 *regni.* rerum *MSS. B.*: *quod Scheffero magis placebat, quam Vulgata.*
continuis bellis. continui belli et *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*: *qui tamen etiam coni. leg.* continuis bellis.
immaturam. et immaturam *MSS. B. Med. Pariſ.*
tironis. tyronis *Med. Pariſ.*
vrgerent. vrguerent *Bongarſ.* vrgeret *Edd. B. Med. Pariſ. In Ald. legitur*: tironis bella, quae vrgeret.
4 *bella quae.* Ita MSS. B. *Sed* bellaque *Ven. Col. Bongarſ.*
velut. veluti *Med. Pariſ. Ald. Col.*
vno. Ita MSS. et Edd. B. *Sed* hoc *Bongarſ. et MS. C.*
diſpenſanda. deſpenſanda *MS. B.*
5 *redimit.* redemit *Med. Pariſ. Col. Caeterum mox Bongarſius legi malebat*: contemtum ſui hoſtibus demeret.
7 *poſt haec.* poſt hos *MSS. B. omnes, et Edd. Med. Pariſ. Col.*
in Illyrios. ad Illyrios *MS. B.* in Illyriis *Med. Pariſ.*
Lariſſam capit. Hinc Theſſ. Lariſeam cap. Hinc in Theſ. *MSS. B.* Lariſeam, hinc in Theſ. *al. MS. B.* Lariſſaeam c. H. Th. *Med. Ven.* Lariſſaeam c. hic Th. *Pariſ.* Lariſſam in Theſſalia *Ald. Iunt. et coni. Bongarſ. Et in Pariſ. poſt* Theſſaliam *repetitur* τὸ capit. *Glareanus coni.* Liſſum: *quam eius coniecturam vnice probabat Faber. Scheffernus*: nobiliſſ. Illyrici, Iſſem capit.

8 *gestiebat.* cupiebat *MS. C.*
met. improu. exp. metuentem. Eam improu. exp. *coni. Scheffer.*
9 *facit.* fecit *Med. Paris. Ald. Col. Bongars.*
10 *feliciter.* foeliciter *Paris.*
Olympiadem. Olympiada *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
11 *fratre patruele altore.* fr. patrueli auctore *MSS. B.* actore *al. MS. B. et Bodl. C.* tutore *MS. N. et Edd. B. quidam, Med. Ven. Ald. Iunt. Col.*: *in cuius tamen margine legitur* altore: *quod probabat Scheffer.*
Arruba. Sarraba *MSS. B.* Arysba *Edd. B. quidam.* Arisba *Med. Ven.* Aryba *Paris.* Aryaba *Ald.* Arymba *Col.*: *sed in marg.* Arisba. *Bechar.* Arryba.
Troada. Ita est in Ald. Iunt. et coni. Faber. *Sed* Troadam *Med. Paris. Ven. Col. Bongars.*
matrimonium. matrimonio *MSS. B. et C.*
causa - fuit. illi exitium, malo. o. causa fuit *MSS. B.* illi malorum omnium excium fuit *al. MS. B.*
initium. Deest in MS. C. et in Edd. Med. Paris. Ven. Ald. Col. Bongars. Sed reperit additum in duobus MSS. Fuldensibus Modius.
12 *acqu. se sperat.* Deest τὸ *se* in Bongars.
proprio. prius proprio *MSS. Leidd. duo, et Ed. Rom.*
13 *his ita.* his itaque *MS. B.* Is ita *Med.*
14 *Methonam.* Mothanam *MSS. B. et C.* Mothonam *al. MS. B. Ed. Rom. et Oxon.* Matonam *al. MS. B.* Mathonam *MSS. duo Gronou.*
praetereuntem. praetereuntis *MSS. B.* intereuntem *al. MS. B.*
sagitta. sagipta *Med.*

LIBER VIII

Cap. I, 1 *Graeciae.* Graeciarum *MS. B.* Graecorum *MS. Bodl.*
2 *omnibus perire.* ab omnibus vitae periere *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col. Pe. Pithoeus coni.* omnibus peruiae: *quod valde placebat Bongarsio.*
quod sing. Ita MS. B. *Sed* quid *Ald. Col. Bongars.*
3 *rex Maced. velut e spec.* ex Maced. veluti spec. *Edd. B. quidam, Paris. Ven.* veluti e spec. *Med. Ald. Col.* velut speculа *Paris.*
libertati. libertatem *MS. B.*
insidiatus. insidiatur *MS. B.*
ciuitatium. ciuitatum *Med. Paris. Ven. Ald. Col. vbique.*
subire. obire *MS. B.*
seruitutem. per virtutem *MS. B.*
5 *Thebanam.* Thebarum *MS. Bodl.*

Boeotiam.

Boeotiam. Boetiam *Med. Paris.*
7 *exerceretur.* exercetur *MS. B.*
8 *liberis.* Deerat in MSS. B. et C.
coniugibusque. coniugibus *MS. B.*
Philomelo. Philomene *Med. Paris. Ven. et Col. in marg.*
quodam. quondam *Med. Paris.*
velut. veluti *MS. B.*
irascentes. irascente *Med.* irasc. Apol. Delph. occup. *MSS. B.* irasc. templum Apoll. D. oc. *al. MS. B.*
9 *mercenario.* mercennario *Ald.*
10 *factum.* factumque *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
11 *his et ab.* his ab *MS. B.*
12 *Philomelus.* Philomenes *Med. Paris. Ven. Col. in marg.*
13 *cec. et sacr.* cec. sacril. *Ven.*
14 *Onomarchus.* Oenomenaus *MSS. B.* Oenomaus *al. MS. B. Bodl. et Med. Paris. Ven. Iunt. Col. in marg.* Oenomanus *Col. in marg.* Onomanus *Edd. B. quidam.* Euoemenaeus *MS. C.*

Cap. II, 1 *Thebani.* cum Thebani *MS. B.*
Thessalique. Thessalia *MSS. B. Suspectum videbatur Scheffero.*
2 *timuerunt.* timuerant *coni. Faber.*
3 *ita.* Deest in MS. C.
in praelium. praelium *MSS. B.*
5 *quantum.* quantam - gloriam. *Edd. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
6 *debuit.* debuisset *MS. B.*
extitisse. Dignum itaque, q. d. pr. b. Ita primi distinxerunt locum Oxonienses e MS., applaudentibus merito Scheffero et Graeuio: qui posterior tamen pro *piacula* rescripsit *piaculum*, ob sequens *quod.* extitisse dignum. Itaque creditum est quia diis pr. habeatur *MSS. B.* ext. d. Itaque quasi diis pr. habebatur *al. MS. B.* ext. d. Itaque quia diis pr. habeatur *al. MS. B.* ext. dignum. Itaque diis prox. habetur *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.* ext. d. Itaque a diis pr. habetur *Bongars.*
8 *Thermopylarum.* Thermopilarum *Med.*
sicuti - Persis. Vncinis inclusa sunt in Ald.
9 *vindices.* vindicem *Ald.*
10 *aguntque.* aguntque se *Edd. B. Paris. Ven. Ald. Col.*
11 *inierant.* finierant *coni. Schefferus.*
12 *vt quid posthac suc. i. b. p. n. h.* vt quis posthac succenseri iure barb. posset, non haberet *MSS. B.* vt quid posthac suc. barb. possit, *omissis verbis reliquis, al. MS. B.* vt quid vnde posth. succ. i. b. p. n. h. *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Iunt. Col.*: *sed in his tamen omnibus habetur* possint: *et in Col. in marg.* quod posthac.

Cap. III, 1 *nec.* ne *MS. B.*
melioris. meliori *Col.*
2 *ante.* Deerat in MS. B. vno.
victor. fuerant. vict. nactae fuerant *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald.*
3 *vendidit.* vaendidit *Med.*
4 *penatibus.* poenatibus *MS. B.*
6 *Cappadociam.* Thraciam *Ald. Iunt.* Cappad. et occisis finitimis *MSS. B.* Chalcidem *coni. Bongars.* Chalcidicam *Gronou. auus, et Faber.* Cassopiam *Henr. Valesius ad Harpocrat. p. 38*
traiicit. pergit *MS. B.*
vniuersam prou. vniuersa prouincia *Ven. Ald.*
imperio. regno *MS. B.*
7 *inuidiae famam.* perfidiae famam, *aut* inuidiam famae, *coni. Freinshemius: quam eius posteriorem coniecturam probabat Vorstius.* inopiae famam *Ed. Rom.*
abolendam. obolendam *MS. B.*
qua. quia *Ven. Ald.*
praeter caeteros. prae caeteris *Med.*
tunc. et tunc *MS. B.*
ciuitates. Addunt *Edd. B. Med. Paris. Ven. hic:* et phana ac templa.
8 *qui opin.* quae opin. *MS. B.*
et muros. muros *Ald. Iunt.*
fana. phana *Med. Ald.* fora *MS. N. C.: quod probabat Scheffernus.*
et templa. ac templa *Col.*
susceptores. suscepturos *Col.*
sollicitarent. sollicitarentur *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.* sollicitaret *MSS. B.*
9 *dilationibus.* delationibus *MS. B.*
proficiscebantur. profugiebant *MS. N.: quod glossema Vulgatae putabat Scheffernus.*
11 *exscindit.* excindit *Med. Paris.* excidit *Ven. Ald.*
destinato. destinatos *MS. C.*
tradit. tradidit *MS. B. et C.*
parricidii. paricidii *Ald.*
12 *quasi o. q. a.* quasi quae agitasset, omnia *Ed. Vien.*
auraria auri *MSS. Mo.: fortasse rectius ob sequens* argenti, *Vorstio et Berneccero iudicibus.*
Thessalia. Thessaliam-Thraciam *MSS. B.*
13 *fas.* phas *Col.*
praetermitteret. praetermitteretur *Edd. B.* praetermitterent *Ven.*
14 *euenit.* venit *Med. Paris. Ven.*
non cont. et non cont. *Paris.*
iustitiae. iusticiae *Med.*

15 *et*

15 *et regno.* regnoque *MSS. B.* regno *Med. Parif.* *ac ſcelere.* aut ſcelere *MS. C.*

Cap. IIII, 4 *crudeſcente.* recrudeſcente *Ald. Iunt.* *Theſſali.* Thebani *Edd. B. quidam, Ven. Col.: ſed in marg.* Theſſali.

Boeotiique. boetiique *Med. Parif. Ven.* Boeotii orant *MSS. B.* Boeoti or. *al. MS. B.*

profeſſum. profeſſum ſe *Ald. Iunt.*

7 *etiam nunc.* etiam tunc *coni. Sebiſius, non probante Gronouio auo, nec Vorſlio. Boxhornius volebat deleri τὸ* etiam, *et Schefferus τὸ* etiam nunc.

ſedibus. foribus *MS. Oxon. et Ed. Rom.*

rogantem. rogitantem *Ven. Ald.*

8 *vindices.* principes *MS. Medic. Et vett. Edd. Gronouii poſt* poſuiſſe *habebant* τελείαν σιγμήν.

eoque. eo vſque *Edd. B. et Gronou. Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

adulentur v. ſordidam - partem. adulent vl. ſordidae - parti *MSS. Mo.*

9 *haec.* hoc *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Parif. Ald. Col.*

Lacedaemonioſque. Lacedaemoniis *MS. B.*

imperii. imperium *Med. Parif. Col.* imperium agitantes *Edd. B.*

Graeciae. gratiae *coni. Altingius, probante Graeuio. Vorſlius adeo in contextum recepit. Faber autem, reiecta illa coniectura Altingii, malebat:* nunc Graeciae ſeruitutis aemulos.

10 *venditatione.* inter haec vendicatione *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

faſtidium. faſtigium *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Iunt. Col.*

aeſtimat. eſtimat *Med.*

11 *vtriſque.* Deerat in MS. B. vno.

Cap. V, 1 *Phoc. captos ſe.* Focenſens captus in *MS. B.* Phoc. ſe captos *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

2 *ni fierer.* ne fieret *MSS. B.*

3 *dediderunt.* dedunt *Med. Ven. Ald. Col.* dederunt *MSS. B. et Bongarſ.* dederant *al. MS. B.*

4 *ante.* antea *Med. Parif. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*

5 *paſſim rapiunturque.* paſſimque rapiuntur *MS. B.*

7 *hibernos.* hybernos *Med. Parif.*

et vrbes. ad vrbes *MSS. B. et Bodl.: quod Schefferus probabat.*

vt illi - videbantur. Incluſa ſunt vncinis in Ald.: in quo & ipſo legitur *derelinquenda.*

9 *pauor.* fauor *MSS. B.*

bonorum. boum *Med.*

atque. aut *Col.*

10 *moeror.* maeror *Med.*

verentibus. verentium *coni. Sebiſius, Vorſtio non aſſentiente.*
lacrimae. lachrymae *Med. vbique.*
11 *demiſſus.* dimiſſus *Med. Pariſ. Ven. Col.*
12 *ſepulcra.* ſepulchra *Med.*
in quibuſque. in quibus quae *Med.* quibuſque *MSS. B. et Bodl. C.*
conſider. conſyder. *Med.* conſiderant *MS. Bodl. C.*
13 *in eam diem.* in eandem diem *MSS. B.* in eadem die *al. MS. B.*
nunc. fil. - eſſent. Deerant in MS. B.

Cap. VI, 1 *alios.* ab eis *MS. B.*
ipſis. Deerat in MS. B. vno.
regni terminis. Deſunt in MS. C.
in ſupplementis. in ſupplementa *coni. Freinshemius, probante Fabro. Vorſtius malebat omitti* τὸ in.
2 *regnum.* regem *MS. B.*
conſtituit. ſtatuit *MS. B.*
3 *Macedoniae.* Macedonia *MSS. B.* in Macedonia *Bongarſ.*
captos. deceptos *coni. Scheſſerus.*
4 *manus.* manu *Col. in marg.*
Arrybam. Aryban *MS. B. et Pariſ.* Arymbam *Edd. B. Ald. Col.* Arrymbam *Iunt.* Arisban *Med. Ven.*
iunctum. vinctum *Med. Pariſ. Ven. Ald.*
5 *atque Al.* atque ita Al. *MS. B.*
vxoris. Deeſt in MS. C.
Macedoniam. Macedonia *Med. Pariſ. Ven.*
acceſſit. accerſit *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* acceſſit *MS. B.*
7 *Bacasin praep.* Bachasum in regno praep. *Edd. B. Med. Paris.* Baccasum in regno pr. *Col.* Bacas pr. *MS. B.* Vagasum pr. *MS. Bodl.* Baccasum pr. *Ald.* paculum in r. pr. *Ven.*
8 *Elymaeorum.* Elimaeorum *Med. Bongars.* Elimeor. *Ven.* Velimaeorum *MS. B.* Idumaeorum *al. MS. B.*
Euphr. Eutrat. *Med. Paris.*
9 *atque ita.* A MS. B. aberat *ita atque.*
valetud. valitud. *Med. Paris. Ven. Ald. Bongars.*
correptus. Ita MS. B. Ald. Iunt. *Sed* arreptus *Med. Paris. Ven. Bongars.*
decedit. deceſſit *Med. Ven. Col.*

LIBER XXXXII

Cap. I, 1 *Phrabates.* Phraatus *MS. B. Mox in MSS. B. erat* filius rex ſtatuitur.
Scytharum. Scytarum *Med. In MS. B.* et Scyth. - reuocaretur, neque Scythae.
2 *n. Scythae.* naque ſcithae *Med.* nanque Scy. *Ald. Col.* itaque Scytnae *MS. B.*
et cal. in cal. *Edd. B. Med. Paris. Ven. Col.*
iis. eis *Med. Col.* ſibi *coni. Faber.*
emenſum. menſum *Edd. B. Med.* menſium *Paris.*
3 *ada. eos.* adu. Scythas *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
proficiſceretur. proficiſcitur *Paris. Col.*
regni. Deerat in MSS. B.
Himerum. Humerum *MS. B.* Hymerum *Med. Paris. Ven. Ald. Bongars.* Hymurum *Col.*
importunae. importunae *Med.*
4 *ſ. crud.* crud. ſuperbeque *Med. Ven. Ald. Col.*

iniuriarum. iniuriam *MS. Medic.*
5 *cum incl. Parth. ac.* cum inde iam Scytharum ac. *MS. Bodl. et Ed. Ven.*
transtulere. transtulerunt *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

Cap. II, 1 *huius.* cuius *MS. Bodl.*
Artab. Arthab. *Med. vbique.*
victoria. victoriae *MSS. Mo.*
depopulata. populata *Ven. Ald. Col.*
2 *sed Artab.* sed et Attab. *MSS. B. Bodl. et C.*
Thogariis. Colchatariis *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.* Theogariis *MSS. B.* Thocaris *al. MS. B.*
3 *magni.* magnum *Med. Paris. Ven. Col.*
6 *Ortoadisti.* Arthoadisti *MS. B.* Artoadisti *Med. Paris. Ven. Ald. Iunt. Col.* Attauasdi *e Strabone et Plutarcho leg. ostendit Bongarsius.*
7 *in Armen.* ad Armen. *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
8 *fines eius post.* fines post *MSS. B. Vnde Gronouius auus coni.* cuius fines post P.
9 *vsque mare etc.* vsque vnd. centena millia ad mare Caspium patet *Med. Paris. Ven. Col. Etiam in Ald. est* vsque ad mare: *et* centena.
millia patet. millia passuum patet *MSS. B. et C.*
in latitudinem. latitudine, *amisso τῷ* in, *Ald.* in latitudine *Med. Paris. Col.* in altitudinem *MS. Bodl.* altitudine *Ven.*
passuum septingenta. passus septingentos *MSS. B.* passus septingenti *al. MS. B.*
10 *perditum.* perdere *Med. Paris.* perditum inuenire *MSS. B. et C.*: *pro quo Bongarsius coni. leg.* interite.
insignem. indignam *MSS. B. et C.*
Pelias. Peleas *MS. B.*
periculis. periculo *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
11 *orbis.* vrbis *MSS. B. omnes, Bodl. et C.* Graeciae *coni. Faber. temere. nam* orbis *est hic* Graecia.
12 *rursus a Pel.* rutsum Pel. *MSS. B.*
quotidie. quottidie *Med. Paris.* cotidie *Ald.*
Medea. Media *MSS. B.* medaea *Paris.* Medeo *Ven.*
rursum. rursus *Ven. Ald. Col.*
Medio. Medo *MS. B. Med. Paris. Ald. Col.* Medeo *Edd. B.*
Aegeo. aegaeo *Med. Paris. Bongars.*
repetiuit. petiuit *Paris.*
etiam. Aeëtam *rescribb. Gronouius auus et Faber.*

Cap. III, 1 *militiae.* miliciae *Med.*
qua et fil. qua filiam *Med. Paris.*
f. Aegialium. fil. oetae Aegialium *Edd. B.* fil. oetae Aegialeum *Ven.* fil. Aetae Aegialium *al. Edd. B.* fil. Aetae Aegialium

Aegialum *Col.* fil. aegaei aegialum *Med. Paris.* f. Aegialeum *Ald.* filium eius Aegialeum *MS. Medic. et Ed. Rom.*

2 *primusque humanorum.* primus humanorum *Med. Paris. Col.* primusque hominum *Ald.* primus qui oĩs human. *Ven.*

Liberum, qui. Liberum patrem, qui *MS. B. et Bodl.*

caeli. ſoli *coni. Freinshemius. Scheffero τὸ* caeli *videbatur, vt gloſſema, delendum.*

3 *Recam et Amphiſtratum.* Rhecan et Amphiſtr. *Ald.* Fraudium et Amph. *MSS. B.* Fandium et Amph. *al. MS. B.* Frudium et Amph. *Bongarſ.* Franium et Amph. *MS. C.* phrygium et Anſiſtratum *Med.* Phrygiam et Anſiſtr. *Ven.* phrygium et Anſiſtratum *Edd. B. Paris. Col.* Rhecium et Amph. *coni. Salmaſius.*

4 *quinque mens.* quippe mem. *MSS. B.*

fratres. vt fratres *MSS. B.*

6 *Medius.* Medus *MS. Bodl. et Edd. Med. Paris. Ald. Col.* Moedus *Ven. Mox in MS. Bodl. eſt* virtutum.

matris Med. matris Medeae Medeam *Edd. B. Rom. et Ven. Col.*

Medeam. media *Med. Paris. et MSS. B. omnes, et Bodl. et MSS. Graeci quatuor.*

ex nom. à nom *Col.* e nom. *Ald.* et nom. *Med. Ven.*

ſuo. ſuorum *Ven. Col.*

orientis. omne orientis *Ald.* omne *Ven. Col. in marg.* conſtituti Or. *MSS. B.*

7 *Alb. vic. Amazones.* Albani vicini Amazonum *MS. Medic.*

8 *condit.* condidit *MS. Bodl. C. et Edd. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

9 *a cuius.* τὸ *a* aberat a MSS. B. *a quibus* MS. Bodl. e cuius *coni. Scheffer.*

ſpatio. ſpacio *Med.*

terras. terra *MS. B.*

qu. et vig. XXV *Med. Paris. Ven. Col.*

Sopheue. Sofoene *MSS. B.* Sophone *Edd. B. Med. Paris. Ven. Col.* Sophones *Ald.* Sophene *MS. Bodl.*

emergit. mergitat *MS. B.*

Euphrat. Eufratis *Med. Paris. obiqua.*

Cap. IIII, 1 *regno.* bello *Med.*

2 *Orodes.* Horodes *MS. B. et Edd. Med. Ven. Col. obique.* Herodes *Edd. B. et MS. Bodl.* Horodis *Paris.*

obſidet. obſedit *Ven. Ald.*

4 *iuſſit, et poſth.* iuſſit poſth. *Ven. Ald.*

bellum. bella *Med. Paris. Ven. Col.*

5 *ſuſpectus.* ſuſceptus *Med. Paris.*

duc. trucid. deletur duc. *MS. B.*

6 *ita.* itaque *Med. Paris. Ven. Col.*

partibus. parthibus *Med.*

non

non dubit. non deliberabant *MSS. B. et Medic. Oxon. Leid. Gronouii.*

7 init. c. Lab. cum Lab. inita *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

vaſtauere. vaſtauerit *Ven.*

caſtraque Ventidii. caſtraque ducis Vent. *MS. Bodl.* caſtra quoque Vent. *Ald.*

Parth. Partichum *Paris.*

8 cont. ſe. ſe continuit *Med. Paris. Ven. Ald.*

inſultare. exultare *MS. B.*

9 Pac. cum. Pacorus autem cum *Edd. B. Ven. Ald. Col.*

10 tum Vent. tunc Vent. *Med. Ven. Ald. Col.*

acceperunt. acceperant *MSS. B.*

11 in P. nunt. nunc. in P. *Med. Paris. Ven. Col.*

vict. Pac. victorem Pac. *Paris.*

gloriab. aeque gloriab. *MS. B.*

fil. m. m. filii *Col.*

in fur. ad furorem *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

12 mittere. emittere *MS. Medic. Malliab. et Leid. Gronouii.*

vt etiam m. vt mutus *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

13 videri, Pacorus audiri. videri, auditique *MSS. B.*

cum illo loqui. Deſunt in MS. Bodl. et C.

14 trig. fil. XXX fil. *Med. Ald. Col.*

Pacori. Pacoro *Med. Paris.*

deſtinet. conſtituat *Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

15 quaeque. quoque quaeque *Med. Paris.*

16 fecit. fuit *coni. Gronouius anus.*

habere. haberi *Med. Paris. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*

Phrabates. Phrahartes *Edd. B. Ven. Col. vbique.*

rex. Abeſt a Med. et Pariſ.

Cap. V, *1 mori, pa.* mori naturaliter, pa. *Edd. B. Ven. Col.*

interfecit. interficit *Ald.*

qu. XXX tr. qu. omnes triginta tr. *MSS. B. et Bodl. et Ed. Ald.* quoque omnes trucidat *MS. C.: ita vt eo confirmetur Bongarſii coniectura, qui putabat, τὸ* triginta *eſſe ex inepta gloſſa.*

ſed. ſad *Med.*

2 ne eſſet etc. nec eſſet, qui nominatim rex poſſet creari, ad. *Edd. B. Col. in marg.*

adultim. adultu *Ald.*

3 ſedecim. ſexdecim *Ald.* XVI *Col.*

5 magno temp. magno poſt temp. *MS. B.*

finit. ob id finit. *MS. B.*

ad poſtr. et ad poſtr. *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*

Scythas. Scythias *Med. Paris.*

maximo. maxime *legeb. Freinshemius, probante Scheffero.*

6 Tiridatem. Tyridatem *Med. Paris. Ven. Ald. Col. Bong. vbique.*

adu-

adu. Scyth. Scyth. adu. *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
cum magna. τὸ *cum* deeſt in Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.
in Hiſpaniam. in Hiſpania *coni. Faber. ſine cauſſa.*
profugit. confugit *MS. C.*
7 *mittit, ſeru.* mittit et ſeruu. *voleb. Schefferus.*
8 *nam et - fuiſſet.* In Med. incluſa ſunt vncinis.
Romanorum. Romani *Col.*
dediturum. redditurum *Ald.*
9 *p. om. nih. a Caeſ.* a Caeſ. nihil [*Pariſ.* nichil] per omnia *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
Phrab. et Phraati *MSS. B. Bodl. C. Etiam in Med eſt* τὸ et: *ſed ante* Tiridati *deeſt ibi* τὸ et.
10 *Hiſpanienſi.* Spanienti *MS. B.* Hiſpano *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
veniſſet. peruenisſet *Edd. B. Med. Pariſ. Ald. Col.*
incuſſit. iniunxit *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Iunt. Col. Recepit etiam Vorſtius.*
11 *Craſſiano.* Caſſiano *Edd. B. Med.*
12 *nom. ſui.* ſui nom. *Pariſ. Ven. Ald. Col.*
alius. Deeſt in MS. C.

LIBER XXXIII

Cap. I, 1 *expeditis.* Ita, praeter Med. et alios libros editos, Graeu. Gronou. et Burman. *Sed* explicitis *Bongarſ.* explicatis *MS. C. et Bodl.*
officium. Schefferus delendum cenſebat.
illuſtr. luſtrauerit *Med. Pariſ.*
de ſola patria. de ſola tantum patria *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.* deſolatam patr. *MSS. B.*
3 *traditur.* dicitur *Med. Pariſ. et MSS. C. Bodl.*
neque quidquam. neque ius quicqu. *Ven. Ald.* neque quiſquam *MS. B. In al. MSS. B. deerat* τὸ quidquam.
5 *Italia.* Italiae *Ven.*
in quo habit. quem inhabit. *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. In Med. Pariſ. Ven. Col. etiam* Saturnus *legitur pro* Saturnius.
ſais. Abeſt a Pariſ.
6 *regnaſſe.* Deerat in MS. B. *In MS. Florent. erat* poſt hunc Picus; tertio loco regn. F. ferunt.
Arcad. Archad. *Med. Pariſ.*
Palatium. Ita legitur in Bongarſ. Graeu. a. 1701, et in Gronou. *Sed* Palantium *Graeu. a.* 1694. Pallantium *Burman.* Palantinum *MS. B.* Palatinum *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Iunt. Col. et MS. C.*
Lyceo. Lycaeo *Med. Pariſ. Ald. Col. Bong.*
8 *ſpiritu.* Deerat in MSS. B. In al. MS. B. erat *diuino impleta numine.*

praenote-

praemonebat. praecinebat *MS. B. et C.*
fatuari. fatuarii *MS. B. In MS. Bodl. verba* vnde adhuc, q. i. ſ. f. dicuntur *deſunt.*
10 *bello exc.* praelio exc. *Edd. B, Med. Pariſ. Ven. Ald.*
ad colloqu. et ad colloqu. *Med. Pariſ. Ven. Col.*
vt et in ſoc. vt in ſoc. *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
Lauinia. Labinia *MSS. B.*
ei data. data ei *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
11 *poſt haec.* Ita libri noſtri omnes, etiam Gronou. et Burman. Sed in Graeu. deeſt τὸ *haec.*
vtriuſque. Ita Med. Pariſ. Col. Bong. Graeu. a. 1701, Gronou. *Sed* vtrique *Ald. Iunt. Graeu. a.* 1694 *et Burman.*
Rutulor. Rutilorum *Med. Ven.* rotul. *Pariſ.*
12 *Lauinium.* Ita Ald. Iunt. *Sed* Lauiniae *Edd. B. Med. Ven. Col.* Lauiniam *Bongarſ.*
13 *Etruſc.* Ethruſc. *Med. Pariſ. Col. Bongarſ.*
occidiſſet. cecidiſſet *Ven. Ald.*

Cap. II, 2 *cum aet. prior.* cum in aetatem potiorem *Med. Ven.* cum in aetate potiorem *Pariſ.* cum aetate potiorem *Ald. Col. Bong.* cum vi aetate potiorem *MS. B. et MS. C. Bodl.* cum vi aetate prior. *Gronouius auus ex MS.*
ex genre ex genere *Edd. B. Med. Pariſ. Ver.*
demarſit. demiſit *Ven. Col. in marg.*
add. ini. ſpec. bon. addita iniuria, *vel* additae iniuriae ſpecie honoris *coni. Voſſius. Prius et Graeuio probabatur.*
3 *Marti.* Martis *Med. Pariſ. Ven.*
an ex Marte. an Marte *Ven. Ald.*
4 *prouentu.* pro euentu *Med.* praeuentu *Ven.*
5 *vbera.* hubera *Med.*
6 *pecorum.* porcorum *MS. B. Pro* inter *in Ven. eſt* in.
7 *Martios.* Ita libri noſtri omnes, etiam Graeu. a. 1701 et Gronou. *Sed* Martis *Graeu. a.* 1694 *et Burman.* Martis *nos coni. Scheffer.*
ſiue quod in l. M. e. ſunt. Abſunt a Pariſ.
quod a lupa. quod lupa *Col.* qu. e lupa *Ven.*
Martis. matris *Med.*
velut. veluti *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
creditum. creditum eſt *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
8 *adultis.* adulti *Edd. B. Ven. Col. in marg.*
quotid. cotid. *Ald.* quottid *Med.*
pernicit. pernecit. *MS. B.*
9 *induſtrie frequ.* induſtria frequenter *MS. B.* induſtriae frequenterque *Med. Pariſ.*
veluti. et veluti *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. In iiſdem Edd. B. mox aberat* τὸ regi.

effe.

esset. fecisset *emend. Graevius.*
crimini datur. criminatur *MS. Mo. alter.*
Num. in vit. in vit. Num. *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
10 *adolescentia.* adolescentiam *Paris. Ven.*
lineam. liniam *Med. Paris. Ven.*
anx. tenerent. anx. teneret *Edd. B. Med. Paris. Ald. Col.*
ten. rep. rep. teneret *Paris. Ven.*
cogn. orig. orig. cognita *Med. Paris. Ald. Col.*
erepti. capti *Med.*

Cap. III, 1 *et vrbs.* et ibi vrbs *Edd. B. Med. Paris. Ven.* et vbi vrbs *MS. B.*
2 *tunc et sen. - constituitur.* Deerant in MSS. B.
constituitur. constituti *MS. B.*
tunc et vir. Τὸ *tunc* deest in Ald. Schefferus etiam id delendum censebat.
connubia. coniugia *MS. C.*
et mox. Τὸ *et* deest in Med. Paris. Ven. Ald. Col.
3 *diadem.* diadaem *Med.* *Pro* pro diadem. *Seb. Mugius* *rescribi voleb.* cum diademate.
sceptra. σκῆπτρα *Col.*
4 *Tarquinii.* Tarquini *Med.*
Phocaeensf. Phocensium *Med. Paris. Ven. Ald. Col. Bongarf. vbique.*
Tiberis. Tyberis *Paris. Ven. Ald. Col. Bongarf.* thybe-ris *Med.*
dum vltro. cum vltro *Col.*
5 *exiguitate.* ex ignauitate *Edd. B. Med. Paris. Ven. Col.*
macie. maciae *Med.*
exercuere. exercuerunt *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
plerumque. Abest a MS. Bodl.
gloriae. gloria *Edd. B. Ven. Col.*
sollicitauere. sollicitare *Ven.*
classis etc. clariſſimos et Protis [*al. MS. B.* Protus] fuere *MSS. B.* clariſſ. qui se Proto iunxere *al. MS. B.* clariſſ. et pactis se iunx. *al. MS. B.* clariſſ. Proti fuere *al. MS. B.* clariſſ. et Protis se iunx. *al. MS. B.* classi Furius et Peranus fuere *Edd. B. Med. Ven. Col.* classi Furius et Peranne f. *Paris.* classis Furius et Protis fuere *Ald.*
regem. ad regem *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
Segobrigiorum. Segobtigorum *MS. B.* Segobriorum *al. MS. B.* sociorum *MS. C.* Segoregiorum *Edd. B. Med. Ven. Col.* Segoergiorum *Paris.* Segouellaunorum *e Plinio coni. Bongarsius.*

Nannum.

Nannum. senannum *MS. B.* senanum *MS. Bodl. et Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
9 *Gyptis.* Cyptis *Paris.*
illic. illi *Edd. B. Ven. Col.* ille *Iunt.* illico *coni. Scheffernus.*
10 *proci essent.* Ita Ven. Ald. Iunt. Col. *Sed* processissent *Med. Paris. Col. in marg. Bongars.*
rogantur. vocantur *maleh. Graecius.*
etiam Gr. et Graeci *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
11 *aquam por.* aquam manibus por. *MS. Mo. alter.*
Proti. Proto *MS. B.* Perano *Edd. B. Med. Paris. Ven. Col.*
12 *Rhodani.* Rhodiani *Ven.*
13 *incrementis.* incremento *MS Bodl.*
pericula. periculum *MSS. L. et C.*
in captiis. in captis *MS. B. et Ed. Iunt.* in capertinis *Edd. B. Med. Paris.*

Cap. IIII, 1 *cultioris.* cultoris *Med.*
manufactura. manfueta facta *MS. Bodl.*
2 *ferere.* facere *Paris.*
magnus. et magnus *Med. Paris. Ven.*
3 *Nanno Segobrig.* Segobriorum meranno *MS. B.* Senano Segobriorum *MS. Bodl* Etiam in *MS. C. est* Segobriorum. *In Edd. B. Med. Paris. Ven. Ald. Col.* Senano Segoregiorum. *Faber reponeb.* Mortuo Sebobrig. rege Nanno.
Comanus. Commanus *Edd. B. Med. Col.*
successisset. succeſſit Com. *Col.* succ. Cōmanus *Med. Paris. Ven. Ald.*
affirm. Lig. quid. Ita Ald. Iunt. *Sed* affirmante regulo quodam *Med. Paris. Ven. Col. Bongars.*
in ipso. et ipso *Med. Paris.*
ortu. exortu *Col.*
4 *petisse.* petiisse *Col. bis.*
eodem in. in eodem *Med. Paris. Ven. Ald. Col. In MS. Bodl. deest* eodem.
vind. vendic. *Med. Paris. Ven. Col.*
5 *qui nunc. inquil.* quam inquil. *MS. B.*
6 *incitat.* insitat. *Med.*
insidias. incidias *Med.*
exstruit. instruxit *MS. Bodl.* instruit *MSS. B.* instituit *al. MS. B.* struit *coni. Gronouius anus.*
itaque. ita *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
Floraliorum. Foraliorum *Ven. Col. in marg.*
in vrb. misit. misit in vrbem *Med. Paris. Ven. Ald. Col.*
sirpeis. sirpiis *MSS. B.* scirpis *Edd. B. Ven. Col.* sirpis *Med. Paris. Ald.* scirpiis *Bongars. vbique.*

vehiculis.

vehiculis. vehiculus *Med.* *Pro* ſuperfectos *Nic. Heinſius* [ad Ouid. Faſt. 6, 680] *maleb.* ſuperiectis.

7 *nocte a praed.* nocte praed. *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Col.* n. a praemiſſis *MS. Florent.* nocte praedicta *legeb. Gronouius auus.*

adeſſet. adeſſent *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

ſomno. ſopno *Med.*

arm. inuaderet. armati inuaderent *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Col.* armis inuad. *Oxon.*

8 *adulterare.* adulterari *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Cal.*

ſolita. aſſolita *MS. Bodl.*

formae. Ita Bongarſ. Graeu. vterque, et Gronou. *Sed* formam *Med. Parif. Ven. Ald. Col. Burman.*

aperit. aperuit *Med. Parif. Col. Bongarſ.*

9 *cunctis.* Abeſt a Med. Pariſ. Ven. et Edd. B.

compreh. compraeh. *Med. Parif. Col.*

ſirpeis. ſirpis *Med.* ſtirpis *Parif.* ſcirpis *Ven. Col.*

10 *regi.* regni *Ven.*

tenduntur. praetenduntur *MS. Florent.*

ſeptem m. VII m. *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

11 *ſtationem. i. m.* ſtationes in muris *MSS. B. et Bodl.* ſtationes iniunctas *al. MS. B. Mox Schefferus legeb.* curae habere. *Faber coni.* excubias agere.

12 *ſeruantur.* ſeruatur *Parif.*

Cap. V, 1 *magna illis.* illis magna *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

3 *cuſtodierunt.* conſtituerunt cuſtodieruntque *MS. Bodl.*

induſtrie. induſtriae *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

4 *cum ig.* tum igitur *Ven. Ald.*

virente. nitente *maleb. Schefferus, aut τὸ* virente *omnino delendum ceuſebat.*

5 *Catumandus.* Catimandos *MS. B.* Carimandus *Edd. B.* Caramandus *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

toruae. Toruae *Med. Parif. Ven.*

6 *intr. illi - liceret.* intrare - liceret *MS. B. Etiam in Med. Parif. Ven. Ald. Col. deeſt τὸ* illi.

illam, quae. illamque *Med. Parif. Ven. Col.* illumque *Ald.*

iuſſiſſet. iuſſiſſe *Med. Ven. Ald. Col.*

7 *torque aureo.* torquae aurea *Med. Ven.*

8 *audierunt.* audiuerunt *Ald. Col.* audiuerant *Med. Parif. Ven.*

Romanam. Romam *Ald.*

9 *quam rem.* quare *MS. B.*

domi nunt. nunciat domi *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

publico funere. publico luctu *coni. Faber.*

priuatumque. et priuatum *Med. Parif. Ven. Ald.*

11 *Vocontiis.* Ita MS. B. *Sed* uocantiis *Ald.* Volſcis *Edd. B. Ven. Col.* Volſis *Parif.* uoſcis *Med.*

auum. proauum *MS. Bodl.*

a Cn. Pomp. Τὸ *a* deeſt in Med. Pariſ. Ven. Col.

12 *epiſtol. et legat.* epiſt. ac diuitiarum et legat. *MS. B.* epularumque et legat. *MS. Bodl. et Edd. Med. Parif.* epiſtolarumque ac diuitiarum, legat. *Ald.*

LIBER XXXXIIII

Cap. I, 1 *Hiſpania.* Hiſpaniae *Ven.*

2 *Ibero.* hybero *Med. Ven. Col.*

Iberiam. hyberiam *Med. Ven. Col.*

Hiſpano. Hiſpalo *MSS. B. et Edd. Med. Parif. Col.* Hiſpali *Ven. Ald.*

Hiſpaniam. Spaniam *MS. B.*

4 *vtramque.* vtrumque *MSS. B.* vtranque *Med. Ald. Col.*

in o. fr. gen. omni frugum genere *MS. Bodl.*

abundantiam. Ita MS. et Edd. B. *abundantia* MS. C. Bodl. et Edd. Med. Pariſ. Bongarſ.

ſufficiat. ſuppetat *Col. in marg.*

5 *mag. cop.* cop. magna *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

et vini. etiam vini *Med. Parif. Ven. Ald. Col.*

ſolum. quae ſola *MSS. B.* quae ſolum mat. pr. ſed et equ. *al. MS. B.* *Pro* praecipua *Scheſſerus maleb.* pretioſa. *temere.*

6 *nec ſum.* ſed nec ſummae *MSS. B.* ſed nec ſumma *MS. C. et Bodl.* *Etiam in Edd. Med. Parif. Ven. Ald. Col. eſt* ſumma. Τὸ *bona* Faber cenſebat delendum.

abſtruſorum. Deeſt in MS. Bodl.

7 *irrigui etc.* inrigua eſt, variis [*al. MS. B.* viuariis] quoque Oceani aff. piſcoſis *MS. B.*

in balucibus. Ita Graeu. et Burman. e coni. Salmaſii. *Sed* in laudibus *Edd. B. Ven. Col.* a paludibus *MS. B.* in paludibus *Med. Pariſ. Ald. Bongarſ. Gronou.*

8 *vno.* vni *Col. in marg.*

part. in orb. part. vndique in orb. *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*

mari. mare *MSS. B.*

9 *terrae.* terre *Med. In Pariſ. deeſt.*

artant. arctant. *Med. Parif. Ven. Ald. Col.* *In Ven. mox eſt* fluoribus *pro* littoribus.

Pyrenaeum. Pirineum *MS. B.*

coit. cogit *MS. et Edd. B. Med. Parif. Ven. Col.*

paſſuum DC. M. paſſus *MSS. B. b. e. Scheffero interprete* ſexcenties mille paſſus.

10 *aequ.*

10 *aequ. quia aër.* aequaliſque aër. *Edd. B. Med. Ven. Col.*
paludium. palludum *Med.* paludum *Pariſ. Col.*
verſus. aduerſus *Edd. B. Med. Pariſ. Ven.* aduerſi ſtatus aſſidui *MS. B.* aduerſi et aſſidui ſt. *maleb. Bongarſius.* et vndique ſecus *reponeb. Acidalius in Lect. Velleia.*
hominibus. omnibus *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*

Cap. II, 1 *adſtricta.* ſtricta *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
parcimonia. parſimonia *Med.*
3 *fortior.* potior *MS. Bodl.*
4 *vitae. Celebr. etiam.* vitae celebratur. Eadem *Edd. B. In MS. Bodl. et Edd. Med. Pariſ. Ven. Col. eſt* eadem etiam: *et in Ald.* eadem et b.
vltus. vltro *Med.*
5 *inquies.* inquietus *MS. B. et C.*
ipſorum. ſui ipſorum *Edd. B.*
6 *in f. dies.* niſi feſtis diebus *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Iunt. Col.*
aqua. nec aqua *MSS. B. In iiſdem libris deerant verba* poſt ſec. b. P. a R. didicere.
7 *Viriatum.* Veriatum *MS. B.*
annis dec. annos dec. *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
propiora. propriora *Med.*
ing. gerunt. ingenia ſunt *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Iunt. Col.*
8 *geſtis.* Deerat in MSS. B.
opul. etiam opul. *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

Cap. III, 1 *vento equ. f. conc.* equ. vento concip. *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
prodidere. prodiderunt *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
fabulae ex e. f. n. ſ. quae fabula ex e. f. - nata eſt *MS. B. et Ed. Ald*
Gallaecia. Gallicia *MSS. B.* Gallitia *Med. Pariſ. vbique.* Gallecia *Ven. Col. Bongarſ.*
et Luſ. ac Luſ. *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
ac tam. et tam *Ald. Sed in Med. Pariſ. Ven. Col. deeſt* ac. *In MS. B. erat* Luſutania.
vento i. ipſo vento *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
2 *Gallaeci.* Gallicii *MSS. B.* Gallici *Med. vbique.* Callaeci *Pariſ.* Galleci *Ven. Col. Bongarſ. vbique.*
Telamoni. Thlamoni *Ven.*
Salaminam. Salamina *Pariſ. Ald. Iunt.* Salaminem *Col.*
3 *Euryſace.* Euriſte *MS. B.* Eurice *al. MS. B. et Edd. Med. Col.* Euriſce *al. MS. B.* Eyryce *Ven.*
et poſitis. poſitiſque *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*

4 *Amphilochi.* Ampiloci *MSS. B.* Amphiloci *Med. Ven. Ald.*
ac plumbi. et plumbi *Med. Ven. Ald.*
vberr. huberrima *Med. Parif.*
tum et minio. tum minio *Med. Parif. Ven. Ald. Col. Faber leg.* minii. *Schefferus ita diſtingui verba volebat:* nomen dedit, auro quoque ditiſſima, *ita vt rò* minio *penderet a* ditiſſima.
5 *vt et.* et eti. *Parif.*
aratro. aratra *MS. B. et C.*
exſcindant. excidant *MSS. B. et C. Ed. Ven.* excitent *MS. Bodl. et Ed. Ald.*
6 *gentis.* gentibus *Col.*
quae in his. quod in hiis *MSS. B.*
colligere. colligi *Ald.*
adminiſtrant. adminiſtrat *Ven. Ald.*
8 *eos.* eum *Parif.* ad eos *Ed. qu.*
telum. taelum *Med.*
Bilbili fl. aut Chal. Byrbili flant Calibi *MS. B.* Birbili fluuio aut calybe *Med.*
9 *Chalybes.* calybes *Med.*
ferroque. acie ferroque *coni. Schefferus. temere.*

Cap. IIII, 1 *Tarteſiorum.* Tarteſſiorum *MS. B. et Ed. Ald.* Tarceſſiorum *al. MS. B.* tarcheſiorum *Med.* carcheſiorum *Ven.*
Cunetes. Ita [*Cynetes*] reſcrib. docuit Iſ. Voſſius. *Sed* Curetes *Med. Parif. Ven. Ald. Col. Bongarſ.*
Gargoris. Targoris *Edd. B.*
2 *ex fil. ſtupro nep. prou.* ex filia aeſtu [*al. MS. B.* eſeta: *al.* aceta: *al.* aeſaea: *al.* eſtu: *cui ſuprafcr.* coitu] pronepos [*al. MS. B.* nepos] proueniſſet *MSS. B.* ex filiae inceſtu *coni. Graeuius.*
gen. extingui. generibus mortis ext. *MS. B. et Ed. Ald.*
ſed per omnes. ſed ad omnes *MS. B.*
miſeratione. admiratione *Ald. Iunt.* iteratione *coni. Schefferus.*
3 *et poſt - miſiſſet.* Deerant in MS. B.
5 *inuiolatus.* non violatus *maleb. Schefferus.*
alimentis. alimenti *Edd. B.*
cruciatis. crutiatis *Med.*
obiecit. obiici iubet *Edd. B. Med. Parif. Ven. Ald. Col.*
6 *noceretur.* Sic MSS. Mo. *Sed* noceret *Edd. B. Med. Parif. Col.* necaretur *Ald. Iunt.*
vber. huber. *Med. vbique.*
abiici. proiici *MS. Bodl.*
7 *aeſtus.* aeſtu *Ven.* aeſtas *Parif.*
reciprocantes. reciprocandas *Parif.*

naut

naue, non ſl. naui cum ſl. *MSS. B.*
8 *ſaltuſque.* ſaltuſquae *Med.*
9 *dono datus.* datus dono *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* dono donatus *MSS. B.*
tunc et lineam. ſim. et n. tunc ad lineam. ſimilitudinem, et ex n. *Edd. B. Col. Etiam in Med. Pariſ. eſt* liniam. ſimilitudinē: *et in Ald.* ex notis. *In Ven.* ad lineam. ſimilitudinem ex notis corp.
quae inuſtae. quae viſae *MS. B.* quae iniunctae *al. MS. B. In MS. Bodl. deeſt τὸ* inuſtae.
nepos. naepos *Med.* nepos eſt *Ald. Col.*
11 *Habidis.* Habetis *MS. B. et C.* Hauidis *al. MS. B.* Habido *al. MS. B.* Abius *MS. Bodl.*
tot peric. τὸ *tot* deeſt in Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.
primus. primo *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
quaerere. ſerere *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
mitiora. mitiore *Ald.* micioribus *MS. B.* melioribus *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.*
12 *niſi.* ni *MSS. B.*
13 *hoc eſt miniſt.* Ita Med. Pariſ. Ven. Ald. Col. Bong. Gron. Sed in Graeu. et Burman. deeſt τὸ *et.*
14 *Habide.* Abide *Med. Pariſ.*
a ſucceſſ. rite ab ſucceſſ. *MS. B.* rite ſub ſucceſſ. *MS. C.*
ret. eſt. In. ret. In *MSS. B. et C.*
et quae. ea videlicet quae *MS. B. In Ald. deeſt τὸ* et. *ea quae* coni. Bongarſius.
penes. poenes *Med*
tanta pab. pabuli tanta *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
interpellata. interpolata *MS. B.*
rumpantur. corrumpant *MS. B.* corrumpantur *al. MS. B. Mox pro* tantae famae *in Ven. eſt* tanta fama.
16 *vt fal. prod.* Vncinis incluſa ſunt in Ald.
fratres. Deerat in MS. B.
vno animo. vna anima *MS. Bodl.*
regi. regere *Col. in marg.*

Cap. V, 1 *regna.* Delendum putabat Scheſſerus hoc non minus, quam quod ſequitur τὸ *prouinciae.*
2 *Gaditani.* Gadetani *MS. B.*
Carthaginienſibus. Carthaginienſium *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
vrbemque i. cond. Deerant in MSS. B. et C.
miſere. miſerunt *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
3 *ibi fel.* Vbi ſel. *MS. B.* ſibi ſel. *al. MS. B.* ſic ſel. *al. MS. B.*
4 *Hamilcar.* Hamilcharē *Med. vbique.*
magna. maiore *MS. Bodl.*
miſere. miſerunt *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.* emiſere *MS. B.*

5 *qui et i.* τὸ *qui* deeſt in Ven. Ald.
vlciſcente. vlciſcentis *Med. Pariſ. Ven. Ald. Col.*
6 *maior.* Et maior *MS. B. Bong. inde coni.* Ei maior.
vtr. res g. res geſt. vtr. *Med. Pariſ. Ald. Col.*
ſexdecim. ſedecim *Med. Ven. Col.*
8 *perd. prou. etc.* perdomitae prouinciae, quam Caeſar *MS. B.* perdomitae prouinciae iug. Hiſpaniae accip. *Edd. B. Med. Pariſ. Ven. Col.* perdomitae prouinciae iug. Hiſpani accip. *Ald.* perdomitae prouinciae iug Hiſpaniae capere *MS. Bodl. Faber delenda cenſebat verba* perdom. ptouincia, *applaudente Graeuio.*
Hiſpani. Ita MSS. B. *Sed* Hiſpaniae *Bong.*
victricia ad eos arma. victoriae arma *MS. B.* victoriae ad eos arma *MS. C.*

FINIS. Pompei Trogi epitoma hiſtoriarum Philippicarum libri numero XLIIII. expliciunt feliciter *MSS. B.* Pompeii T. epit. hiſtor. liber XLIIII. explicit feliciter. exceptos ex Iuſtini ſuper Pompeiō Trogum *al. MS. B. Vidit olim Bongarſius Manuſcriptum, in quo hic auctor* Iuſtinus Frontinus *dicebatur.*

[*Et haec quidem hactenus*, ſunt verba Bongarſii, *curioſe fortaſſe nimis, ſed non ſine magnorum et doctiſſimorum virorum conſilio, atque etiam exemplo. In Prologis non eſt, quod eandem quis a me diligentiam requirat. Nam et me res alio meae vocant: et in iis nihil adeo dignum notatione viſum eſt. Hoc ſolum monebo, praeponi eos Iuſtino, in omnibus libris noſtris, praeterquam in vno Pe. Pithoei, in quo ſub titulo argumentorum ſingulis libris Iuſtini ſinguli Prologi praefiguntur.* BONGARSIVS].

ADDI

ADDITAMENTVM
AD
LECTIONIS VARIETATEM
PROLOGG. HISTORR
TROGI

PROL. I, 1 *haec.* Abeſt a MS. C.
Sardanapallum. Sardanapalum *Gron. Burm.*
2 *Aſtiagen.* Aſtyagen *Gron.*
3 *Cyro.* Abeſt a MS. N.
4 *Ionicarum.* Romanarum *MS. N.*
5 *Cambyſes.* Cambyſis *Mod.*

Prol. II, 1 *Tiſafern.* Tiſaphern. *Gronou.*
tenuere. ſuſtinuere *recepit Gronou.*
2 *qua extincta rat.* quam extinctam, qua ratione *MS. C.*
Pro ratione *recepit Gronou.* Marathone.

Prol. III, 1 *pulſo interf. p. Art.* pulſus interfectorem patris Artabanum *MS. C.*
Acchaem. Achaemenes *Gronou.*
2 *ſint.* ſunt *Graeu. Gronou. Burman.*
4 *Meſſiania.* Meſſeniaca *recep. Gron.*
Sicron. et Cor. Sicyoniae et Corinthi *recep. Mod.* Sicyonii et Corinthii *rec. Gronou.*

Prol. V, 3 *Griſſum.* Cyrum *rec. Mod. et Gronou.*

Prol. VI, 1 *Herculide.* Derculide *MS. C.* Dercyllide *rec. Gronou.*
Cnido. Cnidi *MS. C.*
2 *eultrix et M.* Leuctris et Mantineae *rec. Mod. et Gronou.*
3 *Epirei* Pheraei *rec. Gronou.*
4 *Phodiis.* Rhodiis *Mod. Burman.*

Prol. VII *Poenum.* Modius iam rec. *Paeonum.*

Prol. VIII, 1 *interfect.* interfectumque *rec. Mod. Gronou. et Burman. Idem Modius mox rec.* Chalcidoniis.
2 *ab eo.* Abſunt a MS. C.
ſubactae. Ita Bong. Mod. Gron. *ſubacta* Graeu. et Burman.
electo. electo *rec. Mod. Gronou.*

Prol. VIIII, 2 *in qu. ill. pr. f.* in qu. illas pr. finieramus quae ad *MS. C.*
victuſque. victorque *Mod.*
filiae oc. filie die oc. *Gronou. Operarum errore ſupra in notis ad h. l., inter* filiae *et* occiſus, *omiſſum eſt* τὸ die.
4 *nemone.* Mnemon *Mod. Gronou.*

Prol. X, 1 *Annemon.* Mnemon *Mod. Gronou.*
affectores. defectores *Mod.*

2 *deinde in Syr.* deinde Syria *Gronou.*: *operarum dubio procul errore.*
in omnib. Τὸ *in* deeſt in Ed. Mod. et Gronou.
3 *Sidon.* Sidona *iam rec. Mod.*
4 *deinde reus.* dein Dareus *Mod.*

Prol. XII, 1 *Moloſſaque.* Moloſſoque *rec. Mod. Graeu. Gronou. Burman.*

Prol. XIII, 2 *Lamſacum.* Lamiacum *Mod.*

Prol. XIIII, 1 *maiore.* minore *rec. Gronou.*
3 *Polyperchontere, cap.* Polyperconthe receptaque a deſectore Munichia *Mod.* Polyperchonte, receptaque a Nicanore Munichia *Gronou.*
Olympiadanae. Olympiadem *MS. C.*

Prol. XV, 1 *Antiochi fil.* Antigoni fil. *MS. C. Recepernnt Modius et Gronouius.*
2 *Polyperconutes.* Polyperchontes *Mod.* Polypercontes *Gronou.*
7 *Leonimidiae.* Leonidae *Mod.*

Prol. XVI, 2 *Filad.* Philad. *Graeu. Gronou. Burman. Andromachs.* ab Dromichaete *Mod.*
4 *et Heracleot.* Ita Bong. et Mod. Sed τὸ *et* om. Graeu. Gronou, Burman.

Prol. XVIII, 3 *Carthaginumque.* Carthaginienſiumque *iam rec. Mod.*

Prol. XVIIII, 1 *Africam.* Africa *Mod.*
Siciliam. Sicilia *Mod. Gronou.*
Selinum. Selinuntem *Mod.*
Temeseg. et Agrigentum *Mod.*
Gamer. Camerinam *Mod.*
2 *Phoeni per Hom.* Poeni per Imilc. *Mod.* Poeni per Himilc. *Gronou.*

Prol. XX, 3 *Anno.* Hanno *Gronou.*

Prol. XXI, 1 *a patre.* Τὸ *a* deleuit Gronouius.
2 *per Dion. iectus.* vt per Dionem eiectus *Mod.*
ſtatim oleonthe. feceſſit. Vt a Timoleonte *Ed. Mod.* abiit; vt a Timoleonte *Gronou. Supra in notis ad h. l. pro* Corinthum ſucceſſit *leg.* Corinthum feceſſit.
quam ad bello. ad bellum *Mod. Etiam Gronouius pro* ad bello *edidit* ad bellum.
nanctus. nactus *Mod.*

Prol. XXII,

Prol. XXII, 1 *nanctus*. nactus *Mod.*
Opellam. Opheliam *etiam Graeu. et Burm.*
2 *subiecit*. eiecit *MS. C.*

Prol. XXIII, 1 *bellaque*. bella quae *rec. etiam Gronon.*
3 *victus*. victusque *Mod.*

Prol. XXIIII, 1 *contin. b.* continentur haec. Bellum *MS. C.*
Gonatam. Deeſt in Ed. Mod.
et Antioch. Τὸ *et* abeſt a Burman.
2 *Monio*. Mytilo *rec. Gronou.*
4 *occuparant*. occupauerunt *Mod.*
sunt. ſint *Mod.*

Prol. XXV, 2 *Antigono*. Antiocho *MS. C.*
Bithynio. Bithannio *MS. C.*

Prol. XXVI, 1 *Gonatas*. Abeſt a MS. C.
2 *Lacedaemoniorum*. Lacedaemonium *Mod.*
Area. Arean *rec. etiam Gronou.*
8 *Antigono*. Antiocho *rec. Gronou.* : *et mox* Callinicus.

Prol. XXVII, 2 *Hieracem*. Antiochum Hieracem *MS. C. Recepit etiam Gronouius.*
3 *ab Atal. lamb*. ab Attalo Zielam Bithynum *Gronou.*
4 *prona*. Oprona *MS. C.*
Gallin. Callinico *Gronou.*
Artamenem. Ariamenem *Gronou.*
5 *Epacorios*. Apaturius *Gronou.*

Prol. XXVIII, 3 *Macedonia*. Macedonica *Burman.*
3 *mortuite* $\overline{KC}$. mortuo tutelam *Mod. et Gronou.*
Antigon. Th. in A. Antigonus qui Theſſaliam, Moeſiam *Mod. Gronou.*
coepit. cepit *Mod. Gronou.*
Spartanos. Spartanus *Mod. Gronou.*
confuf. confugit *Mod. Gronou.*

Prol. XXVIIII, 1 *Aetulos*. Aetolos *Gronou.*

Prol. XXX, 1 *Vtrufph*. Vtruppone *MS. C.* Vtruphone *Mod.*

Philopator.

Philopater. Philopator *Gronou.*
rapi ei poeam. vtque captus amore *Mod.* rapi ei poëta maro gathoclea *MS. qu.*

2 *quibus.* a quibus *Mod. Gronou.*
victus. victis *MS. C.*

3 *Maccheum.* Achaeum *MS. C. et rec. Gronou.*

Prol. XXXI, 1 *Flamininus.* Flaminius *Gronou.*
Achaicborum. Achaeorum *Mod. Gronou.*

2 *Achilium.* Acilium *Mod. Gronou.*

3 *ab Carth.* ad Carthaginem *MS. C.*

4 *Acholis.* Aetolis *Mod. Gronou.*
Achil. Acilium *Mod. Gronou.*

Prol. XXXII, 2 *ducem ambo.* duce Manlio *Mod. Gronou.*
G. Ortiagonem. Gallum Ortiagontem et Pharnacem *Mod.*
Prusiana. Prusiam *Mod. Gronou.*

Prol. XXXIII, 2 *rursum.* rursus *Mod.*
seu Phil. Pseudophilippo *Mod. Gronou.*

Prol. XXXIIII, 1 *Macel.* Marcellum *Mod.*

2 *Pis. cum Seleg.* Pisidia cum Selgensibus *Mod. Gronou.*

3 *Ptolem.* Ptolemaeus Epiphanes *Mod.*

4 *Epiph. vt m. Pt.* vt mortuo Ptolemaeo Epiphane *Gronou.*
In Mod. deest τὸ Epiphane.
Filom. Philometor *Gronou.*

5 *Ariar.* et Ariar. *Mod.*

6 *Ariat. et Orph.* Ariarathem et Oroph. *Mod. Gronou.*

7 *Seleg.* Selgensibus *Mod. Gronou.*

Prol. XXXV, 1 *Ripat.* Piraticum *Mod. Gronou.*
Chid. Cnidiorum *Gronou.*
aduersum. aduersus *Mod.*

2 *Alexandrom.* Alexandrum *Gronou.*
Filomet. Philomet. *Gronou.*

3 *Diotoro.* Diodoto *Mod. Gronou.*

4 *Asac. Phartum.* Arsacen Parthum *Mod. Gronou.*

Prol. XXXVI, 1 *Cypro.* Vt Trypho *Mod. Gronou.*
captaque. captoque *Mod. Gronou.*
ſed vt. ſedete. Vt *Mod.* Sidete. Vt *Gronou.*
4 *Philom. r.* Phil. Ariſtonicus r. *Mod.*
qua pactus. quo captus *Mod. Gronou.*

Prol. XXXVII, 1 *Mithr. neup.* in Mithr. Eupatora *Mod.*
Etiam in Gronou. eſt Eupatora.
3 *exceſſu.* excurſu *MS. C.*
regnum. regum *Mod. Gronou.*
Boſphoran. Boſpor. *Gronou.*

Prol. XXXVIII, 1 *eupatore.* Eupator *Mod. Gronou.*
Arathe. Ariarathe *Mod. Gronou.*
2 *Phil. ac fr.* Philometore, frater *Mod.*
Aſcon. Phyſcon *Mod.*
accepto regno. accepit regnum *Mod.*

Prol. XXXVIIII, 1 *Gryppos.* Grippos *Mod.* Grypos *Gronou.*
2 *Yzigeno.* Cyziceno *Med. Gronou.*
3 *Latyros.* Lathyros *Mod. Gronou.*
Alexandrone. Alexandro donec *Mod. Gronou.*
4 *Laphyrum.* Lathyrum *Mod. Gronou.*
6 *Antonium.* Ita et MS. C. *Sed* Antigonum *Burman.*
7 *eracleo.* Heracleo *Gronou.*

Prol. XXXX, 1 *Cypro.* Grypo *Mod. Gronou.*
Cizyc. Cyzic. *Mod. Gronou. vbique.*
eius. Abeſt a Gronou.
2 *Hii.* Hi *Gronou.*
eſebe. Euſebe *Mod. Gronou.*
regubi. regum *Gronou.*
3 *quo m.* cui mox *Mod.*
6 *Alexandriam.* Alexandriae *Mod.*
Latirii. Lathyri *Mod. Gronou.*
eius filia. eius filii: *Mod.*
Alex. Rom. Alexandrea Romam *Gronou.*
5 *regem.* regnum *Mod.*

Prol. XXXXI, 2 *partilis.* Parthicis *Mod.* Parthis *Gronou.*

3 *Diodoto*

3 *Diudoto.* Diodoto *Gronou.* Diodoto regnum *Mod. conſt. eſt.* conſtitutum eſt *Gronou.*
Aſiani. Arriani *Mod.*
Socdian. Sogdianos *Gronou.* et Socdian. *Mod.*
6 *Apollodotum.* Apollodorum *Gronou.*

Prol. XXXXII, 2 *Seleuciniſſe.* Seleucienſes ſæuiit; vtque Phraati *Gronou.*
Armenis. Armeniis *Mod.*
4 *Graſſum.* Craſſum *Gronou.*
5 *Phraates.* Phrahates *Gronou.*

SEGIM. FRIDER. DRESIGII

EPISTOLA

AD

IACOBVM HENRICVM BORNIVM

LIPSIENSEM

VIRVM NVNC PRAETORIVM

QVA

IVSTINVM

QVIBVSDAM LOCIS

EMENDAT

VIR CLARISSIME

Quo maiore animi inductione eruditionem Tuam, Vir clarissime, a publicis praeconibus dilaudatam adhuc prosequutus sum, eo iucundior mihi nuntius ille accidit, qui me de summis honoribus in Philosophia abs Te proxime capessendis praeter spem omnem fecit certiorem. Equidem non sum nescius, sapientiam, Cicerone iudice, non aliunde pendere, nec extrinsecus viuendi suspensas habere rationes, sed conscientia recte factorum conquiescere. Cum vero summam, quam amplissimus Philosophorum ordo distribuit, dignitatem sapientissimo consilio maiores litteris ab humanitate dictis propriam esse voluerunt, tum Te, doctissime Borni, et humanitatis scientissimum et scientia humanissimum his non affici honoribus, eo ferebam aegrius, quod hanc rem communem optimarum artium despicatum interpretabar. Cum primum igitur ad me delatum est, Te lauro iamdudum promerita proxime coronatum iri, nihil gratius mihi et antiquius putaui, quam hac Tua dignitate publico, vt ita dicam, nomine gaudere, quae quidem ratio cum vnicuique, licet nullis Tibi nominibus obstricto, tum mihi maxime satis esse poterat ad summos, quos capessis, in philosophia honores Tibi gratulandos, ne amplam mihi et voluptatis viderer et honoris materiam praecidisse. At vero quum accedat Illustris Tui Parentis, Patroni ac Maecenatis mei Excellentissimi, inaudita gratia,

quam et votis expertus sum et meritis maiorem meis, quod humanitatis tantum videbatur, religionis iam esse intelligo hoc minus negligendae, quo testatior est Tuae in me beneuolentiae, nostraeque amicitiae a multis iam annis significatio. Quemadmodum igitur humanissima Tua, Vir Clarissime, doctrina, quam eruditorum tabulae quasi publicae maiorem in modum praedicant atque extollunt, facile caret praeconiis meis, sic et singulari Tuo in me amori, et meo item officio mihi videbar feciſſe satis, laetitiam, quam ex collata Tibi dignitate capio, scriptione quadam publice testatus. Cuius mei officii partes agere Iustinum iussi quibusdam locis a me emendatum, quem ne molestе feras, communis iure humanitatis, cuius et se non plane nullam iudicat portionem, postulat.

Lib. I cap. 5 n. 5 *Et quoniam defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores regno, animum minacem duntaxat in illo fregit.* Negotium hoc in loco Viris doctissimis facessit vox *minacem.* hinc quoniam vetustae editiones prae se ferunt *minatione*, hanc lectionem et Vorstius probat et Schefferus, ita, vt *minatione* pro *comminatione* positum censeatur, hoc sensu, *fregit animum, id est, minuit iram minatione, id est, comminatione, qua Cyrum ab vlteriore conatu satis deterrere posse sibi visus est, duntaxat in illo, id est, eatenus saltem, quatenus iratum habuit animum erga Cyrum.* quam lectionem minime sequendam ducit Graeuius, cui *animus minax* est *ira percitus, qui exitium minabatur et Harpago et Cyro*, hac sententia, *Astyagen iram illam minacem, si non erga Harpagum, saltem erga Cyrum compressisse.* quia teste Herodoto Astyages cum Magis deliberauit, tollendusne Cyrus esset propter somnium, an vero seruandus. At ista mihi quidem nondum faciunt satis, propterea quod sic non apparet, quid sibi velint verba *in illo.* aliud enim est *frangere animum minacem in aliquem*, aliud vero *frangere animum minacem in aliquo.* Itaque si quid mihi cernere datur, existimarem Astyagen hoc loco dici *animum minacem non suum*, sed *in illo*, hoc est, *Cyro tantum fregisse.* Optime haec sententia orationis ordini et rei respondet. animus Cyri minax positus est partim in eo, quod referente Herodoto Lib. I c. 115 Cyrus apud Astyagen accusatus de filio Artembaris verberibus indignis affecto vultu liberiore iure se id fecisse contendit, partim in eo, quod animus Cyri excelsior exitium ipsi Astyagi et eius imperio minabatur, quod somnium a Magis explicatum portendebat. quare *duntaxat* non notabit *saltem*, *minimum*, vt Graeuio visum est, sed *tantummodo.* cuius notionis exempla vbique facile sunt obuia. Ipse autem modus, quo Astyages in Cyro animum

minacem fregit, ex Herodoto Lib. I c. 120 seq. patet, vbi in Persiam missus dicitur, ne quid contra Astyagen moliretur. Atque id ipsum indicat quoque Iustinus n. 8 scribens, *vt ablegatus in Persas ab auo fuerit.* vbi quidem loco *ablegatus*, quod Gronouio debetur, Maior, Becharius et alii ediderunt, *relegatus*, quod Vorstio magis placet, et sine dubio e MSS. haustum videtur. Sed displiceat Scheffero *relegatus*, quia illa Cyri dimissio in Persas non dici possit eiectio infamis e patria. Quamuis autem libenter largiar, *ablegatus* satis commodum huic loco esse, non tamen possum non monere, rationem Schefferi, cur *relegatus* ferri nequeat, esse nullam. nam *relegare* non semper notare eiectionem infamem, sed minime raro etiam significare idem, quod *dimittere* et *separare*, cum alia, tum vel haec testimonia confirmant. Caesar Gall. V, 30 *nec reiecti ac relegati longe a caeteris aut ferro aut fame intereant.* Cicero Offic. III, 31 *Criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare iussisset.* quid? quod *relegatio* mitior omnino fuit, quam exilium, fatente Ouid. Trist. II, 135 sqq.

Adde, quod edictum, quamuis immane minaxque,
Attamen in poenae nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non exul dicor in illo.

Lib. II c. 6 n. 16 *Erant inter Athenienses et Dorienses simultatum veteres offensae, quas vindicaturi bello Dorienses de euentu praelii oracula consuluerunt.* ad quem locum sic commentatur Modius, *de euentu belli, alii, quod probo. aliud enim longe est vincere bello, aliud vincere praelio. illudque prius est, de quo fere oracula consuli solent, quum victus*

victus praelio saepe victorem postea vincat, victus bello in victoris sit potestate. sed non erat, quod lectionem vulgatam Vir doctissimus solicitaret. *praelium* enim et *bellum* hic faciunt paria, quemadmodum *bellum* minime raro pro *praelio* Graecis et Latinis ponitur. Sic ipse Iustinus Lib. III cap. 6 n. 7 *interiecto deinde tempore post reditum suorum aucti et classis et militum robore praelium reparauere.* Dictys Lib. I c. 15 *tum communi consilio super conditione praelii iusiurandum interponi hoc modo placuit.* vid. Cortius ad Iulium Exsuperantium de bello ciuili c. 3. Atque hanc quidem significationem nominis *praelium*, qua est *bellum*, frustra in Fabri thesauro quaesiueris.

Lib. II c. 10 n. 10 *Et iucunda quoque inter se, non solum credula, conuiuia habuerint.* Male in hoc loco interpretes habet adiectiuum *credula.* pro quo Freinshemius maluit *crebra.* qua de re Graevius ita, *Pedibus ego quoque in hanc irem sententiam, et emendationem eruditissimi Freinshemii amplecterer, si libri veteres annuerent. Sed quum in omnibus, quos Bongarsius, Modius aliique euoluerunt, nec non in Iuntina, meliuribus editionibus aliis constanter legatur* credula, *non puto id reiiciendum, quamuis translationis huius ad res exempla in ista voce vix alibi occurrant.* Schefferus vero sic, *Scio, quomodo hic* credula conuiuia, *vt vulgati habent, accipiant. sed an sic Latini vnquam vsurpauerint, hoc vero nescio.* Itaque ex sententia Virorum summorum *credulus* de rebus vix ac ne vix quidem reperitur. Ar humani hic quid passi videntur homines eruditissimi. nam *credulus* duplicem habet significatum, proprium et improprium seu Metonymicum. proprie de hominibus, qui facile credunt, dicitur. improprie autem et per Metonymiam effecti pro caussa de rebus, quae faciunt, vt homi-

nes credant facile, vſurpatur. atque hunc improprium ſenſum tametſi Lexica pro more ſuo ab illo proprio non diſtinguunt, tamen omnino ita ſe rem habere exempla clariſſima declarant. Tibullus II, 1. 1, non verſ. 19, vt habet Fabri Lexicon,

Finirent multi leto mala. credula vitam

Spes fouet, et melius cras fore ſemper ait.

quid hic *ſpes credula* aliud, niſi quae facit, vt homines credant, fore aliquando melius? Ouidius Heroid. VII, 21

Credula res amor eſt, vtinam temeraria dicar

Criminibus falſis inſimulaſſe virum.

quem locum iterum male Fabri Lexicon dicit inveniri apud Ouidium Metam. 7, 831, vbi ne minimum quidem huius rei apparet veſtigium. quemadmodum vero apud Ouidium amor ideo *res credula* vocatur, quod facit, vt homines credant, ſic eadem eſt ratio loci, de quo agimus, Iuſtini, vbi *credula conuiuia* ea dicuntur, quae faciunt, vt credamus illi et fidamus, quo cum conuiuamur.

Lib. II cap. 10 n. 13 *quod vbi primum didicit Demaratus, rex Lacedaemoniorum, qui apud Xerxem exulabat, amicior patriae poſt fugam, quam regi poſt beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magiſtratibus perſcribit, eademque cera ſuperinducta delet, ne aut ſcriptura ſine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet.* Copioſi in hoc loco explicando fuerunt viri doctiſſimi Voſſius, Vorſtius, Graeuius, Faber, et lectionem, quam dedimus, ſatis aſſeruerunt.

runt. Vnicus tamen ſcrupulus reſtare videtur, quem lectionibus iniecit Scheffer us, qui ad verba *aut recens cera dolum proderet*, ita commentatur, *Hic locus, licet aliis intactus, mihi admodum ſuſpectus eſt. quid enim recens cera? num recenter inducta? atqui talis fuit, qua ſcriptura tegebatur, et tamen ea tegi dolus debuit. quid igitur hic eum dicitur prodere? certe velle hoc videtur potuiſſe ceram ſic recenter inductam praebere occaſionem ſuſpicandi, quod videlicet non gratis ita ſit inducta. quam rem qua euitauerit arte Demaratus, apud noſtrum non oſtenditur. an ergo abeſt aliquid? num potius in voce recens latet vitium aliquod? dignus ſane locus eſt, quem ingenioſiores examinent.* hactenus ille. Et ſane vnicuique locum curatius penſitanti fiet manifeſtum, lectionem, quae habetur a nobis etiam expreſſa, ſenſum fundere fere nullum. neque tamen hactenus cum Scheffero faciendum puto, qua ille in voce *recens* vitium aliquod latere ſuſpicatur. ſi coniecturae locus relinquatur, mendum potius in nomine *cera* ſtatuerem. nam quemadmodum *cera* hanc ob cauſſam tabellis ligneis ſuperinducta fuit, vt ſcriptura tegeretur, ſic ea dolum, quem omnino tegere debebat, prodere non potuit. videatur omnino Faber. Iam vero res omnis a Demarato ſuſcepta duplici ratione prodi potuiſſe videtur, vel ſcriptura, quod *cera* ſuperinducta euitatum fuit, vel ipſis tabellis, nouis ſcilicet ac recentibus, vſuque nondum tritis. quo poſito, leui mutatione pro *recens cera*, ſcribendum auguror, *recens ora* ſcilicet tabellarum, ita quidem, vt non ſolum ſcriptura ſeu litterae inſculptae, verum etiam extremitates tabellarum lignearum recens confectarum *cera ſuperinducta* deletae et tectae ab auctore dicantur. Licet enim ſcriptura fuiſſet *cera* abſcondita, niſi tamen ipſae quoque tabellae recenter factae, nouitatis ſpeciem *cera inducta* vitaſſent, dolum omnino prodidiſſent, quum

Perſae nouas tabellas fruſtra confectas fuiſſe vix credidiſſent.

Lib. VI c. 3 n. 3 *Summa igitur non tam ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit.* Ita Maior, Bongarſius, alii ediderunt. Sed recte iam obſeruauit Vorſtius, lectionem eam neque his, quae antecedunt, neque his, quae ſequuntur, conſentaneam eſſe. pluribus enim auctor exponit, quantam curam duces adhibuerint. qua de cauſſa Berneggerus legendum ſuſpicatur, *ſumma tam ducum, quam militum aemulatio fuit*, vel *non tantum ducum, ſed et militum.* quod poſterius etiam mallet Graeuius, ſi MSS. eo inclinarent. Eodem ſpectat Vorſtius, niſi quod pro *ſed et* malit *ſed etiam*, vel pro *quam*, modo *etiam*, omiſſo *ſed.* Schefferus ità legendum ſuſpicatur, *ſumma igitur non magis tantorum ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit.* Freinshemius legit *non tam militum in eo praelio, quam ducum*, cui Faber ſuffragari videtur. Angli, *ſumma igitur in eo praelio tam ducum, quam militum.* Sed omnes hae legendi rationes rem acu tetigiſſe mihi non videntur. Teſtatur Modius et Bongarſius in MSS. omnibus, quos viderunt, ita legi, *non ducum tantum, in eo praelio, quam militum.* quoniam autem Modio illud *tantum* adiectum ab eo videtur, qui alioquin parum plenam hanc locutionem putabat, legit ipſe *ſumma igitur non ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit*, ita vt ſubaudiatur *tam.* Atque ita Iuntas habere, teſtatur Graeuius. quae ſi lectio admittatur, vt admittenda videtur, parua quadam mutatione loco obſcuriſſimo lucem afferri poſſe crederem. Totius capitis argumentum docet ſummam et ducum in eo praelio et militum aemulationem fuiſſe, quod recte viri, quos laudaui, annotarunt. at miror iiſdem non eſſe obſeruatum,

eo

eo in sequentibus spectare, Iustinum, vt exponat diuersam fuisse ducum et militum aemulationem. Conon patriae studebat, non Persis, n. 4, quo Persas victores faciendo restitueret patriam n. 7. Pisander autem contendebat, ne tot bellis ac saeculis quaesitum imperium breuis momenti culpa subverteret n. 8: milites autem tam regios, quibus praeerat Conon, quam Lacedaemonios solicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quaesitas opes amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent, n. 9. Quis igitur dubitabit, auctorem in verbis controuersis hanc diuersam ducum et militum aemulationem nobis indicasse? quae quum ita sint, verba Iustini sic legenda, coniectura ex allatis facta, arbitror, *summa igitur non ducum in eo praelio, quae militum aemulatio fuit.* nam pronomen *quae*, facile a scriba mutari potuit in *quam*, propter primam litteram sequentis verbi *militum*. Sensus vero hic erit, *summa quidem in eo praelio et ducum et militum fuit aemulatio, sed non eadem*, quum duces imperium patriae aut restituere, aut conseruare contenderent, milites autem id spectarent, ne Athenienses imperium pristinum recuperarent.

Lib. VI c. 4 n. 4 *quae ciuitas*, Thebanorum puta, *ex infimis incrementis virtute Epaminondae ducis ad spem imperii Graeciae erecta est.* ita quidem impressum legitur, quod recte iudicat factum Bongarsius, quamuis alii pro *infimis* habeant *infinitis*. vbi Schefferus ita, *Locus hic mihi quidem admodum suspectus est, nec scio satis, an* infima incrementa *recte dicantur. Sane vbicunque incrementa, ibi factus iam processus est ex infimo, adde, quod MSS. omnes consensu miro pro* infimis *habeant* finitimis. *quid autem commode possit substitui, quod ab illo finitimo non longe recedat, hactenus me fateor*

non excogitasse. nisi hoc obstaret, mallem pro ex infimis facere, eximiis incrementis. Certe non est nullius momenti dubium, quod de hoc loco movet vir doctissimus, praesertim quum Bongarsius quoque testetur, MSS. prae se ferre *finitimis.* Videamus ergo, annon lectio MSS. retineri, et commoda inde sententia, mentique auctoris conueniens erui possit. Quid vero obstat, quo minus *finitima incrementa* intelligantur de imperio Athenienſibus per victos Lacedaemonios a Conone Persarum copiis restituto? Ita sane Iustinus, commemorato praelio, quo Lacedaemonii a Conone, regii exercitus duce, prostrati fuerunt cap. 3, pergit cap. 4 n. 1 *hoc initium Athenienſibus resumendae potentiae et Lacedaemoniis habendae finis fuit.* en incrementa Athenienſium. iam vero Geographia docet, Athenienſes Thebanis finitimos fuisse. nonne igitur *finitima incrementa* significant initium resumendae potentiae Athenienſibus? Tum hoc ipso capite n. 3 primi Thebani, auxiliantibus Athenienſibus, bellum Lacedaemoniis intulisse memorantur. quod profecto nec Thebani ausi fuissent, nec Athenienſes, nisi horum imperium, victis, vt modo demonstrauimus, Spartanis, creuisset. Itaque Thebanorum ciuitas finitimis incrementis Athenienſium adiuta Lacedaemoniis bellum fecit, et duce Epaminonda ad imperium Graeciae adspirauit. quae si quis attente cogitauerit, non dubito, quin lectionem MSS. *ex finitimis incrementis* ipsa narrationis serie confirmatam antepositurus sit coniecturis, quibus Viri acutissimi aut *infimis*, aut *infinitis*, aut *eximiis* substituerunt.

Lib. XV c. 2 n. 8 *Et vt appareret eos non odio, sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella contendebant.* quae quidem verba tametsi ex Grammatices praeceptis stare nulla ratione

ne possunt, tamen ab interpretibus sicco, quod aiunt, pede praetermissa sunt, si vnum exceperis Schefferum, in minimis accuratissimum. Quamobrem haec annotauit, *MSS. coniunctionem* et *non agnoscunt, sed et in caeteris distinctio videtur parum apta. vellem eam fieri hoc modo, Aegyptum remittit, vt appareret, eos non odio, sed dignitatis gratia accensos. donis muneribusque inter ipsa bella contendebant, tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiae coluntur.* Eatenus quidem Viro doctissimo adstipulari non dubito, qua coniunctionem *et*, fide MSS. adductus, delet. At nouam, quam ipse tradidit, distinguendi rationem non possum non reiicere. nam primo durius nescio quid sonare videtur omissum verbum *esse*, post *accensos*. deinde verba *contendebant*, et *gerebantur* nullo modo coniungi possunt, sed illud respicit ea, quae in superioribus exposita in praesenti fuerunt. Denique epiphonemata in Iustino semper, quod sciam, praecedente puncto reperiuntur. e. g. L. II cap. 10 n. 11 *tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur.* Lib. XII cap. 11 n. 9 *tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi supplicii constantiam disciplina militaris dabat.* Quid? quod in hoc ipso capite, ex quo verba dubia desumta sunt, simile reperitur exemplum n. 14 *tanta in illis verecundia fuit, vt cum opes regias haberent, regum tamen nominibus aequo animo caruerint, quoad Alexandro iustus heres fuit.* Vt igitur coniecturam meam de hoc loco paucis aperiam, suspicor verbum *contendebant*, mutandum esse in *contendere*, propterea quod rudis scriba facile existimare potuit infinitiuum hic pro imperfecto positum esse more historicis perquam vsitato, deceptus forsitan voce, quae sequitur, *gerebantur*. Hac enim ratione omnia erunt plana, nec quicquam vel

in

in orationis seriem, vel in Grammaticen offensum reperietur.

Lib. XXXI c. 8 n. 9 *Captas ciuitates inter socios diuisere Romani, aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias iudicantes.* ita quidem hic locus in vulgatis editionibus et in nouissima, quam curauit Cl. Abr. Gronouius, legitur. At testibus Bongarsio et Graeuio codices MSS. et Iuntina veteresque aliae editiones ita legunt, *Captas ciuitates inter socios diuisere, muneris Romani aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias iudicantes.* Vnde Graeuius censet scribendum, *Captas ciuitates inter socios diuisere, Romanis aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias iudicantes*, quia sensus postulet, vt exprimatur, quibus aptior fuerit gloria, quam possessiones voluptariae, dicitque in antiquo libro scriptum fuisse *Romani.* quod quum ab alio correctum esset superscripto *Romanis*, natum inde esse apud alios descriptores, non exputantes, quid *Romani* et *Romanis* sibi vellet, *muneris.* Vorstius, quoniam Becharii et Maioris editiones sic habent, *muneris Romani aptiorem Asiam*, legendum coniicit, *muneri Romanis aptiorem Asiam*, vt sensus sit Asiam Romanis in munus aptiorem fuisse. vel si *gloriam* retinere malueris, *muneris Romanis aptiorem gloriam*, vt sensus sit, muneris gloriam Romanis aptiorem fuisse, quam possessiones voluptarias. Scheffero sic scripsisse distinxisseque Iustinus videtur, *Captas ciuitates inter socios diuisere muneri Romani, aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias iudicantes*, et illud *muneri diuisere* sic est dictum, vt *donarunt victum memoriae patris* apud eundem nostrum XXXVIII, 6, pro diuiserunt in munus, vt esset munus, vt haberent pro munere. Sed si dicendum, quod mihi videtur, nodum, quod

quod aiunt, in ſcirpo Viri alioquin maximi quaeſiſſe videntur, quum lectio MSS. et veterum editionum optimum et rei aptiſſimum ſenſum habeat, ſi verba recte diſtinguantur. Sic ergo lego, ac diſtinguo, *Captas ciuitates inter ſocios diuiſere muneris Romani, aptiorem gloriam, quam poſſeſſiones voluptarias iudicantes.* Verba *muneris Romani* conditionem et modum diuiſionis captarum ciuitatum continent. Scilicet diuiſerunt Romani inter ſocios captas ciuitates ea tamen lege, vt eas muneris Romani agnoſcerent, et has ciuitates Romanis in acceptis referrent. Ita vocem *munus* poſuit Tacitus Annal. XV c. 52 in fine, *Plerique Veſtini quoque conſulis acre ingenium vitauiſſe Piſonem crediderunt, ne a libertate moueretur, vel dilecto imperatore alio ſui muneris Remp. faceret.* quid? quod ipſe Iuſtinus in ſimili negotio eadem ratione loquitur Lib. XXXXII c. 5 n. 8 *nam et ipſe reſtitui in regnum deſiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, ſi eius regnum muneris eorum fuiſſet.* Quo quidem loco quid clarius ad explicandum noſtrum locum afferri poſſit, equidem non video. Frequentiſſime hoc ſenſu ponitur nomen *beneficium*, vid. Liuius Lib. I c. 35. Suetonius Tib. c. 12. Atque hanc ſententiam, quae proxime ſequuntur, verba omnino poſtulant, *quippe victoriae gloriam Romano nomini vindicandam, opum luxuriam ſociis relinquendam.*

Lib. XXXVIII cap. 2 n. 5 *Quod vbi Mithridates cognouit, et ipſe pari impudentia Gordium Romam mittit, qui ſenatui aſſereret.* Suſpectum hic Viris ſummis videtur verbum *aſſereret*, vt Gronouius legendum praecipit, *aſſueret.* Quod etiam Bongarſiana MSS. exhibent. Hinc Schefferus, quamvis concedat *aſſerere* pro *affirmare* vſurpari a veteribus,

ribus, dubitat tamen, *asserere quid alicui* an reperiatur. vnde putat nostrum *asseueraret* scripsisse. Graeuius vero ita, *Verissima est scriptura librorum Bongarsianorum, qui* asseueret *legunt, pro asseueret. nam* asserere *pro* affirmare *nusquam apud meliores scriptores veteriores reperitur.* asserere in libertatem *frequens est, sed* asserit hoc hic *aut* ille *deterioris temporis.* vnde nouissime sic edidit Cl. Abr. Gronouius. Vt initium dicendorum faciam a Graeuio, argumentum, quod affert pro stabilienda lectione *asseueret*, existimo nullum esse. nam quemadmodum Vir summus per *meliores scriptores veteriores* sine dubio Ciceronem reliquosque aureae aetatis auctores intelligit, sic nullum est dubium, quin Iustinus pertineat ad scriptores deterioris, quod Graeuius dicit, temporis. quamobrem licet concedam *asserere* pro *affirmare* vix aureae dici aetatis posse, tamen argentea atque adeo Iustini aetate frequentatus iam fuit significatus verbi *asserere* pro *affirmare*. Sic habet Tacitus Annal. Lib. II c. 83 *asseruit Tiberius, solitum paremque caeteris dicaturum.* idem lib. XVI c. 2 *nec missis visoribus, per quos nosceret, an vera asserentur.* vid. Cellarii Cur. Poster. pag. 205. Huc accedit, quod Iustinus alias quoque vtitur verbis, quorum vsus ex aurea aetate non potest vindicari. e. g. *restaurare*, Lib. XX cap. 5 n. 6. Lib. XXXI c. 3 n. 8 alibi: *impossibile* Lib. II c. 4 n. 18: vbi euoluatur Faber: *adunare* Lib. II c. 12 n. 18 ibique Vorstii annotationes. Sic etiam significatio praepositionis *iuxta*, qua idem sonat, quod *secundum*, sine dubio ad deterius tempus est referenda, quam nemo antiquiorum iudice Cellario d. l. pag. 249 vsurpauit, et tamen ita posuit Iustinus Lib. II c. 12 n. 25 *quum anceps praelium esset, Iones iuxta praeceptum Themistoclis pugnae se paullatim subtrahere coeperunt.* Si ergo eiusmodi verba

verba in Iuſtino toleranda ſunt, non ſane video, cur verbum *aſſerere* pro *affirmare* pariter ferri non poſſit, praeſertim quum argenteae aetatis ſcriptoribus minime raro frequentetur. Quod ad Schefferum attinet, dubitat ille, an reperiatur *aſſerere quid alicui.* At ne id quidem Auctoribus poſterioris, cuius etiam Iuſtinus eſt, temporis plane inauditum. Palladius Lib. III c. 17 n. 6 *Mihi aſſeruit diligens agricola omne inſitum ſine dubio comprehendere.* Accedit denique, quod Gronouianum *aſſeueret* huic loco vix conueniat, quum omnino, vt Scheffero iam ſuboluit, deberet eſſe *aſſeueraret.* nam verbum, quod praecedit, *mittit,* requirit imperfectum tempus. quod dum ſequentia verba indicant, tum ratio loquendi alias Iuſtino celebrata. Sic Lib. XXXI c. 1 n. 2 *legatos ad eum ſenatus mittit, qui denuntiarent ei:* c. 2 n. 1 *Senatus Cnaeum Seruilium mittit, ſi poſſet, eum per aemulos eius interficeret.* Lib. XXXIIII c. 3 n. 1 *mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum, qui abſtinere illum Aegypto, aut ſi iam inceſſiſſet, excedere iuberet.* quum igitur dicendi modus, et tempus, quo Iuſtinus vixit, verbum *aſſereret* huic loco aſſerant, illud omnino ſine merito reiectum ſuo loco reſtituendum putamus.

Sed redeat oratio, unde exorsa est. Ego vero illos, qui a Sapientibus vrbis nostrae Tibi, Vir clarissime, conferuntur, honores quemadmodum certissima eruditionis Tuae egregiae puto praemia, sic felices Tibi esse volo, deum precatus immortalem, vt non minus his, quam reliquis, quibus abundas, bonis perpetuitatem addat, et omnia Tibi euenire iubeat, quibus veram et felicitatem et laudem vera sapientia metitur. Vale. Scr. Lipsiae a. d. VIIII. Kalend. Mart. A. C. CIↃIↃCCXXXVIII

ADDENDA ET EMENDANDA

Praefat. Editor. P. XXX *poſt* Vorſtius *adde:* atque etiam Abr. Gronouius. *Mox poſt* Prologos *inſere haec:* ante Gronouium, qui et ipſe tribus Codicibus Anglicanis, quatuorque Leidenſibus, in his maxime Perizoniano, vſus eſt.

Caeterum Editio Mediolanenſis, quam a nobis conſultam eſſe diximus, eſt in bibliotheca Senatus Lipſienſis. Primus eius dominus fuit Iohannes Camerarius de Dalburg, Epiſcopus Vormatienſis.

P. 8 in notis ante 1 *vix pat.* inſere: *tractare*] Tac. II Ann. 67 *qui regnum interim tractaret.* et Lucret. V, 930 *tractare vitam.* Gronouius.

P. 11 v. 1 *leg.* vbi extructa.

P. 12 v. 15 *dele rò* infantis.

P. 15 v. 17 *leg.* ſecuribus eſſe.

P. 20 v. 5 *leg.* fortuna.

P. 22 v. 13 *leg.* dolet.

P. 27 v. 17 *leg.* ne moenibus.

P. 34 v. 12 *leg.* regnum trepidus ſe. *Ibid. v. 18 leg.* denuntiantibus.

P. 40 v. 12 *leg.* reperta eſt, in c.

P. 44 v. 24 *leg.* inſtauraret. *P. 46 v. 10 leg.* magiſtratibus: *quod etiam p. 47 v. 3 reponi oportet.*

P. 49 in notis ante *Mihi quoque* etc. *inſere:* Hanc lectionem confirmat Lucan. II, 135 *Aut Collina tulit ſtratas quoque porta cateruas.* et Liu. VII, 26 *Circa iacentem ducem ſterne Gallorum cateruas.* Gronouius. *Mox p. 50 v. 8 leg.* tutum eſt: *et v. 9* inh. remis. *P. 53 v. 10* beſtiae eſcae illec.

P. 59 in notis ante 2 *magiſtratibus* etc. *inſere: 9 principes ad off. imp. form.*] Vt nihil iniuſti ab populo exigerent. nec aliter Flamininus apud Liu. XXXIIII, 18 *Non cogitauit modo, imperauitque quae in rem eſſent, ſed pleraque per ſe ipſe transegit; nec in quenquam omnium grauius ſeueriusque, quam in ſemetipſum imperium exercuit.* Gronouius

P. 64 v. 27 *leg.* Iam et.

P. 66 v. 15 *leg.* ſi ipſi ap. *Et p. 67* in notis ante *1 maiore etc.* adde: *direptam velut a corp.*] Quidam Codices *diremptam* praeferunt, quod probo. Nec aliter Liu. XXIIII, 9. *Hiſpania anguſto diremta freto.* Gronouius.

P. 68 v. 3 *leg.* inter ſe: *p. 68 v. 23 leg.* ab altera.

P. 73 in notis ante *Adſentior* etc. *inſere:* Retinenda omnino lectio vulgata, *Myſteria Cereris Initiorum.* Vt ſupra II, 6 *ſimultatium offenſae.* Loquitur enim auctor pleonaſtice. *Gronouius.*

P. 74 v. 24 *leg.* vi victi.

P. 75 in notis *ante* pro aequare *inſere:* pro cogitare. Sed. *Mox p. 76 v. 5 ſcrib.* diſſidentibus: *et v. 9* atterendam.

P. 82 v. 8 *leg.* Piraeeum: *p. 83 v. 23 leg.* refugiunt: *p. 84 v. 18 dele τὸ* in, *et lege* Athenis.

P. 87 v. 7 *dele τὸ* regis: *p. 88 v. 11* a Tiſſaferne: *p. 93 v. 16* diſtinerentur: *p. 94 v. 1* et victos.

P. 95 v. 9 *dele τὸ* et, *et in notis ante 2* velut *etc. inſere: 1 poſt paucos d. dies*] Lege *poſt paulo deinde Epaminondas* etc. Nec vllus erit auctoris noſtri ab aliis diſſenſus. Eademque locutione vtitur Liu. XXII, 60 *Annibalem poſt paulo audiſtis.* Gronouius.

P. 96 v. 8 mil. ſcientia hom.: *v. 13* allatum, velut: *v. 25 dele τὸ* antea; *et v. 26 dele τὸ* eſt.

P. 104 v. 1 Troada.

P. 108 in notis *ante* Iuntae Thrac. *inſere:* Omnino ex Diodoro lege, *Chalcidicam*, nempe Thraciae partem, vbi olim floruit Diomedes. *Cappadocia* enim in Aſia minore ſita eſt, quo nunquam penetrauit Philippus. *Gronouius.*

P. 116 v. 5 alimentis: *p. 120 v. 4* dum: *v. 9 dele τὸ* Pauſanias: *p. 122 v. 18* inuentio nec inuentionum; *p. 123 v. 5* pater de conu., *deletis verbis* mos erat etiam: *v. 8* ſaeuiret: *v. 11* volebat.

P. 124

P. 124 v. 5 honeſtior, ille nec ſociis abſtinebat. Frugal.

P. 130 v. 5 *pro* Lacedaemonios *leg.* Thebanos: *v.* 20 ab Aeacid.

P. 133 v. 16 a domo: *p.* 134 *v.* 17 Adraſtiae.

P. 136 v. 8 plauſtri Gordii requ.

P. 140 in notis *poſt* Gronouius *adde:* 10 *tert. interrog. poſc.*] Videtur auctor ſcripſiſſe, *tertiam interrogationem ponenti:* vt Cic. I de Orat. 22 *Mihi nunc vos, inquit Craſſus* etc. *quaeſtiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis?* Idem VIIII Ep. Fam. 26 *Quod tu vnum ζήτημα Dioni philoſopho poſuiſti.* et Phaedrus fab. 53 *Nec quaeſtionis poſitae cauſſam intelligit.* Gronouius.

P. 145 v. 7 plura millia.

P. 149 v. 10 circa vrbem: *v.* 19 dudum fama.

P. 151 v. 16 *dele τὸ* militum.

P. 155 in notis *poſt* Gronouius *adde: vulnera tractare*] Id enim cenſebant officium eſſe erga defunctos et vulneratos. Stat. III Theb. 154 — *Quae vulnera tractem, Quae prius ore premam?* Idem XI, 624 *Hei! mihi quos nexus fratrum, quae vulnera tracto?* Idem.

P. 156 v. 3 *dele τὸ* et: *p.* 157 *v.* 25 dedidiſſet: *p.* 158 *v.* 18 in terram: *v.* 21 inueniſſet: *p.* 160 *v. vlt.* reſiſtit: *p.* 161 *v.* 5 *dele τὸ* tum: *p.* 165 *v.* 15 *dele τὸ* rebus: *p.* 168 *v.* 8 perpetes.

P. 173 v. 31 ex tribu ſua: *p.* 174 *v.* 5 in regiam: *p.* 175 *v.* 2 equites in conc.

P. 179 in nota 1 *leg.* Iuntis quoque.

P. 181 v. 4 *dele τὸ* hoſtes: *et v.* 20 fontium vbert: *p.* 186 *v.* 13 qui ſolus.

P. 196 v. 17 remedium: *p.* 203 *v.* 13 in eas ſedes: *p.* 206 *v.* 16 *dele τὸ* enim.

P. 212 v. 16 itaque leges: *p.* 213 *v.* 8 genus Aeac.

P. 240 v. 17 iſta facere.

P. 246 in notis *ante* 1 quo veher. *insere:* 3 *ſtatus praeſentis fortunae*] Forte, *ſtatus praeſentis fortuna.* Gronouius.

P. 256 v. 6 occiſoque filio.

P. 269 v. 23 laſſitudo, ſuper haec.

P. 277 in notis *ante* ſe quia etc. *insere: arc. ſeruis iub. obſerari*] Lege, *arceſſitos ſeruos iubet obſerare fores, tyrannoque nuntiare.* Gronouius.

P. 315 v. 25 perpulerat.

P. 335 v. 9 Hae certo: *p. 337 v. 4* potitus eſt: *p. 350 v. 17* aui donarent: *p. 370 v. 16* amnibus.

P. 464 v. 10 *dele τὸ* Mo.: v. 14 *dele τὸ* Col.: *ſed poſt* ſiue *adde* quae ſiue exagger. *Col.* v. 24 *poſt* Rhiphaeis *adde* Mo. *Pro* Magliab. *reſcribe vbique* Malliab.

INDEX
IN IVSTINVM

AVCTORE

IOH. FREINSHEMIO

CVI

IOH. SCHEFFERI

ET

ALIORVM ANIMADVERSA

ACCEDVNT

INDEX
IN IVSTINVM

PRIMVS NVMERVS LIBRVM SECVNDVS CAPVT CVIVSQVE LIBRI TERTIVS TMEMATIA SEV SECTIVNCVLAS CAPITVM DENOTAT

A tergo ponere partem exercitus 1, 6. 10: *pro quo mox* poſt terga. A frontibus 1, 6. 11. a principio Sicilia patria Cyclopum fuit 4, 2. 1. a faſtigio maieſtatis in ſeruitutem redacta 13, 1. 5
A caſtris profugus 22, 8. 8. a Sicilia abire 23, 4. 9
Ab hoſtibus, quam a filio tutior 10, 1. 7
Abdalonimus ex hortulano Sidoniae rex 11, 10. 8
Abderitae fugati a ranis 15, 2. 1
Abelani Chalcid. colonia 20, 1. 13
Abeſſe paulum a capienda vrbe 2, 8. 5. abeſt metus; *non timet* 2, 10. 23
Abiectus partus 11, 12. 6. abiectae epiſtolae totis caſtris 14, 2. 1
Ablegari. ablegatus ab auo in Perſas 1, 5. 8
Abnuere totum 9, 2. 8. collationem 16, 3. 9. munus libertatis 38, 2. 8
Abolere inuidiae famam 8, 3. 7. cladem acceptam 31, 6. 8. maculam ſegnitiae 36, 1. 2. iniuriam 42, 3. 1
Abire in diuerſa 42, 4. 8
Aborigines primi Italiae cultores 43, 1. 4
Abraham rex Damaſci 36, 2. 3
Abrupte agere, *hoc eſt, calide, inconſideranter* 2, 15. 4
Abſtinere manus 8, 6. 4. abſtinere bello alicuius 12, 2. 11
Abſtinentia alieni 2, 2. 12
Abydenus pons 2, 13. 5
Acarnanes Alexandrum Pyrrhi, in regnum reſtituunt 26, 3. 1
Romanos implorant contra Aetolos 28, 1. 5
ſoli Graecorum auxilia contra Troiam non miſerunt 28, 1. 6
Accedere ad montem 12, 7. 8. acceſſit exercitui animus ingens 1, 6. 12. acceſſerat quotidiano labori fames 2, 13. 12. accedunt hae vires Lacedaemoniis 4, 3. 5: acceſſura illis

(*quae subigerentur*) pro ignobili momento Macedonia 7, 3. 1. accedere viribus alicuius 8, 3. 14. accessere viribus Persarum non mediocre momentum 11, 4. 12. accessit tantus ardor animis regis aduentu alicuius 31, 3. 6
Accendere animos in spem 13, 7. 6: *hoc est, spe implere, vt auctor loquitur* 11, 1. 8. accendi, *subaudi* ira 14, 6. 8: *sic et* 2, 8. 9. accensus incredibili ardore mentis 11, 5. 4. accendere aliquem ostentatione diuitiarum, *pro excitare* 11, 9. 4. non odio, sed dignitatis gloria accensum esse 15, 2. 8. querelis accenditur senatus in aliquem 22, 3. 6. accensus fauore iuuenis 35, 2. 3. accendi pertinacia 39, 3. 10. aemulatione virtutis 42, 2. 3
Acceptissimus, *hoc est, gratissimus* 13, 2. 8. 18, 3. 9
Accipere in manum, *hoc est, brachiis excipere*, Germ. *auf die Arme nehmen* 1, 4. 12. non accipere pacem, *non est recusare, sed non posse consequi* 5, 4. 4. accipere veniam ab aliquo 12, 8. 6. prouinciam 13, 4. 12 et 21. *pro consequi*. Accipere *pro admittere* 11, 6. 9. *pro audire* 3, 7. 7. accipere herbam, *pro adhibere, siue sumere, quod Plinio frequens est*, 12, 10. 3. accipere exercitum, *id est, regendum accipere* 1, 6. 9. vulnus, *id est, cladem* 1, 8. 10. 5, 5. 5. *contrarium* dare vulnus, ibid. accipere nuntium 1, 9. 9. parvam manum, i. e. *paruum exercitum* 1, 10. 21. cuius inter clarissimos vindices vrbis nomen accepimus, *i. e. audiuimus, aut legimus* 7, 1. 5. accipere patienter iugum seruitutis 11, 14. 8. responsum 12, 2. 8. iracunde laudes paternas 12, 6. 6. in deditionem 12, 6. 18. 12, 7. 13. praecepta virtutis ab aliquo 15, 3. 6. partem regionis in portionem belli 28, 1. 1. in matrimonium aliquam 28, 3. 10. cladem 31, 6. 8. ignominiam bello 32, 3. 16. accipere opinionem veteris fabulae 13, 7. 7
Acclinis parieti 28, 4. 9
Accusari affectati regni 18, 7, 18. 21, 5. 11. accusare tarditatem alicuius 2, 15. 6. crudelitatem alicuius 14, 6. 6
Accusatiuus cum infinitiuo vt aliquid subaudiendum sit. Tantam in eo virtutem fuisse 2, 9. 19. tantam famae velocitatem fuisse 2, 14. 9. tantum in vno viro fuisse momenti 5, 4. 12. tantum facinus admississe ingenia 8, 2. 12
Accusatiui Graeci. Zopyrionа 2, 3. 4. Ionas 2, 12. 1. Lacedaemona 5, 1. 3. Eleusina 5, 10. 4. Conona 6, 1. 9. Ma-

9. Macedonas 7, 2. 7. Phrygas 11, 7. 9
Acer. acerrimis litterarum ſtudiis eruditus 12, 16. 7
Acerba et luctuoſa res 38, 8. 14
Acerbas Eliſſae maritus, a Pygmalione occiditur 18, 4. 8
Aceſines amnis 12, 9. 1
Achaia 3, 6. 13
Achaei Peruſinorum conditores 20, 1. 11. a Philippo ad Romanos deſciſcunt 24, 4. 16. bellum gerunt cum Nabide 31, 3. 3. cum Meſſeniis 32, 1. 5. cum Romanis 34, 2. 1
Achaeorum inter ſe conſpiratio, fides, potentia 34, 1. 1
Acheron amnis Italiae 12, 2. 14. Epiri 12, 2. 4: *vbi* Acheruſius amnis *dicitur adiectiuo ab Acheronte deducto: quod non aduertit Ortelius in voce Acheron.*
Aciem rumpere 1, 6. 12. in acie Perſarum plus praedae, quam periculi 11, 13. 11. in aciem procedere 14, 2. 1. in aciem deſcendere 14, 3. 1
Acilius cos. Rom. Antiochum vincit 31, 6. 5
Acquirere. acquiſiti viro regni termini 1, 2. 8. acquirere inimicis ſuis hoſtes 3, 6. 11. acquirere alicui periculum ex inuidia, infamiam ex ſuſpicione proditionis 3, 7. 8. habitus ſqualoris ad miſericordiam commouendam acquiſitus 4, 4. 1
Acropatos in diuiſione imperii Alexandri maiorem Mediam conſequitur 13, 4. 13
Acta, *pro rebus geſtis* 12, 6. 17
Actus, *hoc eſt, actiones* 31, 2. 1. *Ita in orat. quae fertur Ciceronis in Salluſt.* 4: *item in ſecunda Agraria ſub finem.*
Acuit animos iniuria, et indignitas 3, 5. 4. vires militum labor 20, 1. 2. ad acuendos ſuorum animos 24, 7. 10
Aculei ſagittarum ex aere 9. 2. 13
Ad libidinem, *hoc eſt, pro arbitrio* 8, 9. 7. meliora patriae tempora ſe reſeruare 2, 10. 5. 28, 4. 9. poſtremum 6, 2. 12. 13, 8. 10. 14, 3. 1. 16, 4. 3. 24, 3. 9. 30, 3. 13. 44, 4. 4. pugnam, *hoc eſt, vt pugnaretur* 11, 13. 2. ſepulturam redimere 2, 15. 19. ſua tuenda 38, 10. 8. ad ſua tuenda dilabi 2, 12. 19. *Ita Tacitus* A. 1, 73. 1 ad ſua tuenda digredi. Ad terrorem omnium interficere aliquem 5, 9. 2. ad metum caeterorum 15, 3. 5. ad conſpectum alicuius, *dum aliquem conſpicis* 15, 3. 8. ad ſolatium alterius alicui aliquid adimere 38, 2. 6. ad reatum revocatus 4, 4. 4: *h. e. ob reatum, vt tanquam reus accuſaretur.*

Adaſpii ſubiguntur ab Alexandro 12, 5. 9
Addere. adduntur vocibus lacrimae 2, 8. 9. 4, 4. 2
Addiſcere, *pro intelligere ex relatu aliorum* 2, 3. 13
Adduci in ſpem regni 3, 1. 2. eo vſque deſperationis adducere aliquem 3, 5. 6. adducere in ſummam deſperationem 18, 7. 6. in ſuſpicionem 43, 2. 10
Adeſſe ſenatui graſſanti in populum 16, 4. 12
Adhibere, *pro adiungere* 8, 4. 6. in auxilium 3, 6. 2. 6, 6. 7. in conuiuium 7, 3. 3. adhibere Lacedaemonios, *vt deprecentur pro aliis* 8, 4. 6. adhibere ludos 9, 4. 1. aliquem in conſilium 13, 6. 10. vim 14, 4. 8
Adigere alicui ferrum 1, 9. 22. aliquem iureiurando 8, 4. 11. ſacramento 22, 4, 5
Adiicere. imperio adiicere regionem, ciuitatem 1, 2. 8. 1, 9. 1. 5, 4. 6. adiecta laude terreſtris belli 5, 4. 7
Aditus. omnes aditus obſidere 1, 5. 10. aditum regis obtinere 21, 6. 5
Adiungere Africam Perſico regno, *id eſt, poſt ſubiugatum regnum Perſicum et Africam ſubiugare* 21, 6. 1
Adiurare, *pro iurare* 24, 2. 8
Adiuuare bellum non gregarii militis opera, ſed imperatoriis virtutibus 5, 2. 1
Adminiſtrare tutelam 3, 2 7. regnum 4, 2. 5. maieſtas regni per ſeruum ad miniſtrata ibid
Adminiſtratio reip. Spartanae 2, 2. 14. gentis 41, 2. 2
Admirabiliter 1, 8. 14. admirabile 2, 2. 14
Admiratio eſt alicui ſeruatae virginitatis 2, 4. 17. admiratio tanta eius fuit 20, 4. 18
Admittere facinus, *pro committere* 15, 2. 4. *ſubaudiendum autem* in ſe: *quod interdum diſerte additur. V. Ind. Nepotis.* admitti, *ſubaudito* ad regem 1, 3. 2. admittere equum equae 1, 10. 7. admittere ad conſpectum ſuum milites 12, 15. 2
Admodum, *hoc eſt, circiter* 11, 14. 11. 17, 2. 4. 18, 5. 5. 24, 1, 6 et 7
Admodum puer 3, 1. 3. 8, 6. 7. 36, 1. 8. Παντελῶς νέον *dixit Strabo lib.* 17 *pag.* 548 *lin.* 10, *et Diod.* 20. 24. *Sic Florus* 2, 6. 10 praetextatus admodum filius. *item Nepos* 21, 1. 1 admodum adoleſcentulus: *pro quo idem alibi* peradoleſcentulus 18, 1. 4
Admoneri. dolore orbitatis admonitus 1, 5. 8. admoneri libertatis, *recuperandae puta*, virtute alicuius 2, 9. 5. admoneri exemplo alicuius, vt tibi conſulas 4, 5. 11. admonere aliquem cognationis, ſacro-

ſacrorum communium 5, 10. 3. 11, 3. 1
Adoleſcentia vitioſa 36, 1. 1
Adoptare aliquem in ſucceſſionem regni 9, 2. 1
Adoptio teſtamenti 38, 5. 4: *in teſtamento ſiue per teſtamentum facta.*
Adorari ſoliti Perſarum reges 6, 2. 1. ſe iubet Alexander 12, 7. 1
Adores Damaſci rex 36, 2. 3
Adraſtii campi 11, 6. 10
Adreſtae ſuperantur ab Alexandro 12, 8. 9
Adria vrbs Italiae Graecae originis 20, 1. 9
Adſciſcere in matrimonium aliquam 38, 8. 5
Adſtricta parcimonia 44, 2. 1
Adſtruere, *pro ſtruere, hoc eſt, cumulare* 23, 3. 13
Aduentare 11, 1. 8. aduentat dies 18, 3. 12
Aduerſis vulneribus cadunt Athenienſes 9, 3. 10. ex aduerſo ſtant claſſes 2, 14. 8. aduerſis numinibus tanto ſcelere 18, 7. 1
Aduerſus aliquem mitis 7, 6. 16. aduerſus hoſtes iracundus ibid. aduerſus alios melioris fidei eſſe 8, 2. 3
Adulari aliquem 8, 4. 8. adulatio hoſtis, *hoc eſt, qua hoſti adulamur* 11, 12. 12. *ita* vulgi 13, 3. 2. magnitudinis alicuius 30, 4. 18
Adulationis effectus 31, 6. 3 et ſeqq.
Adulta aetas 2, 6. 16. ad adultam aetatem peruenire 3, 2. 5. vſque adultam eius aetatem 17, 3. 21
Adulterium Alcibiadis 5, 2. 5
Adulteria grauiter apud Parthos punita 41, 3. 1
Adulterare 43, 4. 8
Adunare, *pro coniungere* 2, 12. 18. 7, 1. 12. 15, 4. 22. 16, 2. 1. *pro colligere* 5, 9. 6. 11, 5. 4. 12, 2. 16. 24, 1. 5. 24, 6. 2
Aduocare concionem 2, 8. 8
Aeacidae Herculis Thebani progenies 11, 4. 5 plerumque intra XXX annos defuncti 12, 15. 2. gens antiquiſſima 12, 6. 3
Aeacidas Moloſſ. rex 14, 5. 9. regno pellitur 17, 3. 17
Aedeſſa, vrbs Macedoniae 5, 1. 7
Aediles Corinthii 21, 5. 7
Aegeae vrbs Macedoniae, quae prius Aedeſſa 7, 1. 10
Aegeus, Theſei pater 2, 6. 14. 42, 2. 13
Aegialus, Medeae frater 42, 3. 1
Aegre, *pro vix* 2, 4. 32. aegre ab eo obtentum 12, 8. 6. aegre quieuit precibus victus 18, 5. 6
Aegritudo, *pro moerore* 32, 2. 8. 38, 2. 2. aegritudo animi 32, 3. 4
Aegyptus a Cambyſe ſubacta 1, 9. 1. fecundiſſima 2, 1. 8. *Hinc illud Auguſti decretum apud Tac. A.* 2, 59. 5. magna impenſa regum munita 2, 1. 20. occupatur ab Alexandro 11, 11. 1. in diuiſione imperii Alexandri Ptolemaeo cedit 13, 4. 10. temperata ſemper fuit 2, 1. 6.

ſtructa magnis molibus aduerſus vim incurrentium aquarum 2, 1. 20. foſſis conſciſſa ibid. eius paludes prohibuerunt ab ipſa Scythas 2, 2. 14
Aegyptiorum ſuperſtitiones 1, 9. 2. cum Scythis contentio de vetuſtate generis 2, 1. 5. ſtudia. Aſtronomia 20, 4. 3. et magia 36, 2. 7. foedus cum Romanis 30, 2. 9
Aegypti rex Laedaemonios iuuat 6, 2. 2. ideoque bello a Perſis petitur 6, 6. 3
Aegyptium mare 2, 1. 19
Aemilius Annibalem nauali praelio vincit 31, 6. 9. eius pulcrum facinus 31, 8. 7. Perſeum vincit 33, 2. 6. leges Macedonibus dedit 33, 2. 9
Aemulari cui 6, 9. 2: *vbi Modium vide.*
Aemulatio inter Cononem et Piſandrum 6, 3. 3. virium inter Athenienſes et Lacedaemonios 3, 2. 4. virtutis et animorum inter Lacedaemonios et Meſſenios 3, 5. 31. muliebris 14, 5. 2. gloriae bellorum cauſſa 17, 1. 8. aemulatio gloriae *praef.* 1. aemulatio mutua 3, 5. 13: *vt* mutuus amor.
Aemulator virtutum Ageſilai Piſandrus 6, 3. 8
Aemuli inter ſe Lacedaemonii et Thebani 8, 4. 9. aemulorum odia 5, 2. 5
Aemulos remouere 13, 4. 6. aemulus regni 9, 7. 3: *hoc eſt competitor, et vt ſupra* 8, 3. 10 *particeps* 11, 12. 3. aemulis imperii, gratiae imperantis (*ſic enim legendum arbitror*) 8, 4. 9
Aeneas Latinos condidit, 20. 1. 12. in Italiam venit 43, 1. 17. pugnans contra Mezentium occubuit 43, 1. 21
Aeolides inſulae natiuis ignibus frequentes 4, 1. 11
Aeolus Siciliae rex 4, 2. 2
Aequales, *qui ſunt eiuſdem aetatis* 9, 6. 6. 37, 4. 1
Aequalitas difficilem electionem facit 1, 10. 2. diſcordiam parit, vel auget 13, 2. 3. patrimoniorum apud Spartanos 3, 3. 3
Aequare conuexa vallium 2, 10. 22. aequare patrimonia 3, 3. 3
Aequo Marte, *hoc eſt, pari fortuna belli* 3, 6. 9. aequis conditionibus pacem facere 22, 8. 5. aequis legibus pacem facere 23, 1. 5. aequo iure pacem facere 23, 1. 14
Aeſtimare, *pro deliberare* 8, 4. 10. vtros potius dignetur, aeſtimat 8, 4. 10. aeſtimare aliquos non veteri fama, ſed praeſentibus viribus 30, 4. 10
Aeſtuaria, *vel pro ipſa exaeſtuatione, vel locis, per quae in flumina exaeſtuans mare incurrit* 44, 1. 17.
Aeſtu, *ſubaudi curarum* 11, 13. 3. aeſtus, *pro nimio calore* 12, 1. 2. *pro fluxu maris* 12, 10. 6. aeſtus periculorum 22, 3. 8

Aeſtuare, h. e. *angi*, *dubitatione torqueri* 1, 10. 15
Aeeta Colchorum rex 32, 3. 15
Aetatis priuilegium 2, 10. 2. aetatis gradus 3, 3. 9. aetas militaris *pro aetatis militaris hominibus* 5, 6. 5. ſupra aetatem virtus eius admirabilis eſt 6, 5. 3. aetas imbellis *pro hom. imbell.* 6, 7. 1. a paruula aetate 12, 4. 9. effetae aetatis viri 6, 7. 4. aetatis ſenioris rectores 29, 1. 8.
Aethiopia 1, 2. 8. eam imperio adiecit Semiramis ibid.
Aetna Siciliae mons igniſer 4, 1. 5. eius rei cauſſa 4, 1. 14 et 15
Aetnaeorum bellum cum Syracuſanis 22, 1. 11
Aetoli Brunduſium condunt 12, 2. 7. bellum in Graecia mouent 13, 5. 1. Chiorum exules recipiunt 26, 1. 5. partem Acarnaniae Epirotis eripere conantur 28, 1. 1. Romanis intercedentibus ſuperbe reſpondent 28, 2. 1. bellum cum Philippo gerunt 29, 1. 13. 29, 4. 5. Antiochum in Romana bella impellunt 30, 4. 19. 32, 1. 1. libertatem amittunt 32, 1. 2. Aetolorum 500 paſtores, 9000 Lacedaemoniorum caedunt 24, 1. 6. Aetolorum ciuitatibus pecuniam imperat Pyrrhus 14, 1. 6. earum vniuerſus ſenatus Romam miſſus 33, 2. 10
Aeuum, *pro aetate*, *vita* 2, 4. 17. in omne aeuum ibid.: *vt Graeci εἰς αἰῶνα τὸν ἅπαντα: et omiſſa praepoſitione*, omne aeuum 14, 4. 14
Affatim 1, 8. 5
Affectare imperium 6, 1. 1. regnum 2, 15. 14. 18, 7. 18. 24, 5. 14. tyrannidem 21, 5. 11
Affectus varie his 12, 1. 5
Afferre fauorem vel odium, *pro conciliare* 27, 1. 10. vim, *pro inferre* 18. 7. 8. afferre magnum malum Siciliae 22, 3. 5
Affici ſeruilibus verberibus 1, 5. 2. verberibus voluntariis 2, 8. 7
Affirmatio. fidem facere affirmationi ſuae 1, 7. 17. ad affirmationem maieſtatis 24, 6. 6
Afflictae partes, *hoc eſt*, *debilitatae* 13, 8. 9. res, *h. e.* inclinatae, *ſiue vt Liuius amat loqui*, acciſae, 4, 5. 2. afflicta gemino vulnere funerum 28, 3. 3: *vbi* vulnus *pro dolore*.
Affluere, *pro accedere* 26, 2. 1
Affinitates connubiorum 12, 12. 2
Afri legatos ad Alexandrum mittunt 12, 13. 1. bella cum Carthaginienſibus gerunt 19, 1. 4. Carthaginienſibus ſtipendium remittunt 19, 2. 4. ad Agathoclem deficiunt 22, 6.

13. Dionyſio militant 23, 1. 11
Africae vaſta regio 13, 7. 3. caſtella et vrbes in planis absque moenibus 22, 5. 5. deſcriptio 44, 1. 3. tertia pars mundi 30, 4. 9
Africanus Scipio 31, 7. 1. Africani egregia vox 31, 7. 5. moderatio in recipiendo filio 31, 7. 5
Agas Cyrenarum rex 26, 3. 2
Agathocles Lyſimachi, a patre occiditur 17, 1. 4
Agathocles ex humili genere factus Siciliae tyrannus 22, 1. 1. bis exul 22, 1. 16. Syracuſas obſidet 22, 2. 2. cum Poenis bellum gerit 22, 3. 8. in Africam traiicit 22, 5. 1. nauibus incenſis ſpem fugae ſuſtulit 22, 6. 4. Poenos caedit 12, 6. 6. Cyrenarum regem interficit 22, 7. 5. Poenos Sicilia pellit 22, 8. 3. ex Africa fugit 22, 8. 8. in Italiam traiicit 23, 2. 1 et 19. morbo corripitur 23, 2. 3. obit 23, 2. 12. Agathoclis diuitiae 23, 2. 6
Agathocles Ptolemaei Philopatoris ſcortum 30, 2. 2
Agathoclia meretrix eius ſoror 30, 1. 7
Agenor Pithonis pater 13, 4. 21
Agere procul, *pro eſſe et degere* 11, 5. 2. *pro pellere* 9, 4. 9. *Ita* agere in fugam 16, 2. 3. in exilium 2, 9. 6. 16, 4. 4. 17, 3. 17. 20, 1. 5. 22, 1. 16. 39, 5. 2. 39, 4. 10. ad naues 2, 9. 17. currum circa metam 12, 10. 5
Agere omnem vitam heſterno labori ſimilem 1, 6. 6. agere primos annos in luxuria, in laboribus 3, 3. 6. actis quindecim annis in regno 45, 5. 9. tutum exilium alicubi agere 5, 9. 5. agere pueritiam alicubi 11, 4. 5. agere animum alicuius praecipitem 18, 1. 2. agere praedas 22, 6. 8
Agere exilium, *pro degere in exilio* 3, 3. 12. conuentum 12, 13. 3. praedas, *Beute machen* 22, 6. 8. nepotem, *h. e. gerere ſe nepotem* 1, 6. 17. tutorem 7, 5. 9. nepotem magis quam victorem agere in aliquo 1, 6. 16. propugnatorem ſceleris 8, 2. 11
Agere, *pro tractare, handeln* 2, 14. 10. *pro degere* 3, 3. 6. agi, *pecudum proprium, tergiuerſantibus militibus nec inepte attribuitur* 1, 6. 10
Acta res, *h. e. geſta* 4, 5. 4. *Vide l. 19 et 58 de V. S.* male acta res, *dicitur ibi pro* male geſta res. *Nimirum* agere *ſaepe eſt* gerere. Actum melius cum republ. 9, 4. 9. nihil actum, ſi, *pro fruſtra* 12, 3. 3. acta Alexandri, *pro rebus geſtis* 12, 6. 17. *Vid. et* 12, 7. 13. nihil actum 38, 1. 1
Actor, *pro hiſtrione* 6, 9. 4
Ageſilaus claudus altero pede 6, 2. 5. Ageſilai res geſtae 6, 4. 9

Aggerationes, *pro aggerum confectionibus* 2, 1. 2
Aggredi rem magni et animi et operis, *praef.* 1. aggredi orbem terrarum *descriptione* ibid. 2. eadem aggredi 1, 6. 1. aggredi aliquem, *de eo qui hortaturus est* 2, 13. 1. aggredi aliquem dolo 3, 1. 2. aggredi eandem viam crudelitatis 5, 10. 5. aggredi bella Scythica 9, 2. 10
Agis rex Laced. 5, 2. 5
Agidis alterius bellum cum Antipatro 12, 1. 9
Agitare, *pro agere* 1, 5. 5. *pro cogitare* 2, 12. 3. agitare animo, *idem* 8, 3. 14. *pro tentare* 14, 4. 12. *pro concutere*, *iactare* 18, 6. 10. agitare conuiciis 14, 3. 8. agitatus status vrbis variis discordiarum casibus 18, 6. 10. agitatus parricidiorum furiis 24, 4. 8
Agitare fastigium magnarum vrbium, *hoc est, comparare inter se et quasi librare*, *earum dignitatem*, *opes*, *potentiam* 8, 4. 10: *sicut simili fere Phrasi Suet. Caes.* 47, 1 exigere pondus *dixit. Legendum potius* agitare fastidium, *vti editum est.*
Agitare imperia, *h. e. agere* 19, 2. 6. *Sic in Sueton. Vesp.* 1, 6 *est* agere publicum, *pro quo alii male*, publicanum. *Similis Phrasis est in Tacito Germ.* 26, 1 agitare foenus, *et Liuio* 1, 23. 7 agere regnum. *Haec ex Cl. Berneggeri, praeceptoris mei, Notis ad Suetonium.*
Agmen, *pro exercitu* 2, 4. 12. 2, 10. 1. *Sic Liu.* 28, 7. 16 *et auctores passim. Vid. Barth. Aduers.* 72 f.
Aiax 44, 2. 4
Alba Longa conditur 43, 1. 23
Albani ab Hercule conditi 42, 3. 4. *Meminit horum et Florus* 3, 5. 46.
Alcetas Perdiccae frater 13, 16. 15. ab exercitu hostis appellatur 13, 8. 10
Alcibiades dux Athenienſis in Cilicia 4, 4. 3. reuocatur ad reatum 4, 4. 4 et 5, 1. 2. Elidem in exilium proficiscitur 5, 1. 2. Lacedaemonios ad bellum contra Athenienses instigat 5, 1. 4. ipse eorum ciuitates ad defectionem compellit 5, 2. 2. adulterata Agidis vxore, ad Darii praefectum confugit 5, 2. 5. pulcer et eloquens 5, 2. 6. ad Athenienſium partes redit 5, 3. 1. ab exilio reuocatur 5, 3. 6. Lacedaemonios bello petit 5, 3. 9. mari 5, 4. 1. terraque vincit 5, 4. 3. ingenti ciuium fauore excipitur 5, 4. 9. vincitur 5, 5. 2. denuo in exilium abit 5, 5. 8. interficitut 5, 8. 12
Alere. alitur ipsis vndis incendium 4, 1. 11. alere contentiones ciuitatum 8, 1. 3
Alexander Amyntae 7, 2. 13. Persicorum legatorum libidinem

bidinem vlciſcitur 7, 3. 4. regnum Macedonicum egregie ampliat 7, 4. 8
Alexander alterius Amyntae 7, 4. 5. Philippum fratrem Illyriis obſidem dat 7, 5. 1. inſidiis matris occumbit 7, 5. 4
Alexander, Olympiae frater, Epiri rex 8, 6. 7. Cleopatram Philippi ducit 9, 6. 1. bellum in Italia gerit 12, 1. 4. 12, 2. 1. occiditur 12, 2. 14. cum omnibus copiis 23, 1. 17
Alexandri M. dux Sopyrion, cum omni exercitu a Scythis deletur 2, 3. 4. 12, 1. 5. 37, 3. 2. Alexander M. cum Amazone concumbit 2, 4. 33. ſuae ſtirpis vltimus, et quare? 7, 2. 4. Alexandri prima rudimenta 9, 1. 10. Athenas proficiſcitur 9, 4. 5. caedis paternae conſcius 9, 7. 1. comparatur cum patre 9, 8. 13. incipit regnare 11, 1. 2. dux Graecorum fit 11, 2. 5. Thebas diruit 11, 4. 7. ab Athenienſibus duces et oratores petit 11, 4. 10. Tyrum capit 11, 10. 14. Iovis Hammonis filius ſalutatur 11, 11. 7. Alexandriam condit 11, 11. 13. Darium tertio vincit 11, 13. 1. Perſis iugum ſeruitutis impoſuit 11, 14. 7. Perſepolim capit 11, 14. 10. illacrimatur defuncto hoſti 11, 15. 15. laetatur morte aemulorum regum 12, 1. 5. habitum Perſicum ſumit 12, 3. 8. ſacvit in ſuos 12, 5. 1. Clitum interficit 12, 6. 3. inedia mori vult 12, 6. 15. vult adorari 12, 7. 1. 11, 11. 11. ſaxum, quod Hercules non poterat, expugnat 12, 7. 13. Porum vincit 12, 8. 5. in vrbem hoſticam ſolus deſilit 12, 9. 5. vulneratur 12, 9. 12. Statiram Darii F. ducit 12, 10. 9. aes alienum militum ſolvit 12, 11. 1. eorum ſeditionem compeſcit 12, 11. 8. ſatellites ex Perſis legit 12, 12. 4. Ephaeſtionem ſepelit 12, 12. 12. venenum bibit 12, 13. 8. militibus valedicit 12, 15. 2. moritur 12, 16. 1. eius elogium 12, 6. mortem eius conſequentia 13, 1 et ſeqq. corpus ad Hammonem delatum 13, 4. 6. Alexandri etiam mortui reuerentia apud ſuos 13, 4. 4. 15, 2. 14. Graecorum exules reſtituit 13, 5. 2. Athenas deleturus erat, ſi vixiſſet 13, 5. 7. Alexandri fauor 13, 6. 12. 14, 1. 8. terror apud Carthaginienſes 12, 6. 1. poſt eum omnes duces faſtidiunt Argyraſpides 14, 2. 7. Alexander militum opera magnus factus 14, 2. 10. Alexandrum mortali manu cadere, fas non fuit 14, 4. 12. Lyſimachum leoni obiicit 15, 3. 7. Sandrocottum interfici iubet 15, 4. 16. eius tota domus a Caſſandro ſublata 14, 6. 12. 15, 2. 3. 16, 1.

16, 1. 15. eodem modo vindicatur 16, 2. 6. Alexandri nomen, quasi numen in auxilium vocatur a Macedonibus 24, 5. 9
Alexandri M. filius Indorum rex 12, 7. 10
Alexander Lynceſtarum frater 11, 2. 2. *Hic Curtio eſt Alexander Lynceſtes* 7, 1. 6. propter inſidias Alexandro paratas in vincula coniicitur 11, 7. 2. occiditur 12, 14. 1
Alexander Caſſandri 16, 1. 5
Alexander Pyrrhi 17, 1. 3. caedem parentis vlciſcitur 26, 2. 11. Macedoniam occupat 26, 2. 12. et amittit 26, 2. 13. reſtituitur 26, 3. 1. ſororem ſuam in matrimonio habet 28, 1. 1
Alexander Perſei cum patre capitur 33, 2. 6
Alexander falſus, Βάλλας *dictus Ioſepho*, Demetrium Syriae regno, et vita exuit 35, 1. 9 et ſeqq. 29, 1. 6. occiditur 35, 2. 4
Alexander, *Zebina Ioſepho dictus*, a Ptolemaeo Phyſcone in regnum Syriae ſubornatur 39, 1. 5. occiditur 38, 2. 7
Alexander Ptolemaei matrem interficit 39, 4. 7. propterea in exilium pellitur 39, 5. 2
Alexandri multi, *pro ſimilibus Alexandri* 13, 1. 15
Alexandria Aegypti conditur 11, 11. 13. Carthaginis aemula 21, 6. 3. aedificata a Cleomene 13, 4. 11.
Alexandrini regi ſuo tutorem a Romanis petunt 30, 2. 9
Alexandria ad Tanaim conditur 12, 5. 12
Alias. nuſquam alias 4, 1. 9: *vbi* alias *pro* alibi, alio loco. *Sed vſitatius eſt pro* alio tempore
Aliena qui affectat, propria ſaepe amittit 39, 1. 3
Alienare, *pro occultare* 18, 3. 9. alienatis rebus, *hoc eſt, recedente fortuna et mutato priore rerum ſtatu* 13, 6. 10. alienare a ſe aliquem 1, 7. 18. alienatus vocibus alterius 6, 1. 7
de Alieno largiri, facile 36, 3. 12
Aliquantiſper in Scythiam proceſſit 1, 7. 4
Allegare, *hoc eſt praetexere*, Germ. *verwenden* 16, 1. 10. *Vid.* l. 9 *de procur.*
Alligare vulnus, *pro obligare* 15, 3 13. alligari in ſocietatis foedera per legatos 24, 1. 2
Alloquio poſtremo aliquem dimittere 19, 3. 11
Alludere. infans veluti ad notam allusit 1, 4, 12: *quod* riſu cognoſcere *eleganter dixit Virgilius Eclog.* 4 *in fin.*
Alpes a Tuſcis occupatae 20, 5 9. poſt Herculem a Gallis ſuperatae 24, 4. 4. *Falſo igitur hoc ſibi adſcribit Annibal apud Appian. in de Bell. Syriac. pag.* 91 *in fine.*
Altera, *pro alterutra* 11, 12. 10: *non pro* alia, *meo quidem animo*: τὴν ἑτέραν τῶν

τῶν ἑαυτῦ θυγατέρων habet Diod. 7, 54. Ita infra 19, 5. 15
Alternare, *h. e. variare* 36, 4. 1
Altius, *pro longius* 42, 2. 7
Amadas amicus Alexandri 12, 12. 8
Amarior minister regni, quam ipse rex, *hoc est asperior, immitior, officiorum, tributorumue exactor* 16, 1. 14. amarum ac triste conuiuium 12, 6. 13
Amaritudo 38, 5. 7
Amazones Scythae 2, 1. 3. earum origo 2, 4. 1 et 27. mores 2, 4. 4. quare ita dictae 2, 4. 11. durant ad Alexandrum vsque 2, 4. 32. ad quem earum regina proficiscitur 2, 4. 3 et 13, 37. Amazonum regio 2, 4
Ambigere de regno 1, 10. 1. ambigere cui rei primum occurras 29, 4. 9
Ambiguum periculum 31, 8. 7
Ambigeri regis subditi, tela veneno tingunt 12, 10. 2
Ambitio vulgi, *sicut supra* adulatio vulgi 12, 15. 11. *Vide quae notauit Cl. Berneggerus ad prolog. pag.* 1. ambitio popularis 1, 1. 1. magna ambitione aegre obtinere 1, 3. 2
Ambitiosae pulcritudinis scortum 30, 2. 2. ambitiosus apud populares 17, 2. 6
Ambri superantur ab Alexandro 12, 9. 4
Amici, *h. e. consiliarii, proceres* 34, 3. 3. *Ita forte* 37, 3. 8 (*quamuis et hic specialius pro amasiis accipi posset*) *et* 38, 9. 5 *et* 42, 5. 6. *Vide Cl. Berneggeri Notam ad Sueton. Caes.* 72, 4. *Ita* 9, 4. 5 *et* 12, 12. 8. Amicos Alexander ad recipiendas Asiae ciuitates mittit 11, 10. 4. amicos longam vestem sumere iubet 12, 3. 9. vnus ex amicis Darii 12, 5. 10
Amicior 2, 10. 13
Amicitiam iungere 9, 4. 5. 43, 5. 3. facere 12, 7. 6
Amicitiae regiae fragilitas 12, 6. 3. amicitiae iure patet alicui regia 3, 1. 2. amicitiae regiae fiducia aliquid facere 12, 6. 3
Amicitias vtilitate, non fide colere 9, 8. 9. amicitiarum iura, successu a plerisque, non fide, ponderantur 22, 7. 3
Amittere spem pacis 11, 12. 5
Ammonis templum 1, 9. 3. 11, 11. 7. *Reliqua vide in* Hammon.
Amor memoriae iuste imperantium 4, 2. 5. amor tantus Croesi apud omnes vrbes erat 1, 7. 10
Amouere aetatem imbellem, *pro alio mittere* 11, 10. 14
Amphilochi Gallaeciae populus 44, 3. 6
Amphipolitana arx 4, 6. 15
Amphistratus Castoris et Pollucis auriga 42, 3. 3
Amphictyon rex Atheniensium 2, 6. 9
Amplecti spe improba regnum

gnum totius Africae 22, 7. 4. 29, 1. 2
Ampliare regnum virtute, liberalitate Persarum 7, 4. 1. terminos imperii acquisita vrbe aliqua 13, 6. 20
Amplitudine rerum gestarum inuidia superatur 1, 2. 5
Amplius, *tam magnitudinis est, quam continuam vocant, vt alibi, quam numeri; vt* 3, 3. 5. non amplius vna veste, *pro non pluribus quam vna veste* 3, 3. 5. non amplius centum viri 6, 7. 4. non amplius quam in biennii vsu 17, 2. 4. *Vid. et Ind. in Nepot.*
Amputare moras 24, 7. 2: *quod Virgilio est* rumpere *Aeneid.* 9, 13 *et alibi.* dextram amputare 2, 9. 18. 19
Amulius fratrem regno pellit 43, 2. 2. interficitur a Romulo 43, 3. 1
Amyntas Macedoniae rex 7, 2. 13
Amyntas alter Menelai filius 7, 4. 3
Amyntas dux Philippi in Asia 9, 5. 8
Amyntas Alexandri consobrinus ab eodem interfectus 12, 6. 14. *Videtur autem fuisse idem cum superiore.*
Amyntas Alexandri praefectus, in diuisione imperii eius Bactrianos sortitur 13, 4. 23
Anaxarchus Philosophus 12, 13. 5
Anaxilaus tyrannus Siculus, insignis iustitia 4, 2. 4
Anceps certamen, *hoc est dubium* 2, 3. 11. 11, 9. 11
Ancora, Seleuci et generis eius naturalis nota 15, 4. 9
Andragoras regii Parthorum sanguinis auctor 12, 4. 12. ab Arsace oppressus 42, 4. 9
Andromache Hectoris, mox Heleni coniux 17, 3. 6
Angustiae Thermopylarum 2, 11. 2. 8, 4. 12. Salaminii freti 2, 12. 18. angustiis sibimet inclusis videbantur 17, 1. 12
Anhelans inopia, *hoc est summa* 9, 1. 6
Animus ingens 1, 6. 12. animus non deest alicui in auxilium sui 11, 9. 20. animum nubendi omittere 2, 4. 5. animi plus alicui est, quam alii 11, 10. 13
Animis, *pro animo* 31, 3. 6. animorum, *pro animi et hoc pro audacia* 11, 5. 13. animos, *pro animum et hoc pro consilio* 11, 6. 1, animos iniuria et indignitas acuit 3, 5. 4. animos extollit nobilitas 1, 4. 4. animorum alacritas magna est aliquibus 2, 9. 11. tantis animis concursum est 3, 5. 13. tantum animorum 6, 7. 5. hostiles animos deponere 7, 3. 9. animi iuueniles vtrique erant 17, 1. 11. animi minores, quam 18, 1. 2
Animatus sic 3, 5. 12. circa aliquem animatus 14, 1. 3
Annibal Hasdrubalis 19, 2. 2

Annibal alter, siue magnus, dux Carthaginiensium 29, 1. 7. Romanos vincit 29, 1. 7. iterum 29, 4. 1. ad Antiochum fugit 31, 2. 8. cui Romanorum fraude suspectus redditus 31, 4. 14. sententiam tamen suam candide dicit 31, 5. 5. vincitur ab Aemilio 31, 6. 11. ad Prusiam profugit 32, 4. 5. per serpentes victoriam procurat 32, 4. 7. venenum haurit 32, 4. 12. eius encomium 32, 4. 10. res gestae 44, 5. 2, 5. Alexandro non postponendus 30, 4. 9. annis XVI Italiae victor immoratur 38, 4. 8
Anno eodem, quo Roma a Gallis capta, pax tota Graecia extitit 6, 6. 5. anno eodem tres summi imperatores mortui 31, 4. 13. anno vno eodemque Athenae expugnatae, Darius mortuus, Dionysius exul 5, 8. 7
Antandrus, Agathoclis frater 22, 7. 2
Ante diem, *pro ante dies, hoc est, aliquod tempus* 6, 7. 7: *nisi est eodem die, vt ante Kalendas* in l. 13 et l. 56, 5 de V. O. ante experimentum belli nimium suis viribus fidit Xerxes 2, 10. 24 ante iactum sagittarum ad hostem veniunt Atheniensis 2, 9. 11. ante annum Troianae cladis, *pro anno ante Troianam cladem* 18, 3. 5
Ante omnia, *für allen Dingen* 11, 2. 1. *Loquitur ita Marcianus in L. 23 de probat. et Valens L. 22 de alim. legat. et Sueton. in Calig.* 21, 5
Antecedere aliquos nobilitate 33, 1. 1. aliquem aetate 34, 3. 7
Anteire omnes feminas mollitia corporis 1, 3. 2: *sic in malam partem vsurpatur. Alibi in bonam*, vt anteire viros virtute 1, 2. 6
Anteponere spem praemii fidei sacramenti 14, 1. 10. periculoso regno securam et tutam vitam 39, 4. 3
Antelucanum tempus 1, 6. 2
Antenor Venetorum conditor 20, 1. 8
Antigenes amicus Alexandri 12, 1. 18
Antigonus in diuisione imperii Alexandri maiorem Phrygiam consequitur 13, 4. 14. bellum cum Perdicca gerit 13, 6. 8. Eumenem vincit 14, 2. 2. iterum et Argyraspidas 14, 3. 2. a quibus traditum 14, 3. 11. in custodia habet 4, 4. 11. sociis praedae partem negat 15, 1. 2. rex appellatur 15, 2. 10. occiditur 15, 4. 22. Philippo et Alexandro regibus, in omni militia socius 16, 1. 12
Antigonus modo dicti nepos 17, 2. 10. a Ptolemaeo Macedonia pellitur 24, 1. 9. reuertitur 25, 1. 1. Gallos caedit 25, 2. 10. pellitur

tur a Pyrrho 25, 3. 5. Peloponnenſes ſubiugat 26, 1. 2. Gallos caedit 26, 2. 8. bellum Athenienſibus infert 26, 2. 10. Macedoniam amittit 26, 2. 12
Antigonus vltimus Philippi tutor 28, 3. 10. diadema proiicit 28, 3. 12. iuſſu populi regnat 28, 3. 16. Lacedaemonios vincit 28, 4. 3. et Spartam capit 28, 4. 12. moritur 28, 4. 16
Antiochia a Seleuco, ex nomine patris condita 15, 4. 8. a Grypo capitur 39, 3. 7. contra Demetrium conſpirat 35, 1. 2. 39, 1. 4. ad filium eius deficit 35, 2. 3
Antiochus, Seleuci pater 13, 4. 17. clarus inter Philippi duces 4, 15. 3
Antiochus *Soter*, Seleuci filius 17, 2. 11. pacem cum Ptolemaeo facit 24, 1. 9
Antiochus *Deus* 27, 1. 1
Antiochus *Hierax* 27, 2. 9. ab Eumene Bithyno vincitur 27, 3. 2. a latronibus interficitur 27, 3. 12
Antiochus *Magnus* Aſiae rex adhuc impubes 29, 1. 3. Aegyptum aggreditur 30, 1. 4. 30, 2. 9. ab Aetolis in Romana bella impellitur 29, 4. 19. Aegyptum occupare ſtatuit 31, 1. 1. vincitur ab Acilio 31, 6. 5. donat Scipioni filium 31, 7. 4. debellatur a Scipione 31, 8. 9. interficitur 32, 2. 2.
Antiochus *Epiphanes*, Magni F. a Popilio circumſcribitur 34, 3. 3
Antiochus *Deus*, Pſeud-Alexandri filius a tutore Tryphone occiditur 36, 1. 7
Antiochus *Soter*, Demetrii frater Tryphonem regno exuit 36, 1. 8. Iudaeos ſubigit 36, 1. 10. in Parthos ducit 38, 10. 1. Babyloniam occupat 38, 10. 6. occiditur 38, 10. 10. corpus eius remittitur a Parthis 39, 1. 7
Antiochus *Grypus qui et Philometor*, Demetrii filius 39, 1. 12. *Reliqua vide in* Grypus.
Antiochus *Cyzicenus* modo dicti frater vterinus 39, 2. 14
Antiochus *Aſiaticus* Cyziceni F. regno Syriae, quod Lucullus dederat, a Pompeio priuatur 40, 4. 2
Antiope Amazonum regina 2, 4. 10. captam ab Hercule ſororem traditis armis liberat 2, 4. 25
Antipater inter amicos Philippi 9, 4. 5. Macedoniae praefectus 1, 7. 1. Agidem et Spartanos vincit 12, 1. 12. cum ſupplemento tironum ad Alexandrum euocatur 12, 12. 9. auctor necis Alexandri et quare 12, 14. 1. naſcendo regi tutor conſtituitur 12, 2. 1. Graeciae praeponitur 13, 5. 8. Antigonum contra Perdiccam iuuat 13, 6. 9. Eumeni auxilia mittit 14,

2. 4. Macedonum insidiis petitur 14, 4. 11. amarior semper minister regni fuit, quam ipsi reges 6, 1. 14
Antipater, superioris nepos, matrem occidit 16, 1. 1. regno exuitur 16, 1. 19. interficitur a Lysimacho socero 16, 2. 4
Antiquitas 12, 2. 11. Siciliae fabulosa, *haec est, antiquorum de Sicilia narrationes* 4, 1. 8. omnis antiquitas fabulosa 2, 6. 7
Antiquum 39, 3. 6: *pro eo, quod alicui maxime curae est, Angelegen. Aliter tamen exponit* Barth. Adversar. p. 338 pr. *Ita in L. 19 §. filius de captiu. et postlim.*
Antistites, *pro sacerdotibus* 11, 11. 9
Antonius bellum Parthis infert 41, 2. 9. a Parthis vincitur 24, 5. 3
Annulus cum insculpta ancora inuentus in lecto matris Seleuci 15, 4. 5. annuli curam sub C. Caesare Trogi pater habuit 43, 5. 35. annulum suum Perdiccae tradit moriturus Alexander 12, 15. 12
Anxie, *hoc est, diligentissime* 1, 4. 11
Apamenii a Demetrio deficiunt 39, 1. 4
Aphellas Cyrenarum rex 22, 7. 4
Aperire portas refugiis aliorum 11, 4. 9. aperire portas aduersus aliquos 28, 2. 2. aperire mandata regis 18, 6. 4. consilium suum omnibus 22, 5. 1
Aperto praelio dimicare 3, 7. 15
Apes Hieronem nutriunt 21, 4. 7. apium vsus inventus 13, 7. 10
Apis Aegyptiorum deus 1, 9. 2
Apollo Seleuci pater creditur 15, 4. 3. virginum raptor 13, 7. 7. pro Delphis suis contra Gallos pugnat 24, 8. 4. Apollinis templum 2, 12. 8. spoliatur a Phocensibus 8, 1. 8. Apollini consecratur gladius Pausaniae, quo Philippum occidit 9, 7. 13. campi Antiocheni dicantur 15, 4. 8. munera a Massilienses mittuntur 43, 5. 9. Apollinem legum suarum auctorem facit Lycurgus 3, 3. 10
Apollonia 15, 2. 1
Apollonienses pro Scythis auxilium a Philippo petunt 9, 2. 1
Appellare regem, *pro facere, aut declarare* 13, 3. 1. hostem 13, 10. 8. seruitutem appellantes, *pro seruitute habentes* 2, 4. 5
Apparare. apparatis epulis inuitare aliquem 1, 6. 5
Appetere aliquem veneno 37, 2. 5
Appetitus insidiis, *hoc est, petitus* 7, 5. 4
Appius Claudius. Vid. C.
Applicuit ad littus, *hoc est, appulit. Er ist angelandt* 2, 4. 21. applicitum 2, 12. 2. ap-

2. applicare, *actiue*, *pro admouere* 11, 15. 6
